

POLYDORI

VERGILII VRBINATIS ADAgiorum opus per autorem tertio iam, ac diligentius recognitum, & magnifice locupletatum. Quare ille contentus tum demum supremam imposuit manum.





BASILEAE, EX OFFICINA [redacted] MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXII



POLYDORI VERGILII VRBINATIS AD GVIDONEM VBALDVM VRBINI DVCEM PRAEFATIO.


Rœzeni Atticæ regionis, sicuti à Plutarcho accepimus, populi antiquißimi Neptunũ olim summa religione colere, eiq;, quando Trœzen oppidũ in illius tutela erat, fructuũ primitias offerre consueuerunt. Horum igitur ritu ac pietate ego monitus Guido princeps, cũ tuo itidem Genio ciuitas nostra dicata sit, feltrioq; numine seruata, diuq; tuta, demum incolumis, meritò equidem tanquã impius grauißime reprehendendus fuissem, uel tu mihi iure succensuisses, si hunc prouerbiorum libellum nostri primitias ingenij, qualiscunq; sit, ædituris nomini tuo non consecrassem, futurum enim erat, ut illud facile diceretur, ideo me tibi dicare noluisse, uel quia ignorarem, te Latinæ academiæ principem esse, atque summe semper paterna uestigia in hoc, ueluti cæteris in rebus secutũ cum Octauiano patruo tuo, ingenijs fauisse, uel quia in te ingratißi-

mus forem, quippe qui de me plurimũ bene meritus es. Sed ne minimam quidem hac re meritorũ tuorum partem assequi me posse scio, tamen aliquid omnino mihi præstitisse uidebor, quandoquidem parem gratiam referre non licet, si huiusmodi saltem munusculis tibi qui longe pulchrius ditare, quàm ditescere ducis, gratiam habere ostendero. Cæterum dicet quispiam lucubratiunculas nostras haud dubie humiles nõ dignas, quæ tuo nomine foras darentur, id quod etsi peringenue fateor, nihil eo tamen ueritus sum, quin illud ipsum tibi gratißimũ esset, quando talis literarum dignitas semper fuit, ut dicari eas sibi principes ac reges & gloriosum & honestum putarint. Verum hoc opusculum si admodum tenue est, non ideo minimi laboris fuit, aut prorsum inutile, nam cum eiuscemodi adagia primũ à uiris tum sapientißimis circumacta, tum à rerũ natura orta, mox à scriptoribus paßim usurpata in ore ferè omniũ uersari, nec omnino intelligi animaduerterem, sub ijsq; pariter aureas, ut ita dicã, sententias, ac præcepta haudquaquam mehercle negligenda contineri, non absurdum uisum est, hæc pauca ex Latinorũ autorum monimentis, & Græcorũ quorundam, sparsa in unum

colligere, quibus deinde collectis, maior profectò eorum sensus abstrusos explicādi superfuit labor, quod ut melius efficerem, pro uirili operam dedi, & unde nata sint, & quare in prouerbia cesserint, ex autoritate ueterum scriptorū docere, quorum etiam apposite nonnulla loca partim correximus, partim enodauimus. Quanquā nec inficias eo, ex his quædam in aliam quàm ipse retulerim, sententiā uerti posse, sed mihi satis fuit, propriorē reddidisse sensum. Nec præterea ignoro quosdam fore, qui me præ multitudine eiusmodi prouerbiorū, quæ cū in latinis tum in græcis exemplaribus inscripta sunt, pauca admodum nostro opusculo inseruisse accusauerint, quod omnino in me perperam facient, quando consiliū fuit, Græcos plurimū præterire autores, ut ne ex alieno penario, istud condimenti genus affatim ministrandum prius curarem, quàm certum haberem, quantū degustantibus nostris placuisset, id quod nouitiū hoc inuentum iure poscebat. Ex Latinis autem scriptoribus non parui profectò negocij fuit colligere, cum siquidem ad nullum certū autorem qui de ijs antea scripsisset, me conferre potuerim, quare nobis necessum fuit, more apium, singulis eorum orationis flosculis

insidere, antequam onus conficeremus. Nec *in ea re ut laudis cupidus argumentũ amplificaui, qui in uno sæpe adagio explanando, duo triaue proposui, quo lectio longe fructuosior esset.* Hæc *itaq;, quota pars sit, lectitando à me obseruata sunt.* Tu *uero* Guido *princeps, accipe quæso, hilari uultu hoc à me opusculum frugum mearũ primitias, deinceps enim maturiores fructus capies, ueluti pignus & monimentũ meæ erga te obseruantiæ, munus haudquaquã preciosum, sed quo nullũ preciosius à* Polydoro *cliente accipere posses, quod si tibi nõ iniucundũ fuerit, putabo equidem & me operæpreciũ fecisse, & te tanto uindice fretum ab omni prorsus obtrectatione tutum fore.* Vale, Anno

M. CCCC. XCVIII.

ADAGIORVM PROPHANORVM INDEX

iuxta numerum paginarum.

Harenam

Ita fuge

Obsequium

Sæpe

B

INDICIS ADAGIORVM PROPHANORVM FINIS.

ADAGIORVM
SACRORVM INDEX
iuxta numerum paginarum.

Amice

In salicibus

Montes

Opus

Qui de

Tange

INDICIS ADAGIORVM SA-
CRORVM FINIS.

POLYDORVS VERGILIVS AD STVDIOSISSIMOS QVOSQVE DOCTRINAE *adolescentes, de prouerbij finitione.*



V ENIET *fortaſſe tempus optimi adoleſcentes, cum tam maxime uos iuuabit audire, atque attendere hunc noſtrum adagiorum librum, quàm minime ueſtros præceptores uobis aliquãdo legere pigebit. Sanè hinc, uelut è topiario quodam humanarum literarum opere, & floſculos ornandæ orationis colligere, &, ut ex theſauro ſacræ ſcripturæ, rationes bene inſtituendæ uitæ eruere facilime poteritis. Quare, ut omnia uobis obuia forent, hanc breuem prouerbij ac figurarũ, quibus illud potiſſimũ tegitur, finitionem quaſi ob oculos ponere placuit. Eſt itaq; prouerbiũ ſententia ſcita rebus temporibus ue accommodata, & modo clara, ut Fas nefas, uel, Qualis mater, talis filia. modo uero ſubobſcura, ut Sardonius riſus, ſiue Conſuere puluillos ſub cubito. Quæ quidem ſententia deinde uulgi ſermone celebrata fit prouerbium, hoc eſt, commune omnium uerbum. Idem uel adagium nuncupatur, quaſi quemadmodum Varro ait, circumagium, quia circũagatur per omnium ora, at Græcis parœmia uocitatur.*

tur. In huiusce autem adagij cohorte principalis figura est metaphora, nostris translatio dicta, quod aût nomen aut uerbũ ex proprio transferatur loco, & penè mutare naturam cogatur, uelut si libeat, ponere habenas, quod est retinaculum equi, pro potestate, siue facultate, & ita dicas. Immitto tibi habenas, id est, potestatem facio, siue facultatem tibi do abeundi. Item tangere pro intelligere, remugire, à boum uoce sumptum pro resonare. Quin & in simplici nomine gigni poterit metaphora, cum hominem hebetis ingenij, asinum appellaueris. Sequitur allegoria, id est, metaphora continua, ut Caecus parietem palpat, ubi aliud uerbis aliud sensu ostenditur. Comitatur & allusio, quae fit, cum aliud dicitur, & ad aliud sententia latenter referatur, uelut illud. Hic literas Vriae defert. Est item in comitatu hyperbole, quam Cicero superlationem uocat, quae fidem excedens nunc auget, nunc minuit, uti Niue candidior, & leuior folijs. Cum ijs obambulat scomma, quod est morsus figuratus, fraude aut urbanitate tectus, ut Aquilae senectus, uel Vinum potantem decipit. Atque hae sunt praecipue figurae, quarum in eiusmodi prouerbijs prouerbialibusq; sententijs usus est frequentior. Caetera uero, hoc est, unde soleant adagia nasci, & quatenus usurpanda, quae'ue illis confinia sint, quae prouerbiorum speciem prae se ferunt, quid item utilitatis ex eorum cognitione rei literariae pro

ficiscatur, quantumúe illud bene degendæ uitæ finiū conducat, atque ob eam rem potißimū quantum semper dignitatis apud mortales omnes, illis accesserit, lectio ipsa abunde docebit. Quapropter ista omnia hoc loco sigillatim explicandi nos tanto labori, ut parum omnino utili, haud inconsultò pepercimus. Valete.

POLYDORI

VERGILII VRBINATIS PROVERBIORVM LIBER.

Homo homini deus. *Prouerbium* I



PROVERBIVM *iſtuc à Plinio libro ſecundo, capite ſeptimo refertur, à Græcis ita dicentibus ſumptum,* ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, *hoc eſt,* Homo ho*mini deus.* Quale Vergilia*num illud:* Deus *nobis hæc ocia fecit.* Nanque *erit ille mihi ſemper deus. Cicero libro de natura deorum primo: Sed nolo, inquit, eſſe longior, ita concludam, tamen belluas à barbaris propter beneficium conſecratas.* Et *Seneca ad Luciliũ epiſtola nonageſimaquinta: Magna ſeculi laus eſt, ſi homo manſuetus hominẽ adiuuet.* Porrò *ita antiquitas credidit, ijs cum primis habendum diuinitatis honorem, qui de genere mortaliũ eſſent quoquomodo bene meriti. Adagium igitur admonet, inuicem ſibi homines prodeſſe debere, à quo noſtrum opuſculum placuit potiſſimũ auſpicari, ut intelligerent primum legentes, quantum ab homine alienum eſſet, homini iniuriam facere, peſtem aut ullam ab eo proficiſci.* Quare *ego omnibus ueluti mihi fa-*

uentibus, aliquanto liberius huiusmodi prouerbiorum sensus eliciendi munus obiui.

Mutuum muli scabunt. II

Est apud Ausonium hoc prouerbium, quod haud ualde superiori absimile est, sensus enim significat, tradere operas mutuas, & par pari referre, nam cum muli soleant sese uicissim defricare, & scabere, meritò in cõsimili remuneratione hoc prouerbio utimur. Hadriani, quod non longe ab re est, iocus balnearis innotuit, qui plures olim senes euocari iussit, & alium ab alio inuicem defricari, cum illi se marmoribus atterrent, ad liberalitatem principis prouocandam, qui ueteranũ quendam seruis & sumptibus donauerat, qui se in balneis marmoribus destringebat, propterea quod seruum non haberet.

Res ad triarios rediit. III

Res ad triarios rediisse prouerbio increbuit, cum laboratur, etenim post hastatos, ubi ordinibus exercitus instructus erat, pugna ad principes sensim ueniebat, si apud principes quoq;, haud satis prospere esset pugnatũ, paulatim certamen ad triarios referebatur, in quibus suprema spes sita erat. Autore Liuio libro viij. ab urbe condita.

Optimum est aliena frui insania. IIII

Vetus & elegans ac, ut ita dixerim, aureum adagium est, significat enim pulchrũ esse, quemadmodum Marcus Tullius docet, ab aliorum erratis, suam uitam

melius

melius instituere, nam tunc aliena fruimur insania, cum illa nobis documento est. Vnde Plautinum illud: Feliciter sapit is, qui alieno periculo sapit. Ex uitio sic ulterius sapiens suum emendat. Ex quo factum est hoc prouerbiũ, Optimum est aliena frui insania. Quod à Plin. scite usurpatur, hisce uerbis lib. natur. hist. xviij, cap. v. dicente: Optimumq; est, ut uulgò dixere, aliena frui insania. Quapropter Plato in xi. libro de legibus, expedire censet, ut qui deliquerint, modis omnibus puniantur, quo certe uel ipsi in posterũ tempus corrigantur, uel qui uiderint, in eos animaduerti, diligentius metu pœne, iustitiam colant, nam ut idem dicit tales plectuntur, non quod peccauerint, cum facinus factũm nequeat infectum reddi, sed ea tantummodo de causa. Atque sic aliena insania, id est, peccata nos cautiores efficiunt.

Cum mortuis non nisi laruæ luctantur. V

Plancius cum audiuisset Asinium Pollionem orationes aduersus se parare, quas ipso mortuo, ne responderे posset, uel ipse Asinius uel filius eius æderet, dixit cum mortuis non nisi laruas luctari. Quod quidem exemplum instar prouerbij Plinius in sua præfatione retulit, ait enim: Nec Plancus illepide dixit cum mortuis non nisi laruas luctari. Laruæ enim dicuntur noxiæ inferorum umbræ, quibus cum mortuis nobis tantum res est. Quod prouerbium in eos est, qui obtrectatione alienæ scientiæ, defunctos calumniando scriptor

res, famam sibi aucupantur, quo, ut Martialis inquit, admonemur ducere illos improbe facere, qui & in alieno libro ingeniosi sunt, & in demortuos sæuiunt.

Quod supra nos, nihil ad nos. VI

Lactantius Firmianus libro diuinarum institut. iij. cap. xx. cum eos sceleratos appellat, qui arcana mundi & hoc cœleste templum polluere impijs disputationibus quærunt, Aliquid ergo, inquit, Socrates habuit cordis humani, qui cum intelligeret, hæc non posse inueniri, ab eiusmodi quæstionibus se remouit, uereorq; ne in eo solo, multa enim sunt eius non modo laude digna, sed etiam reprehensione dignißima, in quibus fuit suorũ similimus: ex his unum eligam, quod ab omnibus sit probatum, celebre hoc prouerbium Socrates habuit: Quod supra nos, nihil ad nos, supple attinet. Hoc nos decenter uti possumus, cum ea, quæ nostras uires excedere uidentur, mente consequi nequimus.

Isthmum fodis. VII

Isthmos ea terræ angustia appellatur, quæ inter duo maria, Aegæum & Ionium conclusa est, cuius structura quinq; millium passuum interuallo constat, qui non sine longo & ancipiti nauium ambitu transiri potest. Quam ob causam, ut Plin. lib. iiij. cap. iiij. tradit, perfodere nauigabili alueo angustias tentauere Demetrius Rex, Dictator Cæsar, C. princeps, Domitius Nero, infausto, ut omnium patuit exitu, incœpto. Hinc cum quempiam aliqua in re frustra laboraturum esse prouer-

prouerbialiter significare uolumus, Isthmum fodis dicimus, Quasi quod id factu perdifficile sit.

Rana Seriphia. VIII

Plinius lib. viij. cap. lviij. ait: Mutæ sunt etiã ranæ in Seripho insula: quãuis mendosi codices nõ ranæ sed cicadæ habeãt, quod nõ conuenit, cum illic de ranis sermo sit. Vnde prouerbiũ, βάτραχος ἐκ σερίφου, hoc est, Rana Seriphia, in uehemẽter silentiosos manauit.

Asinus ad lyram. IX

Hæc M. Varronis uerba sunt in Satyra, quæ Testamentum inscribitur, ab Aulo Gellio lib. iij. cap. xvi. repetita. Ille enim inquit: Si quis mihi filius unus, pluresúe in decem mensibus gignuntur, ij si erunt ὄνοι λύρας, hoc est, Asini ad lyram, exhæredes sunto. Quod recte quadrabit in homines indociles, & disciplinæ omnis expertes, perinde ac est asinus ad musicam capessendam.

Idem Accij quod Titij. X

Eiusdem Varronis uetus prouerbium est, nam ille ait: Accio idem quod Titio ius esto, apud me. Quod adagiũ, hoc est, Idem Accij quod Titij, de rebus inter se nihil distantibus dicitur.

Perdere naulum stultum est. XI

A marinis mercatoribus sumpta est metaphora, qui cum nauigant si minus quàm cupiunt, lucrari possunt, student, ut saltem recuperent, ex mercibus uendendis, quantum pro uectura, naulum enim uecturæ

precium est, nauali soluerint. Hinc ortum uulgò prouerbium, perdere naulum stultum est, in eum, qui cum multa amiserit, reliqua etiam perdere uelit. Vnde Iuuenalis hoc usurpans saty. viij. ait: Furor est post omnia, perdere naulum. Et Ouidius: Obsistere fatis Nemo potest, damnis addere damna nefas.

Lupum auribus teneo. XII

Hoc uetus adagium à græco fluxit, dicũt enim illi λύκον τῶν ὤτων ἔχω. hoc est, Lupũ auribus teneo. Quod apud Teren. in Phormione amator in periculo collocatus usurpauit. Tiberius Cæsar quoq; hoc identidem Tranquil. autore, utebatur. Postremo Hieron. scribens aduersus Ioannem Origenistam ait: Nunc uero quasi auribus lupum apprehenderis, nec tenere potes, nec audes dimittere. Nam propter aurium exilitatem lupi haud retineri possunt, de quo etiã M. Varrò in iij. de Latina lingua meminit. Quod in re ancipiti periculosaq; dici solet, qui enim auribus lupum tenet, haud dubie ualde animi pendet, ut qui nec eum dimittere audet, nec sine periculo tenere potest.

Inter saxum, & sacrum sto. XIII

Superiori non admodum diuersum est, Inter saxum & sacrum sto. Siquidem apud Romanos, mos uetus erat, ut cum fœdus cum finitimis populis inirent, teste Liuio ab urbe condit. & Fenestella de magistratibus Romanis, hoc pacto facerent. Ducebãt porcam ad confinia, ubi constitutã sacerdos fecialis saxo feriebat, his

uerbis

uerbis utens: Quemadmodum hanc porcam saxo feriam, ita fulmine à Ioue optimo maximo feriatur is, qui hoc sanctum fœdus fregerit. His peroratis, porcã saxo feriebat. Ex quo haud ineleganter in eum prouerbium uenit, qui in periculo constitutus, ut dicat, Inter saxum, & sacrum sto, perinde ac porca manet, antequam à sacerdote feriatur, de quo Plautus in captiuis meminit, ubi ait: Inter sacrum, & saxum sto.

Multa cadunt inter calicem, supremaq́; labra: uel, XIIII

Inter os, & offam, multũ interest. Versus græcus est autore Gell. lib. xiij. cap. xvij. παροιμιώδης, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Hoc est, Multa cadunt inter calicẽ, supremaq́; labra. Hoc nostri ueteres quambreuißime dicere solebant, Inter os, & offam. Quod significat non esse de futuro nimis sperandum. Inde etiam locum habuisse hoc prouerbium tradunt, quod uir quidam ætate grandæuus dum uineam plantaret à uicino per derisum interrogatus est, cui uineam sereret, qui cum sibi serere respon disset, ludibrio habitus est, perinde quasi desperandum foret eum tandiu uiuere, ut mustum ex ea gustare posset. Vidit tandem senex ex ea uuas, afferriq́; sibi præmaturos aliquot racemos, & premi iußit, uicinum præterea accersiri, cui calicem musti plenum manu ostendens & iam penè admouẽs ori. Putasti ne, inquit, uinum me ex uinea quam te spectante plantaui, gusta

turum?Inter hæc anhelus puer accurrit,descendisse in uineam aprum nunciat,uuasq; uastare:senex deposito calice in uineam properat,comitantur eum uicinus & puer,aprum prosequũtur, qui facto in senem impetu, eum necat. Atq; ad hũc modum, cum calicem iam ferè labijs admotum gustare non potuisset, locum prouerbio perquam appositum dedit. Alij ad fabulam Ancæi Neptuni,& *Astypaleæ* Phœnicis *filij referunt,cui il lud idem atq; nostro seni,accidit.*

Ille homo habet equum Seianum. XV

Prouerbium est,teste Gell. *lib. iij.cap.ix.noctium atticarum,de homine infelici ac calamitoso,cuius hæc ratio est.* Cn. *Seius equum habuit natum* Argis,*quem fama erat progenitũ esse ex equis,qui* Diomedis Thra*cis fuerant, quosq;* Hercules Diomede *occiso,* Argos *perduxerat.* Hunc *magnitudine inusitata fuisse, ceruice ardua, colore phœniceo , flaua & comanti iuba, cæterisq; equorum laudibus insignem,ueruntamen ea fortuna, ut quisquis eum poßideret, is cũ omni domo, familia, & fortunis in perniciem deduceretur.* Itaque *ferunt* Cn. *Seium primum eius dominũ à* Marco An*tonio capitis damnatum miserabili supplicio uitam finisse.* Eodem *tempore* Dolobellam *consulem in* Syriã *proficiscentem fama eius equi permotum,* Argos *diuertisse, emisseq;: sed ipsum mox in* Syria *bello ciuili obsessum,atq; interfectum fuisse.* Deinde *eundem equum* Caium Caßium *qui* Dolobellã *obsederat, adduxisse,*

& Caßium

& Caßium postea uictis Parthis fusóq; exercitu suo, miseram mortem oppetijsse manifestum est. Deinde Antonium post interitum Cassij, parta uictoria, nobilem illum equum requisiuisse, & eo potitum, uictum atq; desertum, detestabili exitio interisse.

Tolosanum aurum poßidet. XVI

Huc & illud pertinet, Tolosanum aurum poßidet. Porrò oppidum Tolosanum in terra, ita enim Gellius eodem libro tradit, Italia, Q. Cepionem consulē quondam diripuisse constat: in cuius templis cum multum auri fuisset inuentū, quicunq; ex ea præda aurum attigit, eum misero ac cruciabili exitu perisse manifestum est. At tibi Guido princeps exercituíq; tuo non sacrilegium, ut Terentio Varroni, ut Q. Cepioni creditum est, aliudúe perpetratum scelus cladem ullam afferet, qui, ut par est, tantopere uictrices militum manus, secundæ enim res, ut uerißime Crispus prodit, sapientiū etiam animos fatigant, à rebus sacris abstinentißimas seruas, qui militarem disciplinam à Federico patre, qui suarum rerum gestarum splendore, facile Imperatorū omnium gloriā superauit, traditam pari seueritate & indulgentia pro loci, pro temporis opportunitate, regis, qui denique militem tuum armis tantum intentum esse facis. Scis enim optime Imperator uires armis constare, quæ ubi à recto itinere desciuerint, sese oppressuræ sunt, nisi opprimantur. Cæterū Iustinus lib. xxij. Tolosam urbem Galliæ, non Tolosanum in Italia op-

pidum, ut in Gellianis codicibus scriptũ est, hisce uerbis appellat: Tectosagi, inquit, cum in antiquam patriam Tolosam uenissent, comprehensiq; pestifera lue essent, non prius sanitatem recuperauere, quàm aruspicum responsis moniti, aurum argentumq; bello sacrilegijsq; quæsitum, in Tolosensem lacum mergerẽt, quod omne magno post tempore, Cepio Romanus consul abstulit. Fuere auri pondo cx. millia, argenti pondo quinquies decies centum millia. Quod sacrilegium causa excidij Cepioni exercituiq; eius fuit. Iustinus hactenus. Strabo autẽ libro Geogra. iiij. de Tolosa cum Iustino conuenit, thesauros uero, sic in codicibus legitur, Scipionem, non Cepionem diripuisse tradit, uerũ ut obiter locum corrigam, quamuis semidocti quidam hæc duorum autorum uerba inter se dissentire contendant, mihi maxime consentiũt, Loco enim Scipionem, proculdubio Cepionem legendũ est. De Tolosa Martialis itidem lib. x. mentionem facit.

Vbi amici, ibi opes. XVII

Quoniam diuitiæ, bona ualetudo, potentia, honor, uoluptas, & his similia caduca & incerta sunt, & nõ tam in nostris consilijs quàm in fortunæ temeritate posita, amicitia autem quæ à Lælio diuinarũ humanarumq; rerũ, cum beneuolẽtia & charitate, summa consensio definitur, omnibus rebus humanis anteponitur, quippe qua nihil in uita mortalium utilius aptiusúe, id enim multis constat exẽplis, est, quemádmodũ M. Tullius

lius perſpicue in amicitia demonſtrat, ubi Amicitia, inquit, plurimas res continet, quoquo uerteris, præſtò eſt, nullo loco excluditur, nunquã intempeſtiua, nunquã moleſta eſt. Itaq; nõ aqua, non igne, nõ aëre ut aiunt, pluribus locis utimur, quàm amicitia. Hinc teſte Plauto, uetus fluxit prouerbiũ, Vbi amici, ibi opes. Quàm uerũ eſt, ait, uerbũ quod memoratur, Vbi amici, ibidẽ opes. Et Fab. Quint. lib. v. hoc itidem citat. Ad quod Mart. haud dubie reſpexit illis uerſibus in lib. v. Extra fortunã eſt, qcquid donatur amicis. Quas dederis ſolas ſemper habebis opes. Vnde Salluſtianus Sylla apud Iugurthã, ſcienter ait: Nulli unquam hominũ ſatis fuit amicorũ. Titus quoq; Veſpaſianus, ut teſtis eſt Tranquillus, recordatus inter cœnam, nihil ſe cuiquã toto die præſtitiſſe, memorabilem illã meritoq; laudandam uocẽ edidit, Amici, diẽ perdidi, quæ modo paßim eruditorũ preconio celebratur. Caueant itaq; omnes, præſertim principes, ut tu Guido facis, ne perdãt amicis diẽ. Scipio Aemilianus huius fortaſſe non inmemor puerbij, cuius in hoc Titus uidetur ueſtigia imitatus, ſtudebat nõ prius è foro diſcedere, quã aliquẽ ex adeuntibus familiarẽ ſibi atq; amicũ quouis pacto effeciſſet.

Affore Temeſſeum Genium. XVIII

Euthymus poëta ſemper Olympiæ uictor, ait Plin. lib. vij. cap. xlvij. Cæterũ uetus lectio picta, id eſt, pugil non poëta habet. Is in Locris Italiæ qui Epizephyrei cognominãtur, ortus Aſticleo patre, uel, ut indige

nis persuasum est, Cecino amne genitus, qui Locros à Rheginis diuidit. Hūc semel à Thasio Theagene uictū Pausanias tradit, non iusto quidem certamine, sed circumuentum dolo, unde nec Theageni decretus honor, insuper damnatus, ut multæ nomine talentum Euthymo repræsentaret. Demum Euthymus in Italiam reuersus post octauam & septuagesimam ferè Olympiadem, Temessam uenit, Genium loci, quem Vlyßis comitem fuisse, ab oppidanisq;, quia uirginē stuprasset, interemptum ferebant, ac ob id uagari laruas eius, & nisi placarent; quotannis oblata uirgine, grassari solitas, & perniciem afferre omni ætati ac sexui, compescuit, qui liberata quam deuouerant puella, in matrimoniumq; ducta, fertur uixisse perquam diu, alioq; quàm cæteri mortales solent, modo humanis excessisse. Cæterum, ut prouerbij sensus tandem reddatur, his Aeliani autoritas addatur, qui octauo suæ historiæ libro ita inquit: Euthymus Locrus ex Italia picta inclytus & robore insigni fuit, lapidem gestabat ingenti magnitudine, qui Locris ostenditur, & Temesseum heroa, quod cuiq; per uim abstulerat, reddere coëgit, etiam cum fœnore, ut inde natum sit adagium ijs, qui sordidos & iniustos quæstus faciunt, Affore Temesseū Genium. de quo Strabo etiā lib. vi. geogra. meminit.

Totidem nobis hostes esse, quot seruos. XIX

Prætextatus apud Macrobium, libro Saturnalium

primo,

primo, quomodo cum seruis agendum, & eorum consilium non omnino sit contemnendum, uerba facit, aduersusq; Euangelum ita inquit: Tu *modo uiue cum seruo clementer, comiter quoque & in sermonem illum, & nonnunquam in necessariũ admitte consilium, nam & nostri maiores omnem dominis inuidiam, omnemq́; seruis contumeliam detrahentes, dominũ patremfamiliâs, seruos familiares appellauerunt. Colant ergo te potius serui tui, mihi crede, quàm timeant. Vnde putas arrogantissimũ illud manasse prouerbium, quod iactatur,* Totidem *nobis hostes esse, quot seruos?* Non *habemus illos hostes, sed facimus, cum in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi simus.* De *eo etiam Seneca epist. lxvij. ad Lucilium meminit.* E*st uel aliud huius simile apud Græcos,* Domi *hostem habent: quo Plato in suo Sophista utitur.*

Video *ursam parientem.* XX

Q*uoties longo quempiam temporis interuallo, uel admodũ raro quis uidet, dicet prouerbialiter: Vrsam parientẽ uideo.* Etenim *teste Plin. lib. viij. cap. xxxvi. nihil quicquã rarius homines, quàm parientem uident ursam: quod ea, quemadmodum Aristoteles libro de animaliũ natura viij. tradit, soleat usq; eo latere, dum tempus sit, ut catulos iam ualentes in apertum ducat.* Huius *simile fermè est aliud adagium:* Q*uâ cerui cornua amittunt.* Hoc *est, ea parte, omnia occulta, cum cerui, teste eodẽ Aristotele, libro ix. cornua mutaturi*

in loca difficiliora sese abdant. Quadrabit, cum significatur aliquid uspiam reconditũ, ac idcirco inuentu, uisu ue perdifficile esse.

Sardi uenales. XXI

Tiberius Sempronius Gracchus autore Plinio de uiris illustribus, altero consulatu Sardiniam domuit, ex eaq; tantum captiuorum adduxit, ut longa uenditione res in prouerbium uenerit, Sardi uenales. Cuius usus admodum tempestiuus erit, cum plus nimio res extrahuntur.

Tantaleum poculum libemus. XXII

Diuus Hieronymus epistola ad Paulinum, quæ est in liminari pagina ueteris instrumenti, huius prouerbij meminit ita scribens: Apollonius peruenit ad Drachemanas, ut Iarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem audiret docentem. Equidem Iarchas apud Indos, philosophorũ princeps est, penes quem ; Tantali statua subscriptione notata est quatuor cubitorũ longitudinis, quæ similis propinanti phialam porrigit, in quam humor distillat incorruptibilis. Ex hoc Tantali poculo, soliti sunt bibere Indici philosophi, antequam somno indulgerent, iugem humorem perinde fundente, ac si ex fonte scaturiret. Est autem amicitiæ firmandæ causa, huiuscemodi compotatio apud Indos inuenta, qui ministrum eius faciunt Tantalum, propterea quod is amicißimus mansuetißimusq; erga homines habitus est. Hoc autem prouerbium,

bium, cum ad amicos amicitiæ confirmãdæ causa scribimus, usurpare decenter possumus.

Ille homo agit, quod canis in Aegypto. XXIII

Post Mutinensem fugam, quærentibus quibusdam quid ageret Antonius, familiaris eius, urbane quidem ac festiuiter respondisse fertur, Quod canis in Aegypto, bibit & fugit, quoniam, teste Macrobio Saturnaliorum libro ij. & Plinio lib. viij. in illis regionibus constat canes raptu crocodilorum exterritos currere, & bibere. Quo prouerbij loco, apposite uti possumus in eum, qui metu perculsus illinc quò se receperat, raptim aufugit.

Repetita crambe. XXIIII

Iuuenalis Saty. vij. ita scribit: Occidit miseros crambe repetita magistros. Vbi Politianus, uir quidem sagacißimi ingenij græcum prouerbium poëtam expreßisse affirmat, quod est δὶς κράμβη θάνατος. Significat bis positam cramben mortem esse. Crambe autem braßicæ genus est, idq; expreßit, ut fastidium repetitæ sepius controuersiæ notaret, cum uulgò quoque recalfacta braßica iam in prouerbium fastidij cõncesserit. Nos autem eo commodum uti possumus, ubi aliquid sæpius repetitum nobis fastidium parit. At contra illud est apud eosdem Græcos, Pulchra bis terq; repetenda. Quod id non molestiæ, sed uoluptati sit.

Homo bulla est. XXV

Bullas post cæteras significationes, etiam appellamus tumores illos, qui in aqua, præcipue cum bullit, repente excitantur, & repente euanescunt. Unde illud notißimum ac probatißimũ apud Varronem libro de re rustica primo, prouerbium legimus, Homo bulla est. Nulla certe fieri uerior comparatio potuit, ad uitæ humanæ fragilitatẽ ostendendam, sumus enim similes bullæ, fluxi & momento caduci.

Indoctos à Musis atque Gratijs abesse. XXVI

Quintilianus institutionum oratoriarum libro 1. cum de musica, & eius laudibus loquitur, ita inquit: Vnde etiam ille mos, ut in conuiuijs post cœnã circumferretur lyra, cuius cum se imperitum Themistocles confessus esset, ut uerbis Ciceronis utar, habitus est indoctior. Deniq; in prouerbium usque Græcorum celebratũ est, Indoctos à Musis atq; Gratijs abesse. Quo nos admonemur, non literarũ studijs tantum, sed certe rerum omnium artium disciplinis pro uirili, operam quoad uiuimus, impendere debere.

Prius testudo cursu præueniet leporem. XXVII

Græca parœmia est, πρώτερον χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα, hoc est, Prius testudo cursu præueniet leporem: quæ inde tracta est, nam testudo lente incedit, lepus autem habita tam parui corporis propor-

proportionis ratione, omnium ferè animalium uelocißimus est, unde quidam à pedum leuitate sibi nomen uendicasse uolunt, id quanquã Varro minime probat. Cum itaque fieri nõ poßit, ut testudo cursu præueniat leporẽ, de ijs quæ factu difficilia sunt, huiusmodi prouerbium dici solitum est. Alterũ de lepore apud Græcos prouerbium refertur, quod est:

Lepus carnem quærit. XXVIII

Græci dicunt δλαγώπυς κρεῶν ἐπιθυμεῖ, hoc est, Lepus carnem quærit. Quod de ijs dicitur, qui ab alio quærunt, quæ in se habent, quemadmodum lepus si carnem quærat, qua maxime abundat. Scribit enim Aristoteles leporem timidum animal omnium prædæ nasci solum, superfœtare aliud educantem, aliud in utero pilis uestitum habentem, aliud implume, aliud inchoatum, aliud non perfectum, quæ itidem Plin. libro viij. cap. lv. ad uerbum propemodum refert. Quod adagium eleganter interpretatus est Terentius in Eunucho, qui ait: Lepus tute es, & pulpamentũ quæris, Id est, ab alio, quod in te habes, hoc est, blandiris scorto, cum ipse sis scortũ, id quod si eius poëtæ interpretes intellexissent, non fuissent tot ambagibus usi in re simplici atq; aperta. Nec me clàm est, nonnullos esse, qui ad id referri uelint, quod singulis leporibus, ut Plinius ait, utraq; uis inest, uerũ prior sententia magis placet.

Ab ouo incipere. XXIX

Nemo ferè est, sit quamuis mediocriter eruditus,

quem fugiat, quàm longa sit Helenæ genealogia, & sæpe atq; sæpius à poëtis repetita. Ex quo quoties quis alte incipit, & propemodum supra principium, rem retexere, dicimus prouerbialiter, illum ab ouo incipere, cum ex gemino ouo, Castor, Pollux, Helena, Clytemnestra ortũ habuerint. Quod Horatius in poëtica arte ita scribens tetigit: Nec gemino bellum Troianũ orditur ab ouo. Fabulã uero alioqui uulgatiorem esse arbitramur, quàm ut hic sit repetenda.

Cretensis nescit pelagus. XXX

Cretenses olim nauigandi principatũ tenuere, unde sermone uulgatum est prouerbiũ, ut si quis quæ callet, se ignorare dißimulet, dicamus ironice, Cretensis nescit pelagus. Hæc ex Strabone lib. x. geographiæ.

Difficilia honesta sunt. XXXI

Plutarchus de liberis educãdis: Quod enim, inquit, inconsulto, ac temere dictum factumúe sit, id pulchrũ esse nequit, utq; in prouerbio est, difficilia honesta sunt. Sensus autem adagij facilis & apertus est, significat enim id ferè, quando uirtutis nomine omnia honesta continentur, quod Lactan. in primo diuinarũ institut. libro ait, qui ita scribit: Nam quia uirtutibus amaritudo permista est, uitia uero uoluptate condita sunt, illa offensi ac deliniti homines feruntur in præceps. Et Pittacus: Perdifficile est, inquit, bonum esse. & M. Tullius: Quod difficilius, hoc præclarius. Idem in calce tertij Tusculanarũ libri: Quid autem præclarũ, non

idem

idem arduum? & Martialis ad hoc idem alludens ad furem: Non sex paratur aut decē sophos numis. Sed ante istos omnes, Socrates apud Platonem, in .vi. de repub. meminit prouerbij inquiens: Et ut uere prouerbio dicitur, Præclara difficilia sunt. Et in Cratylo: O Hermogenes, ueteri prouerbio fertur, pulchra esse cognitu difficilia. Nam ab altero alterum pendet, ut difficilia sint pulchra, & pulchra difficilia.

Similis Bacelo. XXXII

Quintilianus oratoriarū institut. lib. v. An uero, inquit, statuarum artifices pictoresq; clarissimi, cum corpora quamspeciosissime pingendo, fingendoue, effingere cuperent, nunquā tamen in hunc inciderunt errorem, ut Bagoum, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis assumerent sibi, sed Doryphorum illum aptum uel militiæ uel palestræ, aliorum quoque iuuenum bellicosorū & athletarum decorare corpora existimarunt? Vbi Bagoum & Megabyzum pro imbellibus & mollibus accepit. sed mendose Bacchiā, ut Hermolaus super xxxv. lib. Plinij docet, scriptum erat, qui ait: Potes & Bacelum in Fabio legere, quem & semiuirum desidia & libidine insignem fecit prouerbium, βάκκηλος εἶ, id est, Similis Bacelo, autor Suidas. Quo in ualde molles homines & itidem libidine insignes decenter uti licebit.

A lasso rixam quæris. XXXIII

Hoc antiquum est prouerbiū, dicente Seneca lib.

de ira iij. Vetus dictum est, A lasso rixam quæri. Vnde quoties quispiã siue diues, siue uiribus præstans hominẽ pauperẽ iritat, uel imbellem aut defatigatũ ad pugnã prouocat, eleganter dicimus, A lasso rixam quæris, quippe qui reluctari nec potest, nec omnino audet.

Diuturnæ lemæ. XXXIIII

Est quidem lema Græcis lachryma, sed congelata, ut testatur Plinius lib. xxiij. capit. i. ita scribens: Si lemæ in oculis erunt. licet omnes ferè codices, ut Hermolaus perspicue demonstrat, perperam lachrymæ, non lemæ habeãt. Et quoniã huiusmodi lemæ, id est, lachrymæ si diutius in oculis congelatæ fuerint, hominẽ segnem ac pene stultũ rebusq; suis indormientẽ significant, ut socordiæ certum & stoliditatis indiciũ, hinc apud Aristophanem prouerbiũ est, κρονικαὶ λῆμαι, hoc est, diuturnæ lemæ. In eos, qui parũ prudẽtes sunt.

Ita fugito, ne præter casam. XXXV

Hoc uetus est prouerbium, significat autem unumquenq; debere uitium uel culpam uel insaniam fugere, sed ita ut nullo id pacto præter casam suã sit, hoc est, ne prætermittat casam suam, quæ sit ei tutißimũ receptaculum, quod eleganter à Terentio in Phormione usurpatur. Nos autẽ decenter uti possumus, cum significare uolumus, esse rebus nostris semper caute ac prospicienter consulendum.

In lente unguentum. XXXVI


Apud Gell. lib. noct. Atticarum xiij. cap. xxviij.

prouer-

prouerbiũ græcum legitur, sic enim ait: Ne planè fiat græcum illud de Varronis saty. prouerbium, τὸν ὡδὶ τῇ φακῇ μῦθον, id est, in Lente fabulã. Sed mendose scriptum est, ut perbelle Hermolaus demonstrat, qui non fabulam, sed unguentũ, & non μῦθον sed μύρον quod unguentũ significat, legendum esse docet. Male igitur lens leguminis genus cum unguento conuenit. Ex quo cum uolumus notare quempiã haud satis com mode cum aliquo copulatum esse, ad aliqua munia obe unda, dicimus, In lente unguentũ est. Hoc prouerbiũ usurpat etiam M. Tullius epistola penult. libri primi ad Atticum decenter, ubi in lente unguentum dixit, cum carpere uoluisset Lentulum Clodiæ filium haud quaquam cum Metello Cretico, & L. Flacco uiris cla rißimis in legatione collegam copulandum.

Nihil cum fidibus graculo, nihil cum ama- racino sui. XXXVII

Idem Gell. in calce operis meminit ueteris prouer bij, quod haud longe abest à superiore, sic enim ait: Vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui. Sensus prouerbij est satis apertus, quo significatur, neq; musicã graculis auibus obstrepe ris, & clamosis, neq; unguentũ porcis immundis & lutosis cõuenire, amaracinũ enim penultima correpta teste Plin. lib. xiij. cap. i. unguenti genus est, quod, ut apud Lucret. lib. vi. est, peculiariter sues odere. Hoc igitur prouerbiũ in eos usurpamus, qui ut Vergiliano



utar uerbo, illaudati ſeſe cum uiris illuſtribus conferre, & ampliſsimos honores inhiare audent.

Harenam menſuras. XXXVIII

Cum Liber Pater per deſerta Libyæ, exercitũ duceret, uniuerſa iam Aſia deuicta, & ſite admodum laboraret, imploraſſe à patre auxilium dicitur, quo facto, apparuit ei extemplo aries, quem dum fugientem ſequitur, perueniſſe illo duce, ad fontem amœniſsimũ, & deſiderio potus exiſtimaſſe arietem illum fuiſſe Iouem, eiq; templũ miræ magnitudinis in harena conſtituiſſe, de quo Mart. uerſus: Diſsimuletq; deũ cornibus ara frequens. Id licet Politianus de Apollinis ara in Delo dictum eſſe contendat, & deum uocaſſe Ammonem, hoc eſt, Iouem harenarium, Græci enim ἄμμον harenam uocant, Vnde eſt frequens hoc apud eos prouerbium, de fruſtra in re difficili laborantibus, ἄμμον μετρεῖς, hoc eſt, Harenam menſuras. Ex quo, alterum adagium eſt ortũ, Maris harenæ numerus me latet. & Plato in ſuo Theæteto utitur, ubi Socrates ait: Præterea num bene an male in ciuitate quis ſe habuerit, aut ſi quid alicui malum eſt, turpisq; nota à maioribus ſuis ſeu fœminis, ſeu uiris, magis eos latet, quàm maris, ut dici ſolet, harenæ numerus.

Cyprij bouis merenda. XXXIX

Veteres Cyprij bouis merendam loco prouerbij uocabant turpem cœnam, ac uilem ſignificare uolentes, quoniam in Cypro inſula boues humano ſtercore paſcebantur

pascebantur, autor Festus Pompeius.

Iacta est alea. XL

Appianus Alexandrinus lib. ij. ciuilium bellorum, & Sueton. autores sunt, Cæsarem cum è Gallia rediēs armato exercitu, quod ne fieret, senatu cautum erat, Rubiconis ponticulum transisset, Iacta est alea dixisse. Quod profectò iam olim in prouerbij consuetudinem uenit, cum sic cœpta res est, ut desistere integrum non sit, ut dicamus: Iacta est alea. Iacere enim aleam, significat se periculis exponere, de quo Cicero in Philippicis meminit, nam hoc incertos ac audaces subeuntibus casus, ut Plutarchus prodit, uulgò exordiũ esse solet. Alea autem dicitur de omni ludo in fortunæ uarietate collocato, accipiturq́; pro periculo, atq; discrimine & rerũ euentu. ut Plinius: M. Tullius extra omnem ingenij aleam positus. & Lucanus quoque: Placet alea fati, Alterutrum mersura caput.

Das assem elephanto, uel tuam metuis umbram. XLI

Hoc dictitare solebat Augustus Cæsar, ut testis est Suetonius, cum quispiam illi libellum timide porrigeret. Cuius etiã rei Macrob. est autor, qui in Saturnal. lib. ij. ita ait: Augustus cum ei quidam libellum trepidus offerret, & modo proferret manum, & modo traheret, Putas, inquit, te assem elephanto dare? Nempe qui assem hoc est numũ elephanto dabat, cum pauore, & formidine porrigebat. Vnde in eos qui timide ali-

quid agunt, prouerbiũ Das *assem elephanto*. De hoc Quintil. *quoq; lib. institut. orat. vi. meminit*. *Quod autem elephantis à populo numi dabantur, hoc testatur* Plin. *sic scribens in* viij. *de elephantis: Stipes quas populus dedisset seruatæ, & in sinu effusæ. Est aliud uel in timidos prouerbium apud* Græcos, *Tuam metuis umbram*.

Lupus est in fabula. XLII

Luporũ uisus creditur homini noxius esse, uocemq; ei quem priores uiderint, adimere. Verg. *in. bucol. ita scribens testatur*: Nunc *oblita mihi tot carmina, uox quoq;* Mœrim Iam *fugit ipsa, lupi* Mœrim *uidere priores. Hinc factum est prouerbiũ, Lupus est in fabula, quoties superueniente eo, de quo sermo erat, necesse est tacere, quod* Teren. *in* Adel. *usurpat, &* Cicero *ad* Atticum *libro* xiij.

Hic nauigat Anticyram. XLIII

Anticyra insula est, ad regionem Phocaicam *pertinens, in* Corinthum *uersa, in qua ingens ellebori copia nascitur, quod multis remedijs efficax est, quippe comitiali medetur morbo*. Quam *ob rem teste* Plinio, *ferunt Liuium Drusum Anticyram petisse*. Item *ad purganda corpora ualet*. Ouid. *in* iiij. *de* Ponto: I, *bibe, dixissem, purgantes pectora succos*, Quicquid *& in tota nascitur Anticyra*. Sed *potissimũ insaniam tollit, teste* Horat. *ij. sermonum, qui de auaro insanienti ait*: Danda *est ellebori multo pars maxima auaris*. & Per

sio Saty.

sio Saty.iiij. Anticyras melior sorbere meracas. Hinc *igitur prouerbiũ fluxit, ut cum perbelle & subobscure quempiam tanquã minime mentis compotem, insaniæ coarguere uolumus, dicamus:* Hic nauigat Anticyrã.

Sunt apinæ tricæq́;. XLV

Martialis in Apophoretis uersus est, ait enim: Sunt Apinæ, Tricæq́;, *& si quid uilius istis.* In cuius, bona *uenia dictum sit, interpretatione,* Domitius *uir alioqui non indoctus perspicue hallucinari & claudicare uidetur, qui inquit: Apinæ, nam res leuiores solebant mitti in apophoretis, ab apino fructu fragilis corticis, tricæ impedimenta dicuntur.* Hoc ille. Quod *quantum sententiæ urbanißimi poëtæ conueniat, aliorum iudicio pensitandum relinquimus. Cæterum ego affirmare ausim* Martialem *in hoc loco haud dubie uetus tetigisse prouerbium, quod huiusmodi est. Apina* Tricaq́; *duo Apuliæ oppida fuerunt, quæ teste* Plinio *lib.iij. cap. xi.* rex Diomedes *euertit, tanta ignominia, ut in prouerbij ludibriũ transierint.* Quoties itaq; *rem uilem & nullius precij ostẽdere uolumus,* Apinas *&* Tricas *nominamus.* Quod *uehementer cum poëtæ sensu consentit.*

Tanquam polij folium es. XLVI

Polium *herba autore* Plin.*lib.xxi.cap.vij.inclyta est,* Musæi *&* Hesiodi *laudibus celebrata, ac ad omnia utilis, quæ prorsus miram in se uarietatem repentinamq́; mutationem habet, eius enim folia, ut tradunt,*

mane candida, meridie purpurea, sole occidente cœrulea aspiciuntur. Vnde iam prouerbij instar inoleuit, ut cum uolumus quempiã taxare, quod aliud, ut Sallustianis uerbis utar, stans, aliud sedens sentiat, & uarius & mutabilis sit, dicamus, Tanquã polij folium es.

Vbi uber, ibi tuber. Vbi mel, ibi fel. XLVII

Hoc adagium luculenter à Plauto in Amphytrione his uerbis declaratur, ait enim: Ita dijs placitũ est, ab eodem culmine uoluptas & ei mœror comes sequitur. Quod regnũ, est enim rerum omnium uicißitudo, utrunq; potißimum habet, ut Dionysij Syracusanorũ tyranni exemplũ illud celebre demonstrat, nam illius Democles quidam, ut Cicero in ultima Tusculan. & Horat in ij. carminũ referunt, diuitias atq; opes uehementer admirabatur, illumq́; felicem putabat. At Dionysius qui sibi suarum curarum conscius esset, Vis'ne, inquit, Democles quàm felix sit uita tyrannica degustare? cum ille annuißet, iußit hominem in strato purpura atque auro exornato recumbere, epulasq́; regio luxu instructas apponi, adesseq́; illi, qui administrarent, pulcherrimos pueros, adeò ut felicißimũ illis rebus se putare Democles posset, uerum eodem tempore ex laquearibus triclinij, acutum ensem equina seta ligatum supra discumbentis caput pendere uoluit. Maximo timore per omnia temporis puncta, afficiebatur Democles, ne in caput suum decideret ensis, Ita tantũ abfuit,

abfuit, ut ullam ex tanto rerũ apparatu uoluptatem ce perit, ut etiam tyrannũ orauerit, quo sibi abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Quod itidem teste Sueton. Augustus cognoscens, de deponendo imperio bis cogitauit, quod tamen ne faceret Vergilius suasit. Te quoq; Guido princeps ne tam dira cupido capiat, est enim pulchrũ imperare, sed bene, ut tu ipse facis, admodum difficile, quod Diocletianus dictitare solebat.

Argentanginam pati. XLVIII

Critolaus scripsit legatos Mileto publicæ rei causa uenisse Athenas, tum qui pro sese uerba facerent, quos uisum erat aduocasse, aduocatos, uti erat mandatum, uerba pro Milesijs ad populum fecisse. Tunc Demosthenes Milesiorum postulatis acriter respondit, res in posterum diem reiecta est. Legati ad Demosthenem uenerunt, magnoq́; opere orauerunt, uti contrà ne diceret, à quibus autore Gell. lib. xi. cap. ix. pecuniæ quantum petijt, accepit. Postridie cum res agi denuo cœpta esset, Demosthenes lana multa collum, ceruicesq́; circumuolutus ad populũ prodijt, & dixit: συνάγχην, id est, anginam pati, quæ est morbi genus, eo contra Milesios loqui nõ quire. Tum è populo unus exclamauit, Non συνάγχην, Id est, anginam, sed ἀργυράγχην, hoc est, argentanginã. Quod etiam ipse Demosthenes postea nõ concælauit, quin gloriæ quoq; sibi assignauit, nam cum Aristodemũ actorem fabularũ interrogasset, quantũ mercedis uti ageret, accepisset, &

Aristodemus talentũ respondisset, At ego plus, inquit, accepi, ut tacerem. Hanc quamuis historiam C. Gracchus in orationibus eodẽ Gellio testante, in Demadem contulerit. Quod quidem prouerbiale schema undecunq; sit, uice prouerbij increbuit in eos, qui pecunias accipiunt, ut iniuste agant, uel cum in agendis causis loqui debeãt, ipsi tacent pecunia corrupti, id quod pessimi faciunt aduocati.

Nodum in scirpo quæris. XLIX

Scirpi teste Donato, lenis iunci species sunt, & quoniam nodo carent, hinc factum est prouerbiũ, Nodum in scirpo quæris, de ijs, qui in rebus claris atque apertis, difficultatem quærunt, quod scienter à Terent. in Andria citatur.

Homeromastix. L

Zoilus libros aduersus Homerum scripsit, eosq; Alexandriam ueniens Ptolemæo regi recitauit. Ptolemæus cum audiuisset poëtarum parentem indigne carpi, nullum illi responsum dedit. Zoilus cum diu fuisset in regno, rerum tandem inopia compulsus regẽ adijt rogans, ut sibi dari aliquid iuberet. Tunc rex inquit: Homerus qui mille ante annis deceßit, æuo perpetuo tot millia hominum pascit, quare tu quoq; debes, qui meliore ingenio te profiteris, non modo unũ, sed etiam plures alere posse. Dignũ profecto sapientißimo rege responsum. Is uero sibi cognomen adoptauerat, ut Homeromastix uocaretur, Ouidio dicẽte in primo de remedio

medio amoris, Ingeniū magni liuor detractat Homeri, Quisquis es ex illo, Zoile nomen habes. Quod uerbum apud Græcos, flagellum significat. Tractum inde prouerbium, ut omnes huiusmodi doctorū uirorum calumniatores, Homeromastigas nominemus, omnibus deniq; obtrectatoribus accōmodari potest, ut Vergiliomastix. Gellius in fronte xvij. noct. Atticarū libri: Eius liber, inquit, etiam fertur nefando titulo Ciceromastix. Vsurpat Plinius quoq; in suo procemio.

Ad Calendas græcas. LI

Augustus Cæsar, ut Tranquil. tradit, cum uolebat aliquem nunquā esse soluturū significare, non illepide dicebat, Soluet ad Calendas græcas, hoc est, nunquā, quia Græci non habēt calendas, sed neomenias, id est, nouilunia, quippe qui & ad cursus lunæ usuras soluebant, ad quod Cæsar allusisse uidetur. In itidem significatum quoq; elegāter dicimus, Ad neomenias Latinas, quia, ut refert Hieronymus, ad Fregellam de interpretatione psalmorum, Latini neomenijs carent. Atq; sic utrunq; dictum non inconcinne apud uulgus, in prouerbij consuetudinem iam olim uenit.

Leges bonæ ex malis moribus procreantur. LII

Cum populus Romanus, ut ne altius repetamus, nimio luxu corruptus sumptuosißimus in cœnis effectus esset, ita ut, uelut Horatius ait, nusquam medium esset, multæ seuerißimæ leges ad huiusmodi luxuriam

coërcendam latæ sunt, quas Cato cibarias appellauit, cæterum sumptuariæ dicebantur, id est, de moderandis sumptibus latæ. Inde uetus prouerbium manauit, Leges bonæ ex malis moribus procreãtur. Etenim nisi pessimis effusissimisq; uiueretur moribus, profectò nõ opus ferundis legibus esset, de quo Macrobius libro Satur. iij. mentionem facit. Cæterum dices, Si istuc legum initium, quis igitur finis? Is scilicet, ut, quemadmodum Plato in Epinomide tradit, & deos recte colamus, & puram degamus uitam.

Euenit illi, quod Polluci. LIII

Suetonius de ædilitate Cæsaris ita scribit: Venationes autẽ ludosq; & cum collega, & separatim ædidit, quo factum est, ut cõmunium quoq; impensarum solus gratiã caperet, nec dissimularet collega eius M. Bibulus euenisse sibi quod Polluci. Hæc ille. Ideo enim dicebat Bibulus sibi accidisse quod Polluci, nam cum templum esset sacratũ Romæ in foro, teste Liuio lib. ij. Castori & Polluci, unius tamẽ Castoris dicebatur. Quod uice prouerbij usurpari potest, cum duo cõmune munus obeunt, alter uero muneris mercedem assequitur.

Ede nasturtium. LIIII

Nasturtium autore Plinio lib. xx. cap. xiij. herbæ genus est, nomen autem à narium tormento accepit. Vnde factum est prouerbiũ, ad excitandum torporem ἔσθιε κάρδαμον, hoc est, Ede nasturtiũ. Quod perinde est, ac si diceremus, Expergiscere, excitare.

A caluo,

A caluo, ad caluum. LV

Caius Caligula altera fax humani generis stans, ut testis est Tranquillus, intra mediam porticum, uolens ut indifferenter omnes custodiæ ad supplicium deducerentur, hac prouerbiali elocutione, id est, à Caluo ad Caluũ, usus est. Cuius rei ut Dion. autor est, ratio hæc est, cum enim Caligula recognosceret custodias, duo forte aderant Calui, alter in summo, alter in imo carceris, ita ut inter duos Caluos omnes custodiæ continerentur. Caius igitur ut nullo delictorũ discrimine facto omnes ad unum punirentur, ita pernicioso artificio ad suppliciũ duci imperauit. Quod loco prouerbij nunc uulgus in ore habet, cum uult innuere bonos & malos homines pariter ab aliquo iniquo iudice puniri, uel aliud aliquid perperam nullius rei habita ratione, fieri.

Non omnium est uirorum Corinthum nauigatio. LVI

Strabo libro geograph. viij. cum de Corintho loquitur, ita inquit: Veneris etiam templũ adeo locupletatum extitit, ut supra mille deæ prostitutas puellas caperet, quas Veneri uiri mulieresq; addixerãt. Propter has igitur frequens in urbem multitudo turbaq; cõueniebat, unde ciuitas mirum in modum ditabatur, nautæ etiam leuiter sumptus factitantes absumebantur. Hinc uulgatum ueteri sermone prouerbiũ, Non omnium est uirorum Corinthum nauigatio, Phocion autem, ut Gellius est testis, inde natũ tradit, quod Lais

meretrix non admittebat, nisi qui soluerent, quantum posceret, cuius Horatius *quoq; libro epistolarũ primo meminit.* Nos *autẽ uti possumus, cum innuere uolumus fortunã non æqua lance omnibus fauere.* Eôdem *etiam* Strab. *teste, cuiusdam meretricis facetum illud posteris uulgatũ est responsum, porrò cũ altera illi exprobraret inertiã, quod nulla operis teneretur industria, nec lanas attingeret,* Ego, *inquit, talis in hoc breui tempore ternas disposui telas, innuens se maiorem diuulgando corpore quæstum fecisse, quàm illam ex lanificio.*

Pœnitere tanti non emo. LVII

Cum inter eas meretrices, de quibus superius diximus, Lais esset, quæ autore Gell. *lib.i. cap.viij. ob elegantiam uenustatemq; formæ, grandem pecuniam acquirebat, cõuentus ad eam ditiorum hominũ ex omni* Græcia, *celebres erant, nec tamen admittebat, nisi qui daret, quod poscebat, poscebat autem illa nimium.* Ad *hanc ille* Demosthenes *clanculũ adijt, & ut sui copiam faceret, petijt.* At Lais *μυρίας δραχμας, id est, decẽ drachmarũ millia poposcit.* Tali *petulantia mulieris atque pecuniæ magnitudine ictus expauidusq;* Demosthenes *auertitur, & discedens,* Ego, *inquit, pœnitere tanti non emo.* Quod *iam quondam in elegantißimi adagionis consuetudinem uenit, quem nos uel in consimili re, uel cum ea declinamus, quæ si faceremus, paulò post pœnitentiam nobis allatura forent, prouerbialiter ac festiuiter usurpare quimus.*

Hic habet

Hic habet fœnum in cornu. LVIII

Boues cum cornu petunt, mos est, ut in eorum corniculis fœnum alligetur, quo signum datur transeuntibus, ut caueant. Hinc prouerbium fluxit, ut cum hominem maledicum cernerent, fœnum habet in cornu dicerent. Horatius in primo sermonum: Fœnum habet in cornu, longe fuge.

Prandium caninum. LIX

Prandium abstemium in quo nihil uini potatur, prouerbiali figura, caninum appellatur, quia canis uino caret. hæc Gell. lib. xiij.

Nulla dies sit, sine linea. LX

Apelli illi omnium pictori optimo perpetua consuetudo fuit, nunquam tam occupatum diem agendi, quin lineam ducendo, artem exerceret. Ex quo natum est prouerbium, ut cum significare uolumus, non esse frustra terendum tempus, Nulla sit dies, sine linea, dicamus.

Citius elephanti parient. LXI

Plinius in præfatione inquit: Cum celerius etiam elephanti parient. Quod ideo prouerbio increbuit, quia decem annis, ut idem Plinius lib. viij. cap. x. tradit, gestare in utero elephantos uulgus existimat. Atqui Aristot. biennio, nec amplius quàm singulos uno partu gigni refert. Vnde uetus adagium est, cum significare uolumus, aliquid tarde fieri, ut dicamus, Celerius elephanti parient. Ad hoc uel illo utimur:

Citius mula pariet. LXII

Huic finitimum est illud, Citius mula pariet. Sanè Plinius lib. viij. cap. de mulis ita disserit: Obseruatū ex duobus diuersis generibus, nata tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia, eaq; ipsa quæ ita nata sunt, non gignere, in omni animalium genere, idcirco mulas non parere. Quod etiam testatur Arist. lib. x. de animalibus, qui inquit: Genus mulorum totum est sterile. Extat tamen in annalibus peperisse sæpe, uerū prodigij loco habitum. Quod Appianus Alexandrinus lib. i. in prodigijs accidisse, ante Syllæ ingressum in urbem, prodit. Theophrastus uulgò parere in Cappadocia tradit, sed esse id animal ibi sui generis. Item Plinius lib. xxx. cap. ult. quod non longe ab re est, cum de quarundam bestiarum miraculis loquitur, Puluerem, inquit, in quo se mula uolutauerit, corpori inspersum mitigare ardores amoris.

Velocius quàm asparagi coquantur. LXIII

Augustus Cæsar ad explicandā, autor Tranquillus, festinatæ rei uelocitatem, dictitabat, Citius, quàm asparagi coquantur, qui cum cito coquantur, iam Cæsaris dictū inter prouerbia meritò adnumerandū uidetur.

Ad uiuum non reseco. LXIIII

Hoc à medicis tractum est, qui usque ad uiuam carnem, uulnera curant, quo Lælius in amicitia ad superstitiosam nimisq; subtilem refutandam Stoicorum de sapientibus sententiam, usus est. Quod significat non

esse omnia ad unguem exploranda, à quo non dissonat illud ab eodem Lælio prouerbij loco paulò inferius usurpatum.

Agamus pingui Minerua. LXVI

Minerua ingenium dicitur, est enim ingeniorũ dea, quare cum significare uolumus, non oportere nimis anxie & morose, atque curiose omnia inquirere, dicimus, Agamus pingui Minerua, id est, crasso ingenio, quod Columel. lib. xij. ita scribẽs usurpat: In hac autẽ ruris disciplina, non desideratur eiusmodi scrupulositas, sed ut, quod dicitur, pingui Minerua &c. Cuius deæ cũ mentio facta sit, non erit alienũ, subijcere illud,

Sus Mineruam docet. LXVII

Mineruam non solum ingenij, ut dictum est, deam esse poëtæ finxerunt, sed sapientiæ omnes appellant, quippe quæ ex uertice capitis Iouis nata est, quare Horatius in carmine ait: Proximos illi tamen occupauit Pallas honores. Nam deo nemo propinquior est, quàm ipse sapiens. At sus cum omnium animalium immundissimus sit, quid tam impar & indecẽs ac absurdum est, quàm suem docere Mineruam? Quoties igitur hominẽ imperitum uidemus, qui sapientem docere nitatur, neutiquam illepide huiusmodi prouerbio utimur, quod Hieron. in quadã ad Ruffinũ epistola usurpat, qui illud quoq; loco adagij in eadem epistola,

Oportet mendacem esse memorem. LXVIII

Hieron. inquit: Oblitus ueteris prouerbij, mendaces

memores esse oportere. Et Apuleius in apologiæ oratione ij. Sæpe audiui non de nihilo dici, mendacem memorem esse oportere. Cui illud Terentianum: Fallacia alia aliam trudit, subiacet.

Tenebræ cimmeriæ. LXIX

Vetus adagium est ab antiqua historia sumptum. Cimmerij enim populi Scythici fuerunt, à quibus Bosphorus Cimmerius nominatus est; quamuis Strabo in vij. geograph. Cimmeriũ Bosphorum quasi Cymbriũ à Cymbris dictum putet. Cimmeriorum autem clima cum tenebrosum sit, & aër quoq; caliginosus, ut testis est idem Strabo in .i. & Tibullus: Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras, Quîs nunquam candente dies apparuit ortu. Hinc deductum est prouerbium, Tenebræ Cimmeriæ, in eos, qui tanquam cæci omnis ueritatis expertes sunt, quod Lactantius Firmian. lib. diuinarum institut. v. cap iij. sic scribens usurpat: O cæcum pectus, ô mentẽ Cimmerijs, ut aiunt, tenebris atriorẽ. Et diuus Hieronymus contra Ioannem Hierosolymitanũ: Rogo, inquit, quæ tanta est cæcitas Cimmerijs, sicut aiunt, tenebris inuoluta? Cimmerios etiã Ephorus in Italia fuisse tradit iuxta lacum Auernum, & in subterraneis habitasse domicilijs, eorumq; morem patrium, ut solem nemo intueretur, sed nocturno tempore egrederentur, de quibus Dionysius de situ orbis meminit, & Festus Pompeius ita scribens: Cimmerij dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras

ras incolunt, quales fuerunt inter Baias, & Cumas in ea regione, in qua conuallis satis eminenti iugo circundata est, quæ neque matutino neque uespertino tempore sole contingitur.

Homo duræ ceruicis. LXX

Ceruix in singulari præter alia significata, à scriptoribus sæpißime pro superbia usurpatur. Vnde uice prouerbij increbuit, Homo duræ ceruicis, hoc est, superbus, uel ab eo, quia ceruix posterior colli pars est, ex qua origo est omnibus neruis, & quoniã nerui ipsi corpus erectum ac rigidum faciunt, qui in ceruice sunt collocati, ideo dicimus, Hominem duræ ceruicis, quasi indomabilem, more ferocium boum. Et à diuo Hieron. in interpretatione ueteris instrumenti dictum est: Populus iste duræ ceruicis est.

Dies adimit hominibus dolorem. LXXI

Hoc autore Terentio in Heauton. uetus est adagiũ, apud quem Menedemus conquerens: Aut illud, inquit, falsum est, quod uulgò audio dici, Diem adimere ægritudinem hominibus. Significat autem illud, quod Seruius Sulpitius ad Ciceronem de obitu Tulliæ scribens ait: Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atq; molliat. Vnde uere Ouidius tempus rerũ edax appellat, quãdo dolorẽ minuit, uel tollit. Quod haud facile est, nam, ut Cicero ait, cui placet obliuiscitur, cui dolet meminit. At huic adagio peropportunus locus erit, quando innuere uolumus tempus omnia con

sumere, quia, uti M. Tullius *dicit, nihil est opera manuq; factum, quin non minuat, consumatq; uetustas. &* Horat. *in carmine:* Damnosa *quid non minuit dies?*

Epimenidis *somnum dormit.* LXXII

Epimenidem, *autor est* Plin. *lib. vij. cap. lij. et* Laër. *lib. i.* Gnosum *puerum aestu & itinere fessum in specu septem & quinquaginta dormisse annos, rerum faciem mutationemq; mirantē uelut postero experrectū die. Ex quo fictiua haec allusio loco iam prouerbij uulgata est, ut cum uolumus notare quempiā, quia segnis & somniculosus sit, totumq; uitae ferè tempus edormiat, dicamus,* Hic Epimenidis *somnum dormit.*

Nec omnia, nec paßim, nec ab omnibus. LXXIII

In quadam diui Seueri *epistola &* Imperatoris Antonini *graecū adagium reperitur, ea citatur ab* Vlpiano *lib. i. de proconsulis officio, eodemq; titulo ponitur in ff. lib. i.* Verba *sunt haec epistolae, quae quoniam elegantißima, & bonae frugis plena sunt, ediscenda ijs censeo, qui rempub. gesturi sunt:* Quantum, *inquit, ad xenia pertinet, audi quid sentimus.* Graecum *prouerbium est,* οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων, *hoc est,* Nec *omnia, nec paßim, nec ab omnibus.* Nam *ualde inhumanū est, à nemine accipere, sed paßim uilißimum, & per omnia auarißimū.* Ab *hoc igitur celebri adagio addiscant, qui magistratus gerunt, uel ipsi etiam principes, ut munera recipienda sint,*

quae,

quæ, ut apud Mosen in Exodo, non minus uere quàm eleganter legitur, obcæcant prudentes, & iustorum uerba subuertunt. In ijs proinde capiendis, modus habendus est, quemadmodum hoc prouerbio monemur.

Pollicem premere. Conuertere pollicem. & Tollere digitum. LXXIIII

Vetus prouerbium est, autor Plin lib. xxviij. cap. ij. ubi ait: Pollices cum faueamus, premere etiam prouerbio iubemur, quod Horat. epistolarũ lib. i. tetigisse uidetur sic scribens: Consentire suis studijs qui crediderit te, Fautor utroq; tuum laudabit pollice ludum. Ex quo illud Iuuenalis peritißime: Et uerso pollice uulgi Quemlibet occidunt populariter, ut si uerso pollice, tollatur fauor, nam ut fauere, qui pollicem premerent, ita censeo, qui uerterent, denegare gladiatoribus fauorem credebantur. Quemadmodum autore Augustino de ciuitate dei lib. xix. cum de Isidis & Serapidis simulacro loquitur, digito labijs impresso, silentium fieri significatur, & Tollere digitũ, teste Cicer. in Verrẽ, & Martial. lib. v. ad hospites, est, se uel conductorem, uel emptorẽ ex publica uenditione, aut locatione significare. Item & se uictum fateri, quando qui in conflictu succubuisset, eo signo indicabatur, dicente Persio: Nil tibi conceßit ratio, digitum exere, peccas.

Scytala Laconica. LXXV

Marcus Tullius in quadam ad Atticum epistola sic ait: Habes scytalam Laconicam. Quo prouerbialiter

dicto significare uoluit epistolam breuissime scriptã, & occulto significatu obscuratam, sicut Lacedæmonij ueteres facere consueuerunt, qui occultare uolentes literas publice ad Imperatores suos missas, ne ab hostibus exceptæ consilia sua indicarent, epistolas mirando cõmento scriptas mittebant, nanq; lorum tenuissimum surculo tereti atque oblongo complicabant, & in eo loro literas per transuersas iuncturarũ oras inscribebant, id lorum deinde ex surculo reuolutum Imperatori suo mittebant, qui istiusmodi rei bene conscius surculo compari quem habebat, lorum consimiliter complicabat. Atq; ita literæ per ambitum eundem surculi, coalescentes rursum coibant, & ita integram & incorruptam epistolam, & facilem legi præstabant. Hoc *genus epistolæ græce, scytale Laconice nuncupatur, autores Gell. lib. xvij. cap. ix. & Plutarchus in Lysandro. Cum Cicero igitur exemplum epistolæ Marci Antonij ad se missæ inseruisset epistolæ ad Atticum, dixissetq;, Habes scytalam Laconicam, hoc est, epistolam breuitate Laconica scriptam, & super rebus arcanis compositam, sicut Lacones componere consueuerant, nos itidem cum significare uolumus furtiua scripta, uel per notas cõposita, ut dictator Cæsar, autore Suetonio, facere consueuit, nominare possumus prouerbialiter, Scytalam Laconicam.*

Conscientia mille testes. LXXVI

Nihil equidem est, quod magis penitus hominem introspiciat,

trospiciat, eiusq; animũ noscat, quàm ipsa conscientia, quæ si scelerũ conscia est, nos semper solicitat, & torquet, Iuuenale dicente: Et tacita sudant præcordia culpa. Sin bene actæ uitæ non expers est, oblectat & fouet, atque aduersus omnia maledicta tuetur. Vnde uetus manauit prouerbiũ, Consciẽtia mille testes. perinde ac si diceretur, eam uim conscientiã habere, quã mille testes. de quo Quint. in v. meminit.

Albus an ater sis, nescio. LXXVII

Catullus in Cæsarem hoc uetus prouerbium exprimit, ubi inquit: Albus an ater homo. Per quæ uerba prouerbialiter prolata, significat parui se facere, utrum Cæsar bonus sit, an malus. Albus enim bonum & liberalem, ater uero malum & sordidum signat, sicuti interpretatur Porphyrio apud Horatium, qui & ipse in secundo epistolarum libro, in ultima ad Iulium Florũ epistola, hac prouerbiali elocutione usus est illo uersu: Mortalis in unũ, Quodq; caput uultu mutabilis albus & ater. De hoc intellexit Quintil. libro xi. Cum negat, inquit, se magnifacere aliquis poëtarum utrum Cæsar sit ater an albus homo. Meminit & Cicero Philippica secunda, quod apud eruditos frequens est, sicut apud Apuleium qui ita scribit in apologia: Etiam libenter te nuper usq; albus an ater esses, ignoraui, adhuc hercle non satis noui. Et apud diuinũ Hieronymũ scriptum legimus in libro contra Heluidium: Quare balbutis & erubescis? albus, ut aiunt,

uter ue sis nescio. Nos autem hoc adagium usurpare possumus in eos, quos subdole notamus, minime bonos esse, solet item ad eos apte torqueri, quos prorsus ignoramus, utpote quos nunquam uidimus, uelut Apuleius cum primis est usus.

In portu nauigare. LXXVIII

Nam qui in portu nauigat, tutus est à tempestate & fluctuum impetu. Ex quo, cum uolumus dicere prouerbialiter, tuti sumus, dicimus: In portu nauigamus. & est allegoria.

Da mihi testimoniũ mutuum. LXXIX

Græci olim in testimonijs dicendis, nullius religionis, nullius fidei hominum genus, testimonia inuicem inter se mutuabant, quo fiebat, ut eiusmodi testes non iurisiurandi, sed lædendi eum, uerba meditarentur, in quem testificabantur. Vnde apud eos prouerbium erat, Da mihi testimonium mutuum. dicente M. Tullio in oratione pro Lucio Flacco: Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit, totiusq; huiusce rei quæ sit uis, quæ autoritas, quod pondus ignorat. Vnde illud est, Da mihi testimonium mutuum? num Gallorum, num Hispanorum putatur? totum istud Græcorum est. Quod & in falsos testes, & in eos qui turpiter inter se beneficia fœnerantur, recte quadrabit.

Tanquam habeas tria nomina. LXXX

Nobiles Romani ferè omnes tribus nominibus, prænomine,

nomine, nomine, cognomine notabantur, ut C. Iulius Cæsar. Antiquis autem simplicia nomina erant, ut Romulus, & Remus, prænomen à Sabinis cos sumpsisse Priscianus autumat, idque uel differentiæ causa, uel quod tempore quo Sabinos Romani asciuere ciuitati, ad confirmandam coniunctionem, nomina illorum suis præponerent nominibus, esse factum tradit. Ex quo illud satyricum: Tanquam habeas tria nomina, id est, tanquam sis nobilis, uel tanquam sis in libertatem assertus, ut Politiano placet, qui hoc de ijs qui manu mittebantur, à poëta dictum putat. Sed undecunque sit, iam in prouerbium abijt in eos, qui sibi ipsis plus quàm par sit, ultra dignitatem tribuunt, uel cum uiles sint, nobilitatis decora sibi poscunt. Solebant ingenui, quod obiter dicam, eiusmodi nomen, prænomen & cognomen tribus literis notare, ut M. T. C. pro Marco Tullio Cicerone. Vnde non minus prouerbialiter per ironiam, quis posset trium literarum homo dici, cum nobilitatem fastidiose iactaret.

Operam & oleum perdere. LXXXI

Marcus Tullius lib. vij. epist. familiariũ ad Mariũ, uetus prouerbiũ citat ita inquiens: In quibus ipse Pompeius profitetur se & operam & oleum perdidisse, hoc est, omnem laborem irritum fuisse. Quod tractum est, uel à palæstritis, quibus dabatur oleum, ut ungerentur, uel ab ijs, qui multũ & frustra uigilantes oleũ consumunt. Vnde in prouerbio eruditorum dicitur:

Plus olei quàm uini consumpsit. Quod equidē tu Guido princeps uere usurpare potes, qui manifestum iter ad ingenij lumen ostendens à teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, usqueadeò diligenter primis literarum elementis insistere cœpisti, ut, uide quantū sit assuescere, deinceps nullos studiorum labores, nullaq; incōmoda subterfugeris, quare tu non uoluptatibus ut cæteri solent, quibus perinde ut tibi fortuna rerum omnium copiam præstat, sed literarum studijs, donec per ætatem munus militare obire nequisti, omnem tuam operam, pernoctesq; lucubratiōes dedisti, plus igitur olei quàm uini consumpsisti, ut ille quoque Demosthenes cuidam eius eloquentiā demiranti respondisse fertur. Cui germanum est illud, quod Macrobius refert lib. saturnal. ij. de coruo sutoris Cæsarem salutante, qui cum Augustus se talium salutatorum satis domi habere dixisset, quoniā memoria tenebat & illa, quibus dominū querentem audire solebat, statim subtexuit, Opera & impensa perijt. Atqui antiquiores cum aliquid eiusmodi frustra fieri putabant, Operā ludimus, scite admodum dicebāt. Plautus: Si me nunc suspendā, operā luserim. Cæterū & hac coruina uoce prouerbij uice uti apte licebit, cum res diu elaborata tandem male ceciderit.

Talis hominum oratio, qualis uita. LXXXII

Seneca lib. epistolarū xx. ad Lucilium ait: Apud Græcos in prouerbiū cessit, Talis hominibus fuit oratio,

tio, qualis uita. Cuius etiã Plinius in epistolis lib.iiij. meminit, & Democritus inquiens: Actionis umbra existit oratio, autor Plutar. de liberis educandis, nam crebro usu uenit, ut quemadmodum æra tinnitu, ita hõmines sermone internoscantur.

Acta agis. LXXXIII

Quoties ea quæ iam acta sunt, quispiam frustra sæpius repetit, prouerbialiter dicimus, Acta agis, id est, nihil facis. Quod perbelle Cicero in Amicitia declarat hisce uerbis: Sed cum multis in rebus, inquit, negligentia plectimur, tum maxime in amicis diligendis, & colendis, præposteris enim utimur consilijs, et acta agimus, quæ uetamur ueteri prouerbio. Quod etiam Terentius in Adelphis usurpauit.

Qui non litigat, cœlebs est. LXXXIIII

Eiuscemodi prouerbium à diuo Hieron. sæpe repetitur, quod inde ortum est, quia dos uxoria lis uiris est. Iuuenalis: Veniunt à dote sagittæ. & ipsæ uxores noctu plurimum querulæ, & garrulæ sunt, ut idem: Nónne putas melius, quod tecum pusio dormit, Pusio qui noctu non litigat. quasi innuens cum uxoribus semper uiris litem & iurgium esse. Propter quod Metellus Numidicus de ducendis uxoribus, ad populũ hæc uerba fecit: Si sine uxore possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniã ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis, ullo modo uiui poßit, saluti perpetuæ potius, quàm breui

uoluptati consulendum. Hæc ex Gellio lib.i. cap.vi. Cum litis itaque, ut Chilon Lacedæmonius, autore Plinio libro vij. dictitabat, miseria ipsa perpetuus comes sit, hoc proinde adagione utiliter monemur, uxorem non esse temere, & præsertim dotis causa, ducendam, ut nobis illud sit, quod urbanißimus poëta sibi exoptat dicens:

Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

Mensa uobis Solis est. LXXXV

Diuus Hieronymus in epistola ad Paulinum scribit Apollonium philosophum perrexisse in Aethiopiam, ut gymnosophistas & Solis mensam uideret, quæ talis erat, autor Herodot. libro historiarũ iij. qui in Aethiopia, inquit, fuisse pratum omnium quadrupedum carne refertum, quam per noctem magistratus illic ponere festinabant, & ubi illuxisset, cuilibet licebat ad illud accedere epulum. Indigenæ existimabãt copiam epularum diuinitus suppeditari, & hanc Solis mensam nuncupauerũt, ad quam inspiciendam olim Cambyses misit legatos in Aethiopiam. Solinus græco uocabulo heliotrapezan, hoc est, Solis mensam uocat, ἥλιος enim sol, τράπεζα, mensa nominatur, de qua ita scribit lib.iiij. Pomponius Mela: Est locus paratis semper epulis refertus, & quia ut libet, uesci uolentibus licet, heliotrapezan appellant, & quæ paßim apposita sunt, affirmant innasci subinde diuinitus. Ex quo cum uolumus prouerbialiter significare aliquos

non suo,

non suo, sed suorum maiorum uel aliorum labore, ut hæredibus euenit, partis frui diuitijs, alijsúe id genus commoditatibus redundare, scienter dicimus: Mensa uobis Solis est, quasi diuinitus data. cum siquidem ut Horatius etiam ait: Nihil sine magno uita mortalibus labore, dedit.

Diuinare sapientem. LXXXVI

Diuinare proprie est augurari, & uera de futuro dicere, ut Cicero lib. iiij. epistolarum familiarium ad Appium Pulchrum inquit: Quasi diuinarem tali in officio fore mihi aliquãdo expetendum studium tuum. Et quia sapiens est, qui uerum dicit, hinc ueteres autore Donato, super Hecyram, prouerbium esse uoluerunt, Sapientem diuinare.

Nihil inuita Minerua facias. LXXXVII

Hoc Græcorũ uetus adagiũ Cicero lib. offic. i. perspicue declarat, ait enim: Nihil decet inuita, ut aiunt, Minerua obstante, id est, aduersante & repugnãte natura. Idem in prima Tuscul. Bene enim illo Græcorũ prouerbio præcipitur, quam quisque norit artem, in hac se exerceat. & alibi: Nihil aliud est more gigantum pugnare cum dijs, quàm naturæ repugnare. Vnde etiam Horat. in poëtica arte præcipit: Tu nihil inuita dices, faciesúe Minerua.

Clematis ægyptia. LXXXVIII

Clematis ægyptia est herba, ut inquit Plin. lib. xxiiij. cap. xv. nigra, folio lauri longo, ab alijs daphnoides,

ab alijs polygonoides uocata. Vnde qui corpulenti & nigro colore sunt, appellantur Clematis ægyptia. Ita Zeno Citicus, prout Laërtius in eius uita refert, cognominatus est, quod statu procero, & atra cute fuisset.

Sybaritæ per plateam. LXXXIX

Sybaris, autor Strab. lib. vi. geograph. à flumine uicino cognominata, Calabriæ ciuitas amœnißima fuit haud procul à Crotone. Sybaritæ autē in primis luxu & delicijs notabiles fuerunt, sic, ut principes omnium colerent Ionas atq; Tyrrhenos, quoniam alteri Græcorum, utpote qui teste Valerio Maximo lib. ij. omniū primi unguenti, coronarumq́; in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinē, haud parua luxuriæ iritamenta adinuenerūt, alteri barbarorū luxuriosißimi. Ab ijs sunt fabulæ sybariticæ, quales fermè apud Aesopum. Plutarchus in conuiuio septem sapientum, morem fuisse scribit Sybaritis, mulieres ab usq; anno priore, ad conuiuia uocandi, ut ueste auroq́; moliri exornareq́;, per ocium, se possent. Vnde prouerbium deductum, Sybaritæ per plateam, contra fastosius ingredientes, in eas potißimum mulieres, quæ comptæ & luxurioso ornatæ apparatu, pompatico gressu incedunt. Non minus etiā prouerbialiter quàm concinne, sybariticæ deliciæ dicuntur, cum modum excedunt, & sybariticos libellos, id est, lasciuos apud Martial. lib. xij. legimus, & apud Iuuenalem, Sybaris colles Saty. vi. Cui non ualde absimile est:

Domi

Domi non hic Milesia. XC

Milesij, ut Strabo docet, Ioniæ populi celeberrimi delicijs quoq; luxuriaq; insignes fuerunt, qui lepido & illecebrarum pleno sermone utebantur, ut de Aristide Milesio Lucianus in amoribus refert, & Apuleius in fronte asini sui, ubi inquit: Vt ego tibi sermone isto milesio uarias fabellas conseram, auresq; tuas beneuolas lepido susurro permulceam. Ex quo græcum prouerbium fluxit, οἴκοι τὰ μιλήσια οὐ γὰρ ἐνθάδε, hoc est, Domi non hic Milesia, in eos, qui domesticum luxum celebrant, ubi minus probatur. unde alterum,

Olim fortes fuere Milesij. XCI

Milesij itaque olim luxu diffluentes breui omne uirilitatis robur amiserũt, sicuti legimus apud Liuium, Annibalis milites illos qui tot strages Romanis intulerant, tot urbes insigni uirtute expugnarant, unius demum Capuæ ciuitatis allectos illecebris, luxuria corruptos, inde turpiter effœminatos, punicas uires perdidisse penitus, tam pestifera luxuria & uoluptas est, ita ut non temere deinde diceretur illis, Capua alteræ Cannæ fuisse. Vnde apud Græcos uulgatum est prouerbium, πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι, id est, Olim fortes fuere Milesij. Nos in eos commodum utimur, qui quondam felices ac fortes in miseriam, iam imbelles effecti, deuenerint.

Fuimus Troës. XCII

Huic affine est, Fuimus Troës. Hic loquendi color

iam efficax de consuetudine chori illius Lacedæmonij ductus, & in adagium ascitus, nam ut est scriptum apud Plutarchũ, in libro cui sic est titulus, Quo pacto laudare se quispiam citra inuidiam ualeat, chorus erat Lacedæmoniorũ trifarius, senum, puerorũ, iuuenum. Canebant autem senes ita, fuisse se quondam robustos iuuenes. Pueri uero sic, se futuros longe his meliores profitebantur. Iuuenum cantio hæc erat, se iam id esse dicebant, quod uel illi fuissent, uel hi se futuros sperarent, eiusq; rei paratos facere periculũ. Ex quo factum uulgò prouerbium, Fuimus Troës. Quod significat non eos uiros esse fortes, uel felices, quos olim fuisse dicamus, de quo Vergilius in secundo Aeneid. meminit. Ab excidio Troiæ deducitur allusio.

Dauus sum, non Oedipus. XCIII

Huiusmodi Terentianũ dictum iam prouerbij loco uulgatum est, quo utimur cum significare uolumus, nos diuinandi artem non callere. Nam cũ Sphinx monstrum illud Thebanũ ænigma proposuisset, quod esset animal bipes, inde tripes, ac quadrupes, & soluendi Iocastæ connubium, Thebanumq; regnum præmium propositum foret, præter Oedipum, soluere potuit nemo, qui id hominem esse asseruit. Quæ sanè res fecit locum adagioni appositißimum.

Non omnibus dormio. XCIIII

Metaphora à uiro sumpta uidetur, qui somnum simulat, autor Iuuenalis: Doctus & ad calicem uigilanti

lanti stertere naso, quoad uxor mœchos admittit, quia si illa aliquos recipiat, qui soluere non poßint, quantum uir uelit, ipse statim surgit dicens, Non *omnibus dormio, hoc est, non omnes patior, id est tenues perinde ac diuites uxorem adire.* Quo *nos uice prouerbij eleganter uti quimus, cum aliquid uni siue ob beneuolentiam, aut quamuis aliam ob causam concedimus, quod etiam sibi cæteri omnes concessum putant.* Vel *non omnibus dormio significat, non omnibus operam meam nego simpliciter, ut* Cicero *in libro epistolarũ vij. posuit ad* Gallum.

Hoc re apud Sagram gesta uerius est. XCV

Hoc *Græcorũ uetus & elegans adagium lucenter à* Strabone *lib. vi. geographiæ declaratur his uerbis, qui ait:* Post Locros, Sagra *fluuius labitur, quem fœminine nominant, in cuius ripa* Castoris & Pollucis *aræ sitæ sunt, ad quas decem* Locrorũ *millia unà cum* Rheginis, *aduersus* Crotoniatas *numero centũ & triginta millia* Marte *collato, uictores euaserunt.* Quo *ex negocio, est ortum aduersus incredulos prouerbiũ,* ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ σάγρᾳ, Id *est,* Hoc *re apud* Sa*gram gesta uerius est.* Hæc *ille.* Verum Iustinus *libro xx. de armatorũ numero cum* Strabone *non conuenit, sic scribens:* Itaque *cum in aciem proceßissent, &* Crotoniensium *centum uiginti millia armatorũ constituissent,* Locrenses *paucitatem suam circunspicientes,*

nam solum quindecim millia militum habebāt, omissa spe, in destinatam mortem conspirant.

Iupiter non cantat, nec citharam pulsat. XCVI

Ait Aristot. Iupiter non cantat, nec citharam pulsat. Id quod præterire minime libuit, ut te dignum aliquid Guido princeps attigisse uidear, ex quo exemplo prouerbialiter docet, principes non debere musicam exercere, qua, ut ipse facis, satis est, si alijs utentibus oblectentur. Quod à Nerone Imperatore minime seruatum est, qui teste Tranquillo, musica à teneris annis imbutus in scenam prodire non erubuit. Vnde haud immerito Philippus Macedonū rex Alexandrum filium iusta castigatione incessiuit, cum accepisset illum quodam in loco suauiter cecinisse, Nónne te pudet, inquiens, quod tam pulchre canere scias? Quod quidem schema nos elegantis prouerbij loco in eos speciatim principes usurpare quimus, qui quod ipsos parū decet studium, exercent. Verum de te dici nō potest, es enim semper & ubiq; tuæ dignitatis memor, tuiq; similis.

Hic Callipides est. XCVII

Tiberium Cæsarem prouerbialiter Gallipedem appellatū testatur Tranquillus hisce uerbis: Ad extremū uota pro itu, & reditu suo, suscipi passus, ut uulgò iam per iocum, Gallipedes uocaretur, quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensurā progredi prouerbio græco notatum est. Quod Cicero libro epistolarum ad Atti-

cum xiij. usurpat accusans Varronis segnitiā, & tarditatem, cum dit: Bienniū præterijt, cum ille καλλιππίδης aßiduo cursu cubitū nullum proceßit. Quod inde tractum, quia gallus gallinaceus cursitare consueuit, moxq́; subsistere, nec longe progredi. Aliquis ideo Gallipedes prouerbio dicitur, quasi pedes galli gallinacei habeat, sitq́; tardigradus, & tardipes. Sed cum hoc græcum prouerbium sit, & à Cicerone per græcam dictionem enuncietur, quidam se parum compertum habere aiunt, qua ratione poßit Latine dici Gallipedes, quocirca re diligentius pensitata, existimant id prouerbium non ab aue deduci, sed ab homine, qui καλλιππίδης nominabatur, fuitq́; histrio in tragœdiarum actione peritißimus, sicuti docet Plutarchus. Hic cum in agenda historia esset uenustior, incessu per pulpita pompatico & moroso discurrebat, statimq́; resiliebat, nō ultra cubiti longitudinem progrediens. Hinc igitur prouerbium deductum putant, ut Callipides cum c litera, in principio, & i in penultima, ab homine, non Gallipedes cum g & e, ut dictum est, ab aue sit, quod undecunq; ueniat, in homines tardos & segnes graphice accōmodabitur.

Hirundo suscipienda non est. XCVIII

Hirundo auis nescit nemo homo, quàm dum nobiscū cōmoratur, garrula semper sit, utpote quæ nunquam à cantu desistit. Ex quo factum est prouerbiū, Hirundo suscipienda non est, Id est, garruli & rumigeri homi-

nes recipiendi non sunt, ut Hieronymus ad Ruffinum demonstrat.

Propter quod uadimonium deseri possset. XCIX

Vadimoniũ quidam ita definiunt, ut sit sponsio ad certum diem, sistendi se in iudicio, id est, comparendi, per se, uel per aduocatos, quod frangi nec æquum nec iustum est. Vnde antiquum prouerbiũ est, quoties magnum aliquid significare uolumus, ut dicamus, Propter quod uadimonium deseri posset. Quod perinde est, ac si diceretur ius uiolari, quod à Plinio eleganter in suo procemio citatur.

Tecum habita. C

Prouerbium istud, Tecum habita, à M. Tullio in senectute usurpatur, significat enim homines suas uires metiri debere, & ut Thales ait, teste Diogene Laërt. seipsos noscere. autor Persius, qui ita inquit: Tecum habita, ut noris, quàm sit tibi curta suppellex.

Hæc est permutatio armorum Glauci, cum Diomedis armis. CI

Plinius libro epistolarũ v. scribens ad Flaccũ prouerbialiter ait: Recipies epistolas steriles, & simpliciter ingratas, ac ne illam quidem solertiam Diomedis in permutando munere imitantes. Plinius hactenus. Hoc ex Homerico poëmate sumptum est, nanq; in vi. Iliados scribit Glaucum ac Diomedem in medium processisse, ut singulari certamine confligerent, Glaucum deinde

deinde post enarratos suos natales, inuitatum à Diomede, ut ex hostibus hospites fierent, & hospitij necessitudine, inuicẽ copularentur. Quod ut cæteri, inquit, intelligant, armaturã permutemus. Et ita inter se arma permutarunt, Glaucus aurea quæ centum boum precio taxabãtur, Diomedi dedit, à quo accepit ærea, quæ nouem tantum æstimabantur. Vnde ex hac tam impari armorum permutatione, Glaucus stupidus & demens iudicatus, Diomedes uero solers & astutus, cum ille iacturam fecerit, hic lucrum. Ex quo quotiescunque significamus rei alicuius permutationem haud æquã esse, sic, ut altera melior pro deteriore, data sit, prouerbialiter & cõmodißime dicimus, Hæc est permutatio armorũ Glauci, cum Diomedis armis. De hoc mentionem facit Plinius naturalis historiæ lib. xxxiij. cum de cõmertijs loquitur, & Gellius lib. ij. cap. xxiij. & Martial. illis uersibus: Tam stupidus nunquam, nec tu puto Glauce fuisti, Chalcea donanti, chrysea qui dederas.

Sedere ad Eurotam. CII

Romæ fuit porticus Corinthia inter cæteras celebris, ad circum flaminium erecta, à Cn. Octauio, dicta Corinthia propter æs corinthiacum, quod erat in columnis, dicebatur etiam porticus Persei, quoniam Cn. Octauianus, ex bello nauali contra Perseum, triumphum retulit. In qua porticu erat tabula picta habens Lacedæmonem, & Eurotam fluuium Laconiæ. autor

plin. lib.iiij. Vnde ignaui illic desidentes dicebantur sedere ad Eurotam. Hinc postea prouerbio increbuit, ut sedere ad Eurotam, esset nihil agere. Ad illud Cicero epist. iij. lib. xv. ad Atticum alludit, scribens: Atque haud scio, an melius sit, quàm ad Eurotam sedere, sed haec casus gubernabit. & subijcit: Hoc certe melius, quàm illa Persei porticus; nolo enim Lacedaemonem longinquo, quam in Lanuuium existimauit. &c.

Hic aureo hamo piscatur. CIII

Iam hoc prouerbij loco à luculentißimis uiris usurpari audio, nam Augustus teste Suetonio, cum minor emolumenti spes, quàm damni metus inerat, huiusce modi minima cōmoda non minimo sectantes discrimine, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, quod si hamus decideret, nulla captura damnum rependere posset. Quare cum aliquem itidem facientem uidemus, prouerbialiter dicere quimus: Hic aureo hamo piscatur. Potest uel longius metaphora generatim ad omnia dispendia trahi, quae nullo deinde queant sarciri compendio.

Bis pueri senes. CIIII

Graecorū paroemia est δὶς παῖδες οἱ γέροντες, id est, Bis pueri senes. Sub hoc prouerbio, Varro satyram aedidit, cuius testimonium citat Gellius. Senes autem tunc repuerascere dicuntur, hoc est, in puerilem aetatem reuerti, & pueri penitus fieri, cum uitio aetatis desipere incipiunt. Autor Plautus in mercatore,

ubi

ubi ſenex inquit: Cum extemplo eſt, nec ſentit, nec ſapit, aiunt ſolere eum rurſum repueraſcere. Et Cicero in Catone: Si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis uagiam, ualde recuſem. Et Seneca: Non bis pueri ſumus, ut uulgò dicitur, ſed ſemper. Hinc igitur in delyros ſenes prouerbiũ fluxit, de quo Auſonius mentionem facit.

Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequicquam ſapit. CV

Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequicquam ſapit. Cicer. uerba ſunt ad Trebatium lib. vij. epiſtolarum familiariũ, ſumpta à prouerbio græco, quod eſt μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Cuius ſenſus eſt, Sapientem eum odi, qui ſibi ipſe non ſapit. Præſertim cum natura ipſa, ut Terentius ait, omnes ſibi quàm alijs, melius eſſe malint, & ſuæ quique utilitati ſeruiant. & Ennius ait: Nequicquã ſapere ſapientem, qui ſibijpſi prodeſſe nequiret.

Andabatarũ more pugnare. CVI

Idem Cicero ad Trebatium ait: Quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus. Et diuus Hieron. contra Iouinianũ, epiſt. i. de Andabatis meminit, ſcribens: Melius eſt clauſis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, quàm directa ſpicula clypeo nõ repellere ueritatis. Ex quorũ, ab alijs enim de his mentio non fit, quod ſciam, lectione colligimus Andabatas populos quoſdam fortaſſe fuiſſe, qui clauſis

oculis pugnarent. Atq; hinc factum est, cum aliquis parum diligenter & quasi clausis oculis quippiam agit, ut illum dicamus Andabatarum more, pugnare.

Mendaces Cretenses. CVII

Ennius in sacra historia, autore Lactantio libro diuinarũ institut. i. cap. xi. scriptum reliquit, Iouem Saturni filium postea quàm multa mortalibus munera præstitisset, in Creta uitam consummasse, atque inibi sepulchrum eius esse in oppido Gnoso, & in eo sepulchro literis græcis scriptum fuisse ζεὺς κρόνυ, id est Latine, Iupiter Saturni filius. De isto Cicero, cuius idẽ Lactantius testimoniũ citat de natura deorũ, cum tres Ioues nominari docet, ita scribit: Tertius fuit Cretensis Saturni filius, cuius in illa insula sepulchrum ostenditur. Vnde Lactantius uanam religionẽ deridens, ait: Quomodo igitur potest deus alibi esse uiuus, alibi mortuus, alibi habere templum, alibi sepulchrum? Quare Cretenses semper mendaces habiti sunt, quippe qui sint Iouis sepulchrũ fabricati, cum ille quem deum faciunt, nunquam obierit, perpetuoq; sit. Vnde prouerbium græcum est, Mendaces Cretenses, in eos, qui ueritatis minime amici sunt, quod Statius in primo Thebaidos tetigit scribens: Mentitaq; manes Creta tuos. & Ouidius in amoribus: Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes. & alibi: Nota loquor, non hoc quæ centum substinet urbes, Quamuis sit mendax, Creta negare solet.

Thracium

Thracium commentum. CVIII

Strabo ait libro ix. geographiæ: Memoriæ prodidit Ephorus, Thraces factis cum Bœotijs in aliquot dies inducijs, noctu incursationes egisse, cumq; securius & negligētius expeditionē agitarent, perinde ac pace iam facta, propulsos fuisse, ab ipsis Bœotijs querentibus, quod inducias uiolassent, & illos respōdisse, non uiolasse se inducias, quia de diebus, non de noctibus, quibus incursiones fecerint, conuentum fuerat. Vnde uulgatum est prouerbium, Thracium cōmentum, de ijs, qui artificijs fidem datam modis omnibus eludunt. De eo Cicero in primo offic. meminit, cum de iniurijs à uafiamento loquitur.

Summum ius, summa iniuria. CIX

Cicero eodem offic. libro ita inquit: Existunt etiam iniuriæ sæpe calumnia quadam & nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud, summum ius, summa iniuria. Quod Teren. in Heauton. prouerbialiter usurpauit, nam multi nimis rigide iura interpretantur, & magna interdum malitia utuntur, quæ contraria est prudētiæ, iustitiæ, æquitati. Vnde Arist. in ethicis inquit: Cū lex sit uniuersalis, opus est interdum adhibere bonū uirum, & æquum, qui legē emendet. Qui haud dubie inclyte Guido, tu uir ipse æquus & integer es, corrigis enim leges summa iustitia, pari æquitate populis tuis iura præbes, sed leges ipse tamen iuraq; pariter in tuis dominantur ciuitatibus.

Attice scribis, Laconice scribis. CX

Attici semper cum ad amicos scribebant, prolixe agebant, Lacones è diuerso in scribendo quàm breuissimi erant. Vnde ab illis ortum est prouerbiū in eum, qui uerbosius agit, ut dicamus, Attice scribis. ab his autem in eū, qui breuiter scribit, Laconice scribis. autor Cicero ad Atticum. Vt Aristagoras etiā breue dicendi genus chilonium uocabat, quoniā Chilon in loquendo breuis fuisset. Diogenes Laërtius autor lib. i.

Sexagenarios senes de pontibus praecipitari. CXI

Romani, ut Nonius & Varro prodiderunt, cum sexagesimum excedebant annum, à publicis negocijs liberi erant, nec in creandis magistratibus suffragia ferebant, quae per pontes, autore Festo, dabantur. Vnde natum est prouerbiū, ut quoties significamus quempiam senem, seu propter ingrauescentem aetatem, seu ob quamuis aliam causam, negocijs omnibus liberatū uacationemq; consecutū esse, dicamus, Sexagenarios senes de pontibus praecipitari, quia remouebantur, ne ferrent suffragia, per pontes, in campo Martio, eius rei causa fabricatos, de quibus intellexit Cicero in i. Rhetoric. cum dixit: Pontes disturbat, cistas deijcit. Inde depontani senes dicti sunt. De hoc Macrob. quoque libro Saturnal. ij. meminit. & Ouidius in v. Fastorum propè finem sic scribens: Pars putat, ut ferrent iuuenes suffragia soli, Pontibus infirmos praecipitasse senes,

ſenes, ad illum utique ritum alludens, non autem, quod Romani qui manſuetudine & pietate cæteras longe gentes præſtiterāt, ſuos ſenes è ponte præcipitarent in Tyberim, ut ibidem idem Ouidius ſentit dicens: Corpora poſt decies ſenos qui credidit annos, Miſſa neci, ſceleris crimine damnat auos. Secus apud Caſpios teſte Strabone lib. xi. geograph. incluſi fame ſenes necabantur, cum ſexageſimū annū exceßiſſent, & innumeræ aliæ gentes feritate inſignes, ſenes necare conſueuerāt.

Romanus ſedendo uincit. CXII

Quoniam Romani, ut nonnullis conſtat exemplis, haud minores res conſilio atque ingenio quàm armis geſſerunt, id quod & Marcus Tullius in primo offic. ita ſcribens præter multorū opinionem, probare contendit: Vere autem ſi uolumus, ait, iudicare, multæ res extiterunt urbanæ maiores clarioresq́; quàm bellicæ. & ibidem: Parua enim, inquit, ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. Idem uolens oſtendere oppreßis Catilinæ furoribus, ſe togatum plura geßiſſe, quàm Imperatores exercitus, hunc uerſum fecit: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Et Horatius in carmine idem ſentire uidetur cum dicit: Vis expers conſilij, mole ruit ſua. Quanquā Salluſt. in ſua præfatione hoc non definiuit, Vbi utrunq;, inquit, per ſe indigens alterum alterius auxilio eget. Hinc igitur ortum eſt prouerbium, Romanus ſedendo uincit. Hoc Varro libro de re ruſt. i. cap. ij. utitur dicens; Vultis igitur interea

prouerbiũ quod est, Romanus sedendo uincit, usurpenius? dum iste uenit. Nos autem adagium recte adducemus, cum significare uolumus ingenio magis pollere, quàm armis, uel, ut Scipio dicere solitus erat, nunquã nos minus ociosos esse, quàm cum ociosi sumus, eo enim pacto sedendo uincimus.

Lerna malorum. CXIII

Lerna & Argiuorũ & Myceneorum agro cõmunis lacus est, in quo poëtæ finxerunt hydram multorũ capitum fuisse, quorum aliquot excisis, totidem continuo renascebantur. Quod quidem monstrum cum totam eam regionẽ deuastaret, tandem post multas purgationes, ab Hercule claua primo ictum, deinde post pestiferum afflatum, sagittis petitum, postremo cum sese in solitas cauernas abdidisset, lignorum congesta strue, igne consumptum est. Vergilius: Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra. & Seneca: Quid sæua Lernæ monstra numerosum malum, nónne ignis demum uicit, & docuit mori? Hinc igitur ortum prouerbium de ijs, quæ haud facile expiari purgariq; possunt, autore Strabone libro viij. geographiæ, qui ita inquit: Lerna Argiui Myceneiq; lacus est, in qua hydram constitisse scriptores tradunt, in illa cum facta sunt purgamina, prouerbium quoddam uulgò manauit, Lerna malorum. Nec minus apte in sceleratos quadrabit, quod illi uelut pestilens pelagus omnia contaminent.

Desine

Desine iam demens, sæuum stimulare leonem. CXIIII

Homericum carmen, quod prouerbij loco, Phitionem uirum sapientem aduersus Demosthenem priuatim publiceq; maledictis magnum Alexandrum insectantem, Plutarchus dixisse refert. Nam cum leo, teste Plinio, animal generosissimum fortissimumq; sit, crebroq; in iram exardeat, præsertim lacessitus, illum sanè periculosum est irritare, quemadmodum Martialis de Rhinocerote scribit à Domitiano in harenam ad spectaculum deducto, ait enim: Præstitit exhibitus tota tibi Cæsar harena, Quæ non promisit, prælia Rhinoceros, O quàm terribilis exarsit pronus in iras. Quantus erat cornu, cui pila taurus erat. Cum nos itaque quispiam iritat, qui nobis inde irascentibus, daturus sit pœnas, hac prouerbiali figura rectè uti possumus, Desine iam demens sæuum stimulare leonem. Cuius simile est illud, quod idem de liberis educandis, Plutarchus ponit: Ignem ferro cædi minime decere, Hoc est, iritandum non esse furentem. & aliud apud Plautum in Amphytrione: Irritare crabones. Item uel illud in Philebo Platonis: Malum quod bene iacet, non moueas. Vel uulgi istud tritissimum, Canem dormientem non excites.

Cum Maleam deflexeris, domesticos obliuiscere. CXV

Malea Laconiæ promontoriū est à Maleo Argiuo

rum rege dictum, quod teste Seruio super v. Aeneid. per quinq; milliaria in mare protenditur, ubi unda adeò sæua est, ut persequi nauigantes appareat. Statius lib. vij. Thebaid. Et raucæ circunsonat ira Maleæ. Vergilius itidem lib. v. Ionioq; mari Maleæq; sequacibus undis. Supra quod autore Strabone libro viij. geograph. haud tuta nauigatio erat, propter aduersos uentorum flatus. Inde est natum uulgò prouerbiũ, Cum Maleã deflexeris, domesticos obliuiscere. Quasi ob imminens periculum de rebus iamiam actum esse uideatur. Quare Italicis mercatoribus gratißimum erat, omisso ad Maleam cursu, Corinthum diuertere, aduectis eò mercibus.

Corinthus supercilijs curuitatibusq; laborat. CXVI

Corinthus urbs fuit Achaiæ, quæ primum teste Eusebio de tẽporibus, à Sisypho latrone Aeoli filio super Isthmon, in medio maris Ionij, & Aegæi constructa, deinde aucta Ephyra uocata. Sed post hæc euersa, & à Corintho Orestis filio instaurata, Corinthus eodem Eusebio testificante, cognominata fuit, quæ mox diutius deserta manẽs, teste Strabone lib. viij. geograph. à diuo Cæsare restituta est, quã quondam locupletißimam fuisse autores multi tradunt. Verum ager non admodùm telluris bonitate pollebat, quippe quæ oblique distorta foret & aspera. Vnde superciliosam Corinthum uocant uniuersi, & abijt in uulgare prouerbium,

bium, Corinthus superciliјs curuitatibusq́; laborat. In consimili re non ineleganter uti licet,

Ad Scolum neque ipse uades, neque alteri comes ibis. CXVII

Scolus, ut Strabo ait lib. ix. pagus est in ora Asopia sub Cithærone, sedes iniucunda atq; aspera. Inde natũ prouerbiũ, ut, cum uolumus quempiam admonere, ne se ad loca inculta & minus grata conferat, dicamus, Ad Scolum neq; ipse uades, neq; alteri comes ibis.

Nauigare usq; ad Phasim. CXVIII

Strabo lib. xi. geograph. originem adagij differens ita refert. Dioscurias itaq; in hoc sinu posita, Euxini recessus & extrema nauigatio appellatur. Vnde illud quod in prouerbio dicitur, In Phasim, ubi cursus carinis ultimus, Sic intelligendum est, nõ quod poëta qui Iambicum fecit, de flumine dicat, nec de urbe eiusdem nominis, quæ ad flumen sita est, sed de Colchide, ut de parte, quod recta nauigatio à flumine, & ab urbe in recessum sit sexcentorũ ferè stadiorum. Hactenus Strabo. Nauigare igitur ad Phasim usq;, quispiam hyperbolice dicitur, qui longinquas orbis partes peragrat, sumpta metaphora à Iasonis fabula. Ita hodie in istiusmodi sensum quis dicetur ire, usq; ad Britannos, qui extra mundi terminos ponuntur. Vergilius: Et penitus toto diuisos orbe Britannos. Atqui & Phasis est Colchorum pergrandis fluuius, de quo Lucan. in iij. Colchorum qui rura secat ditißima Phasis. Per hunc

Argonautæ cum Iasone, intrauerũt ad Colchos, testis Ouidius lib. vij. Metamorphoseos: Multaq; perpessi claro sub Iasone, tandem Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.

Phrygum ac Mysorum fines separati, sed definire difficile. CXIX

Phrygia prouincia est, teste Solino, minoris Asiæ, à Phrygio amne, qui illam à Caria diuidit, uel à Phrygia Cecropis filia cognominata. Mysia autẽ Phrygiæ prouincia est, adiacens Hellesponto, ut Plin. ait lib. v. natur. hist. in qua est Mœsia ciuitas, dicente Seruio super primũ georg. Mysia prouincia est, Mœsia uero ciuitas haud longe à Troia. Sed harũ prouinciarũ fines definire Strab. autore lib. xij. geograph. nõ facile est, qui ita inquit: Phrygum & Bithyniorũ & Mysorum fines determinare difficile est, quod unaquæq; natio distincta esse debeat, id conceditur, nam & de Mysis ac Phrygibus huiuscemodi prouerbiũ est, Phrygum ac Mysorum fines separati, sed definire difficile. Et causa est, quia cũ incolæ barbari, strenui, ac militares essent, quæ uicissent, non firmiter tenebant, sed frequentius, ut uagi, & errantes modo eijciebantur. Hæ gentes omnes Thraciæ putandæ sunt, quia ulteriorem regionẽ hi colunt, & non facile altera ab altera immutatur. Hæc ille. Nos autem huiuscemodi adagium recte usurpamus, cum sermo de ijs est, quæ facilitatem præ se ferunt, uerum ea ipsa tractare perdifficile est.

Cumani

Cumani sero sentiunt. CXX

Aeolicarum urbium maxima & optima est Cuma, ut Strabo refert lib.xiij.geograph. & ferè ea metropolis est. Cumani autem carpuntur, ut homines insulsi & hebetes, ob hanc causam, ut quidam putant, quod CCC post annis, quàm urbs ædificata est, portus uectigalia exegerunt, cum antea populus eiusmodi prouentum non haberet. Quare obtinuit opinio, hos homines sero sentire, cum urbem ad mare habitarent. Dicitur etiam aliter, quod publica pecunia mutuo accepta porticus construxerunt, postea uero cum pecuniam constituta die non reddidissent, à deambulatione arcebantur, sed cum pluuiæ essent, ludibrij causa, creditores edictum immittebant, ut Cumani porticus subirent. Et cum præco ita inclamaret, Porticus subite, natum esse prouerbium. Cumani sero sentiunt. Perinde quasi Cumani non sentiant, ut in pluuia porticus subeunda sit, etiam si nemo per præconem admoneat. Hæc ex Strabone eodem libro. Quod quidem adagiū non absimile ferè est illi, quod alibi retulimus, Sero sapiunt Phryges.

Aquilæ senectus. CXXI

Plinius lib.x.natur.hist.de aquilis hæc refert: Oppetunt non senio, nec ægritudine, sed fame, intantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat. Aquila igitur tantum in senectute bibit, uel de præda sanguinē sugit. Ex quo iam quondam iactatum

uulgò prouerbium in senes, qui plus bibunt, quàm comedunt, cuius etiam meminit Terentius in Heauton. his uerbis: Nihil narras? uisa uero est, quod dici solet, Aquilæ senectus.

Sylosontis chlamys. CXXII

Chlamys uestis militaris est, pallio penè aduersa, cum breuior multo atq; artior sit. Plautus: Puer cape chlamydem, & da pallium. & Vergilius: Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. de qua celebre prouerbium est, Sylosontis chlamys, Quod de ijs dicatur, qui iactant se magnificentia uestimentorũ. Quoniam Syloson Samius Polycratis frater, cum in exilio esset uestem habebat insignem ac sumptuosam, quam teste Strab. lib. xiiij. geograph. cum Dario Hystaspis filio nondum regi eam diu cõcupiscenti dono misisset, is postea regno potitus ac beneficij memor natali solo eum restituit, ex quo illud,

Sylosontis opera, locus amplus est. CXXIII

Syloson itaq; eodem Strab. autore, Polycrate fratre uita defuncto, regnum adeptus tyrannidem adeo acerbe exercuit, ut urbs Samiorũ hominibus uiduata, ac penitus exhausta sit. Vnde prouerbium manauit, Sylosontis opera locus amplus est. In eos, qui tam crudeliter superbeq; imperant, ut ciuitates hominibus uacuas reddant. Quod porrò adagium, si in quempiam principum usurpatur, in te autem Guido, minime dici potest,

potest, ornas enim ciuitates tuas, non destruis, amplectteris tuos ciues clementia, comitate, humanitate, quibus longe præstas cæteris imperitantibus, non odio persequeris, in eos amorem habes, nō cædes & scelera admittis, tua igitur opera hominum cœtu urbes tuæ frequentes sunt, non item uacuæ.

In Samo lac gallinæ. CXXIIII

Samum unā ex xij. Ioniæ ciuitatibus condidit Tymbrion, ac deinde Patrocles, de cuius ubertate Strabo ita loquitur lib. xiiij. Samus uino non ualde fortunata est, in cæteris uero feracissima, quod ex eo maxime perspici potest, quod bellis infestatur. Vnde laudantes nō dubitant illud ei prouerbium accōmodare, quod etiam fert gallinæ lac. Hæc Strabo. Quod licet prouerbium alibi retulerim, non tamen alienū uisum est repetere, ut quomodo scriptores usurpauerint, intelligatur.

Hic Corycæus est. CXXV

Corycus mons est, ut Strabo docet lib. xiiij. geograph. excelsus nō procul ab Erythris ciuitate Ionica, & portus Casystes sub eo. Item alius portus qui Erythras appellatur, ac deinceps complures alij. Dicunt totam Coryci nauigationē latronibus plenam esse, qui Corycæi dicuntur. Hi nouum insidiandi genus adinuenerunt, dispersi enim per portus, accedunt ad mercatores, qui applicuerint, auscultantes quid rerū ferant, & quô nauigent, postea cum illi soluerint, & in altum se receperint, congregati eos adoriuntur, ac diripiūt.

Ex quo quicunq; curiosus est, & occulta ac secreta auscultare conatur, prouerbialiter dicimus, Hic Corycæus est. Vnde etiam illud manauit,

Hunc Corycæus auscultauit. CXXVI

Alterum insuper adagium est, teste Strabone eodem libro, qui ita inquit: Et in prouerbio dicimus, Hunc ergo Corycæus auscultauit. cum quis aliquid dicere, uel facere secreto uideatur, quod minime uideatur, propter eos, qui speculantur, & scire student, quæ nõ conuenit. Hæc ille. Potest & apte de eo quoq; dici, qui uelut Corycæorum insidias expertus, id dißimulare maxime nititur, quod tamen deprehenditur. Meminit & huius adagionis Cicero ad Atticum.

Mercator nauiga & expone, iam omnia uenundata sunt. CXXVII

Strabo lib. xiiij. geograph. cum describit, ut Cilices piratæ fierent, inquit: Delus quæ non admodũ procul aberat, emporium magnũ & pecuniosum exhibebat, ea enim multa mancipiorũ millia & recipere & emittere eadem die poterat. Ex quo prouerbiũ factum est, Mercator nauiga, & expone, iam omnia uenundata sunt. Quo etiã teste, causa erat, quia Romani post Carthaginis & Corinthi euersionẽ, diuites effecti, multis seruis utebãtur, Quapropter piratæ & prædandi & uendendi opportunitate oblata, mirũ in modum coaluerunt. Hoc perurbane & eleganter uti poßumus, cum alicubi merces raptim uendi significare uolumus.

Quando

Quando per Harma fulgurauerit. CXXVIII

Ἅρμα, id est, currus, teste Strab. lib. ix. geograph. pagus est ad Mycalettū, desolatus, dictus ἅρμα, id est currus, ab Amphiarai curru, quod, ut aiunt, corruēte Amphiarao de curru, ipse currus ad locum illum detractus est. Pythici itaq; uates ad ipsum currū intuentur, & eo tempore sacrificium Delphos mittunt, cum fulgura cernunt. Obseruabant autem ad menses tris, in singulos menses, dies ternos, noctesq; totidem è Iouis fulguralis foco, qui est in muro inter Pythium & Olympium. Hinc factum prouerbium, Quando per Harma fulgurauerit. Cui locus peridoneus erit, quoties significamus, rei agendæ tempus obseruari.

Canis caninam non est. CXXIX

Varro de lingua Latina, quod sciam, huius prouerbij, & diuus Hieronymus in quadam epistola meminerunt, quod significat, canem caninam carnem non edere. Cuiusmodi est illud Plinianū in vij. Leonum feritas inter se non dimicat. Hoc eleganter usurpamus, cum uolumus dicere, aliquos inter se maxime consentire, licet aliter dissimulent.

Communia amicorum esse inter se omnia. CXXX

Hoc uetus Græcorū adagium quid significet, nemo tam mediocriter eruditus est, quem fugiat, quod Plato in Phedro, & in iiij. de repub. usurpat, quippe qui illud suæ ciuitatis quam condidit, firmamentum posuit.

Item & his uerbis Teren. in Adel. cum Mitio ita loquitur: Nam uetus uerbum hoc quidem est, Cõmunia amicorum esse inter se omnia. De quo etiam Cicero in primo offic. meminit, & Martial. lib. ij.

Res est in uado. CXXXI

Vadum teste Seruio, super primũ Aeneid. est locus in mari, per quem uadare possumus, est proprie tamen fundum fluminis, lacus, maris, & cuiuscunq; aquæ. Et quoniam in profundo periculum est, in uado autem ob paruam aquarum altitudinem, securitas, hinc prouerbium uulgò natum de ijs, quæ periculum euaserint, autor Terent. in And. ubi Dauus ait: Omnis res est iam in uado. & Plautus in Aulularia itidem meminit.

Sine Cerere, & Baccho, friget Venus. CXXXII

Terentiana uerba sunt in Eunucho prouerbialiter prolata, nam Ceres in hoc loco, quæ cunctarum frugum dea est, pro pane, id est, cibo accipitur. Vnde duo ædiles teste Fenestella de Rom. magist. qui rei frumentariæ apud Romanos præerant, Cereales dicti sunt, quorum creandorum autor fuit C. Iulius Cæsar. Liber autem pater pro uino, cuius, ut poëtæ fabulantur, inuentor fuit. Sed Lactan. Firm. lib. ij. cap. xiiij. diuin. institut. Noë omnium primum uineam seuisse, ex eaq; fructum cepisse perspicue demonstrat. Venus uero pro belluina uoluptate, id est, coitu, ponitur, nam homo abstemius segnis est ad Idaliam, hoc est, Venerem. Itaque

que Teren. ad ostendendum libidinem in cibo & potu cõsistere, usus est hac prouerbiali metaphora, sub persona Chremetis adolescẽtis, qui dum abstinebat, facile frigebat, hoc est, minus tentabatur libidine, at idem potus impatiens erat. Vsus adagij erit, cum significabitur libidinem sola abstinentia reprimi.

Quem lupo cõmisisti. CXXXIII

Lupus enim animal est rapacißimũ, qui plurimum quibus insidiatur, ex quo male eius custodiæ ouis committitur, cum siquidem eam repente uoret. Hinc natũ prouerbium in eos, qui temere aliquid homini minime fido cõmittunt, autor Teren. in Eunucho, ubi Thais ait; Scelesta, ouem lupo cõmisisti.

Currentem incitare. CXXXIIII

Metaphora ab equis sumpta uidetur, quos sponte sua currentes, est enim ex iumentis uelocißimũ animal, frustra equiso ad cursum excitat. Hinc uel undecunque libet, factum est prouerbium, Currentem incitare. Quod significat nos non oportere quempiã ad ea hortari, in quæ ipse studiose incumbat, & propensus sit. Vnde Seneca epistola xxxiiij. ait: Sed iam currentem hortor, inuicem hortantem. Potest & in malam partem, in hanc significationẽ capi, à qua non abhorreo, Si quis utputa alicui detraheret, & interim alter maledicus illum in detrahendo adiuuaret, ut eo magis in maledicta proueheretur, eleganter possumus dicere, illum currentem excitasse, per se quamuis intentum.

Vulpes pilos mutat, mores non mutat. CXXXV.

Vulpes animal est uersutũ & semper fallax, testificante Plauto *qui ait: Vulpinus animus ne quid moliatur mali. Ab huius fallacia igitur, quia ingenita uitia tolli non possunt, tractum est prouerbium in eos, qui dolis & uersutia abundantes, naturam omnino suam mutare nequeunt, ut uulpes mores suos deponit nunquã. Id teste* Tranquillo Vespasianus *eleganter in bubulcum senem usurpauit.*

Hic ciniligium herculaneo nodo uinctum soluit. CXXXVI

Ciniligiũ cinguli genus erat, quo teste Festo Pomp. *noua nupta præcingebatur. Id uir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, ut sicut illa in domum sublata conuincta erat, sic uir eius cinctus cum ea uinctusq; esset.* Hoc Herculano *nodo ligatum ominis gratia, uir soluebat, ut sic ipse felix esset in suscipiendis liberis, ut fuit* Hercules, *qui lxx. liberos reliquit. Ex quo cum quis numerosam prolem genuerit, prouerbij loco dicimus,* Hic *ciniligium* Herculano *nodo uinctum soluit. Solutum enim ita futuros portendebat filios, quemadmodum eum tota Asia regnaturum antiqua oracula canebant, qui Gordij plaustri nexum soluisset. Cuius rei causa, magnus* Alexander *expugnata Gorde, cum soluere nequisset, loramenta gladio amputauit. autor* Iustinus *lib. xi.*

Hic in

Hic in neruum it. CXXXVII

Apud Teren. in Phormione Antipho adolescens inquit: In *neruum potius ibit. Vbi prouerbialiter in neruum ibit, teste* Donato, *pro decipiet dixit. Quod à prouerbio sumptum est à sagittarijs tracto, cum uis omnis atque conatus arcum tendentium nō in uolatum teli, sed in ruptionem nerui expetitur.* Ex *quo de homine fallaci eleganter dicimus,* Hic *in neruū it,* Id *est, aliò tendit, quàm qui fallitur, putat.*

Salua res est, saltante sene. CXXXVIII

Refert Titus Liuius cum ludi Circenses Apollini aliquando celebrarentur, & Annibal nunciatus esset circa Collinam portam urbi ingruere, omnes raptis armis, eò concurrisse, & eos deinde reuersos, cum flagitium sese fecisse formidarent, inuenisse saltantē in circo senem quendam, & illum interrogatū dixisse, minime à se intermissam esse saltationem, ac ortum exinde esse prouerbiū, Salua res est, saltante sene. Quo generatim ad omnia læta uti licet, de quo etiā Seruius super viij. Aeneidos meminit. Ab hoc illud quoq; non discrepat, Saltat senex, Nam *mater deorum non prius placari potuit, quàm senex saltauerit. autor idem Seruius.* Ac *hinc & huius adagij est origo.*

Tu es meus dæmon malus. CXXXIX

Appianus Alexandrinus ciuilium bellorum lib. iiij. de Bruto, *uno de C. Cæsaris percussoribus, loquens hæc tradit:* Ferunt *Brutum cum in Samo supra mare,*

natalem suum celebraret, nec læte admodum his in rebus se haberet, hunc uersum nulla ratione adductum protulisse: Sed me sors misera, & Latonæ perdidit in fans. Ex Asia quoque in Europam transmissuro cum exercitu, nocte deficiente penè lumine, horrendam uigilanti astitisse imaginem, quã cum impauide rogaret ille, quisnam hominũ aut deorum esset, hoc solum respondisse: Tuus ô Brute dæmon malus, in Philippis me uidebis, eaq; nouißima in pugna quæ in Philippis facta est, iterum illi apparuisse. Appianus hactenus. Quippe duo sunt dæmonum genera, teste Lactan. libro ij. diuinarũ institut. cap. xv. unum cœleste, alterũ terrenum. Et hi dæmones cum rerum periti ac scij, ita enim eos interpretantur, in ima parte terræ deiecti, uel in hoc aëre, ueluti cõgruo sibi carcere damnati, nocendi semper cupidi, à iustitia alieni, superbia tumidi, inuidia liuidi, fallacia callidi, humana corpora semper infestent, & quandoq; ingrediantur, uel uiua, uel iam mortua, hinc factum est, ut cum quis turbetur, stimuleturq; à quopiam, adagij uice iam subitò dicat, Tu es meus dæmon malus, ad illum potißimũ Bruti dæmonem alludens, uel ad huiusmodi spirituum nocendi potestatem. Dicitur autem dæmon malus, quia secundum Euclydem Socraticũ, duplex omnibus hominibus apponitur dæmon, id est, genius, hoc est, bonus et malus. De ijs Apuleius de Socratis deo, etiam meminit dicens: Dæmones sunt genere animalia, ingenio rationabilia,

animo

animo paßiua, corpore aërea, tempore æterna.

Sua cuiq; ars pro uiatico est. CXL

Viaticum nemo est, qui nesciat appellari, quicquid iter agendi causa, necessariũ est. Et quoniam ad uitam sustentandam atq; degendam, necesse est, ut se quilibet in aliqua arte exerceat, hinc ortum est prouerbium, Suam cuique artem pro uiatico esse. Quasi perinde ac ad iter faciendum, uiaticum necessarium est, ita & ars ad uitam uiuendam.

Saliares cœnæ. CXLI

Salij uocati sunt sacerdotes Martis, quod in portandis ancilibus, saltare eos mos esset, de quibus Liuius ait: Numa Salios xij. Marti Gradiuo legit, tunicæq; insigne dedit, & super tunicã, æneum pectori tegmen, cœlestiaq; arma, quæ ancilia appellantur, ferre ac per urbem ire canentes carmina, cum tripudijs solenniq; saltu iußit. Qui quidem salij cum amplißimo apparatu cœnas facerent, hinc uice prouerbij, opiparæ ac copiosæ cœnæ, saliares appellatæ sunt.

Pares cum paribus. CXLII

Vetus prouerbiũ est, cuius talis sensus, Quisq; homo bene cum sui similibus copulatur, uel teste Cicer. in senectute, ubi Cato ait: Pares autem cum paribus ueteri prouerbio facilime congregantur. & ante eum Socrates in Phedro Platonis, illud usurpauit. Ad id Columel. lib. vij. respexisse uidetur, ubi Quoniam, inquit, similia similibus familiariora natura fecit. Huius

etiam Quintilianus in quinto mentionem facit.

Mature fias senex, si diu uelis esse senex. CXLIII

Hoc adagium nos admonet, ut dum iuuenes sumus, ea ipsa quæ senem decent, tractemus, & quadam senili grauitate nos ipsos geramus insignes, ita enim diutius senes erimus. Sed quia non sua cuique ætati eo pacto officia redderentur, huic prouerbio nō planè apud Ciceronem in senect. idem Cato assentitur, hisce uerbis: Nec enim unquā sum assensus illi ueteri laudatoq; prouerbio, quod monet, mature fieri senem, si diu uelis esse senex, ego uero me minus diu senem esse mallem, quàm esse senem, antequam essem.

O domus antiqua heu quàm dispari domino dominaris. CXLIIII

Cicero libro primo de offic. Odiosum est, inquit, cum à prætereuntibus dicitur, O domus antiqua heu quàm dispari domino dominaris, & in secunda quoq; Philippica mentionem fecit. Quod in tritum prouerbium cessit in eos, qui ipsi scelerati bonos habuerunt parentes ac maiores suos, id quod his temporibus in multos dicere licet.

Quod factum est, infectum reddi non potest. CXLV

Hoc uetus prouerbium, & sensus est. Illud quod factum est, nemo facere potest, quin factum sit, ne dij ipsi quidem secundum Plin. qui lib. ij. cap. vij. inquit: nullum

nullum deos suos habere in præterita ius, præterquam obliuionis. Huius Plaut. in Aulul. meminit, ait enim: Factum illud fieri infectum non potest.

Mala ad se trahit, ut cæcias nubes. CXLVI

Cæcias est uentus, quem Aristot. ita flare dicit, ut nubes non procul pellat, sed ad sese uocet. Ex quo prouerbiũ factum scribit, κακὰ ἐφ᾽ αὑτὸν ἕλκων ὥσπερ καικίας νέφος, hoc est, Mala ad sese trahens, ut cæcias nubes. Quod in eos eleganter usurpari potest, qui sibijpsis officiunt, malũq; accersunt. autor Gell. lib. ij.

Hic de gradu deijcitur. CXLVII

Hoc prouerbium de ijs dici solitum, qui metu perculsi inconstantes & mobiles sunt. Sumpta translatio ab ijs, qui loco cedunt timore ducti, & gradum scalarum in quo consistunt, alijs cedendo relinquunt, & ipsi deijciuntur. Autor Cicero libro primo offic. ubi inquit: Fortis uero animi & constantis est, non perturbari in rebus asperis, ac tumultuãtem de gradu deijci, ut dicitur. Cum nos igitur aliquem ab incœpto metu absterreri intelligi uolumus, prouerbialiter dicimus, Hic de gradu deijcitur.

Plus Federicus uno oculo uidit, quàm cæteri principes duobus. CXLVIII

Cum iam Guido princeps per omnem Italiam, prouerbij loco habeatur, Plus unum Federicum unico oculo uidisse, quàm cæteros omnes principes duobus,

iure equidem ego illius immortalis famæ inuisor diceter, si hoc tam celebre prouerbiū præterirem. Sed ne legentibus seruile officiū, quod est adulari, præstitisse uidear, huius originem adagij explicare aggrediar. Cum Federicus itaq; genitor tuus altero oculo captus, Philippos, Annibales, Horatios, Sertorios, quos uirtutis & fortunæ ac unius luminis socios potißimum habuit, & cæteros omnes Imperatores factis & rerum gestarum gloria adæquasset, prudentia uero diuinoq; quodam ingenij acumine à longe reliquisset, huic prouerbio locum dedit, ut dicamus, Plus Federicum unico oculo uidisse, quàm cæteros principes duobus. Quod de hominibus speciatim prudentißimis dicitur.

Aliquid mali est, propter uicinum malum. CXLIX

Vetus prouerbium est, & à Plauto in mercatore sub persona Dorippæ conquerentis his uerbis usurpatum. Heu miseræ mihi, nunc ego uerum illud uerbum esse experior uetus, Aliquid mali esse, propter uicinū malum. Ad illud ausim affirmare Verg. haud dubie allusisse, illo uersu in Bucolicis, ubi inquit: Nec mala uicini pecoris contagia lædent. Admonet adagio conuictum malorum esse fugiendum.

Vtitur testibus. CL

Hoc erat adagium, quo utebantur in foro iudiciali, id quod Cicero in ij. offic. tetigit, ait enim: A Panætio cōmemoratur, neminem neq; ducem bello, neq; principem

cipem domi magnas res & salutares, sine hominum studijs gerere potuisse. Commemorantur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adiumentis hominum, tantas res efficere potuisse. Vtitur in re non dubia testibus non necessarijs. Hæc ille.

Contemnuntur, qui nec sibi, nec alteri prosunt. CLI

De nihili hominibus & nulli arti intentis hoc dictū est, quod ab eodem Cicerone itidem in offic. perspicue declaratur, qui dicit: Quāobrem ut ante dixi, contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est.

Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit. CLII

Sumpta est ab agricolis metaphora, qui alienos agros colentes suos sterilescere sinunt. Quod in eos prouerbialiter dici potest, qui suis relictis rebus, aliena curant. autor Plautus in Amphit. uel qui alienam uitam damnant, suam autem minime corrigunt, ut Persius Saty. iiij. expreßit dicens: Cædimus, inq; uicem præbemus crura sagittis. Vnde etiam illud in hunc sensum dicitur, Hic illotis pedibus & uerbis reprehendit. autor Gellius lib. xvij. cap. v.

Altera manu panem ostentat, altera fert lapidem. CLIII

Euclionis apud Plautum in Aulul. uerba sunt, in

cum prouerbij loco prolata, qui specie ferendæ opis, fraude quempiam petit, ab ijs qui canes eo pacto fallunt, utique translatione facta.

Largitio non habet fundum. CLIIII

Cum largitio quæ beneuolentiæ comparandæ causa, ab hominibus fit, sæpius fontem ipsum benignitatis exhauriat, ipsiq; homines citra modum, dando, maxime egere incipiant, hinc in prodigos natum prouerbium, dicente Cic. lib. ij. offic. Omnino meminisse debemus id, quod à nostris hominibus sæpißime usurpatũ, iamq; in prouerbij consuetudinem uenit, largitionem fundum, hoc est finem, non habere, in quo, ut Sen. i. ad Lucilium epist. ait, sera parsimonia est. Etenim quis potest esse modus, cum & hi qui consueuerunt, & illud idem alij desiderent?

Fames & mora bilem in nasum conciunt. CLV

Solent sæpenumero homines & fame & moræ tædio affecti in bilem, hoc est, in iram ferri. Etenim bilis nil aliud est, nisi fellis humor, qui iecori adhæret, testis Horat. qui ait: Feruens difficili bile tumet iecur, aliter cholera dicitur, ex qua ira mouetur. Vnde factum est prouerbiũ, Fames & mora bilem in nasum conciunt. Competit ijs, qui famis impatientes & moræ fastidio conciti in iram deferuntur, teste Plaut. in Amphit. inquit enim: Vetus est adagiũ, Fames & mora bilem in nasum conciunt, hoc est, iram cõmouent.

Indulgere

Indulgere Genio, Defraudare Geni-
um. CLVI

Genium autore Festo Pomp. ueteres putauerunt deũ esse, qui uim obtineret omnium rerum generandarũ, quapropter dei filium & parentem hominũ nuncupabant. Alij Genium naturæ deũ esse definiunt, & ipsam naturam. Vnde factum, ut uice prouerbij, indulgere Genio, sit obsequi naturæ, & uoluptati operam dare, ut Persius: Indulge Genio. Sicuti è contrario defraudare Geniũ, est interrumpere uoluptatẽ. Vnde Plaut. in Aulul. ait: Egomet fraudaui meum Genium.

Noctuas Athenas porto. CLVII

Noctua auis quoniam Athenis maxime abundat, factum est prouerbium γλαῦκας εἰς ἀθήνας. Quod Latine est, Noctuas Athenas, supplendum est uerbum, porto, de ijs, qui uel inutilem mercaturam exercent, uel laborant in aliqua re inutili, aut ea uerbis exaggerant, quæ notißima sunt audienti. De hoc Cic. in epist. lib. vi. ad Aulum Torquatum mentionem facit. Item aliud confine huic prouerbium,

Velis & equis. CLVIII

Nautæ cum uolumt omni conatu iter raptim conficere, dant uela uentis, pariterq; naui trahendæ equos adiungunt. Ex quo factum est prouerbium, Velis & equis, Hoc est, terra mariq;, quoties uolumus ultimum conatum ostendere, quod Cicero in iij. offic. usurpauit, ubi inquit: Epicurus eiusdem ferè adiutor autorq;

ſententiæ, cum his uelis equisq́;, ut dicitur. Huic ſimile *eſt illud* Terentianũ *ſchema: Manibus pedibusq́; enixe omnia facturum.*

Luſciniæ non deeſt cantio. CLIX

Plinius *lib. x. cap. xxix. de luſcinia aue ita inquit: Luſcinijs diebus ac noctibus continuis xv. garrulus ſine intermiſſu cantus, denſante ſe frondium germine, non in nouiſſimum digna miratu aue.* Primum *tanta uox tam paruo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus, deinde in una perfecta muſicæ ſcientia modulatus æditur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longũ, nunc uariatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copu latur intorto, breuiterq́; omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominũ excogitauit.* Hæc ille. Atq; *hinc igitur factum prouerbium,* Luſciniæ *non deeſt cantio.* Vel *de hominibus elo quentiſſimis, quibus nunquã deeſt oratio. uel de ijs, qui garruli & linguaces adcò loquendi uitio tenentur, ut nunquã taceant, quod* Plautus *in* Bacchid. *citat dicẽs:* Pol *ego quoq; metuo, luſciniolæ defuerit cantio.*

Facta tranſacta omnia. CLX

Hoc Terentianum, *autore* Donato, *ſuper* Andria, *prouerbiale eſt, in id negocij, de quo nihil ſuperſit, ad agendum.*

Dignus *eſt, qui cum in tenebris mices.* CLXI

Cicero *lib. offic. iij.* Hoc *nónne eſt turpe, inquit, dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? à*

quibus

quibus natum est, id quod iam tritum est uetustate prouerbiũ, cum enim fidem alicuius bonitatemq; laudant, dignum esse dicunt, qui cum in tenebris mices. De quo *idem in secundo de finibus bonorũ & malorum meminit:* Nam *uir bonus noctu & amotis luminibus, atque arbitris, quamuis manus uideri non poßit, dicet tamen quot digitos explicuerit, micare enim per metaphorã est digitis sortiri, autore Varrone, qui ait: Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerũ, an ille meũ sequatur. Vsus autẽ adagij peropportunus est, ad alicuius uiri probitatem ac integritatem ostendendam.*

Omnes sibi melius malunt, quàm alteri. CLXII

Cum nemo seipso sibi charior sit, suæ cuiq; profecto seruiendũ est utilitati, modo id sine alterius incõmodo fiat. Vnde prouerbium manauit, Omnes sibi melius malle, quàm alteri. Autor Terent. in Andria.

Dei laneos pedes habent. CLXIII

Saturnus qui χρόνος, hoc est, tempus dicitur, falcem ideo gerere fertur, quod tempus omnia metit & secat, siue quod insertionem & surculorũ & pomorũ disciplinam tradiderit, hanc ei in Siciliam decidisse dicunt, quia sit terra illa maxime fertilis, pulsusq; à filio à regno, quoniã tempora senescentia ab ijs quæ postea nata sunt, depelluntur, mox & uinctus esse, quia certa naturæ lege inter se connexa sunt tempora, uel quia omnes fruges quibusdam uinculis nodisq; alternantur.

Apollodorus autem ſcribit Saturnũ laneo uinculo per annum alligari ſolitum, & in menſe Decembri in die ſibi feſto ſolui. Vnde ortũ eſſe prouerbiũ, Deos laneos pedes habere, ſignificari uero per hoc decimo menſe ſemen in utero animatum in uitam augeri, quod donec in lucem ueniat, mollibus naturæ uinculis detinetur. Adagium uero innuere uidetur licere ijs, qui diu more Saturni, negocijs illigati fuerint, aliquoties dare ſe uoluptati, uelut ſemen in utero paulatim in uitam grandeſcit, ita nos noſtraq́; utputa animum, uiresq́; ab humili initio creſcere.

Trium literarum homo. CLXIIII

Hoc Plautinum dictum, Trium literarum homo, in Aulul. prouerbiale eſt, ubi Congrio coquus Strobilium ſeruum ſubobſcure furem appellauit. Hæc enim dictio fur tribus literis conſtat, quo nos haud illepide in conſimili re uti poſſumus.

Pirum uulpes comedit. CLXV

Vulpes animal ſagaciſsimum rapto uiuens, carne ueſcitur, quæ tamen fame affecta pirum comedit, ſed difficulter. Vnde prouerbium ortum teſte Plauto, qui in Muſtell. ait: Tam facile uinces, quàm pirum uulpes comeſt. Quod in eos apte conueniet, qui rem admodũ difficilem tentant, uel aliquid ferè perinuiti & grauate agunt, perinde ac uulpes eſt pirum.

Quod ſcis, neſcis. CLXVI

Apud Terent. in Heauton. Syrus ſeruus inquit: Tu

neſcis

nescis id, quod scis, Dromo si sapies. Quod prouerbialiter dictũ est, significat enim quandoq; prudenter illũ facere, qui dissimulat se id ignorare, quod scit, perinde ac si nesciat. Vnde illud Horatianũ: Stultitiam misce consilijs breuem. & alibi: Dulce est desipere in loco. & Plautus: Quod scies, ne scìueris.

Aqua hæret. CLXVII

Aqua cum hæret, non fluit recto fluxu. Vnde in eos prouerbium uenit, Aqua hæret, qui quemadmodum cum aqua hæret, non habentes uerum cursum, absurda dicunt, & minime conuenientia, ac ab omni rationis discursu aliena, autore Cicerone in iij. offic. libro ubi ait, cum de Epicuro loquitur: Dicit ille quidem multa multis locis, sed aqua hæret, ut aiunt. Hoc est, hallucinatur in re facili, quam ignorando difficilem reddit, uti fit in aqua, quæ cum fluere & labi soleat, hærere, contra suam naturam dicitur, id est, fieri res difficilis, quæ potius facilis esset.

Dij facientes adiuuant. CLXVIII

Hoc prouerbium simile penè est illi, quod inferius referam, Fortes fortuna iuuat. Sensus autẽ est, ut priusquam incipiamus, deorum auxilium imploremus, quo illi nobis aliquid agentibus faueant. Vnde Vergilius in primo georg. ait: In primis uenerare deos. Et Martial. Luce deos oro. Quod Varro de re rust. lib. primo usurpat ita scribens: Et quoniam, ut aiunt, Dij facientes adiuuant, prius inuocabo deos.

Scuto pacem petere. CLXIX

Diuus Hieronymus in epist.xij. *Scuto pacem petere,* prouerbialiter dixit. Quod in eos adagij loco usurpari potest, qui sub specie pacis petendæ, bellum inferunt, uel ijs rite congruit, qui belligerando pacem sibi pariunt, nanq; ita interdum usu uenit, ut quo acrius fit bellum, hoc maturius pacem inuehat.

Qui arat oliuetũ, rogat fructum, qui stercorat, exorat, qui cædit, cogit. CLXX

Agricolarum hoc uetus est prouerbium, quo admonentur, ut oliuetũ colere debeant, quod cum à Colum. lib.vi. probe declaretur, eius ideo uerba ponã: Quin etiam, inquit, compluribus interpositis annis, oliuetũ putandum est, nam ueteris prouerbij meminisse conuenit, Eum qui aret oliuetum, rogare fructum, qui stercoret, exorare, qui cædat, cogere. Hoc autem adagio modum docet cuiuslibet rei potiundæ, qui enim uult uoti compos fieri, debet uti diligentia, quæ si parua fuerit quasi rogabit, si mediocris, impetrabit, si extrema omnino coget, quia ut poëta ait: Labor omnia uincit improbus.

Iniquũ petendum, ut æquũ feras. CLXXI

Hoc uetus est prouerbiũ, significat enim inhonestum aliquando petendum, ut honestum assequamur, ut Cicero pro Milone facit, qui insidiatorẽ primo Clodium ostendit, tamen addit ex abundanti, etiã si id non fuisset, talem tamen ciuem, hoc enim haud æquum est, cum

summa

summa uirtute interfectoris & gloria, necari potuisse. Quod cum à Fabio lib. iiij. orator. institut. luculenter declaretur, eius proinde subijciam uerba: Nec ullum tamen, inquit, ordinem, de quo prius dixi, damnauerim, quia quędã etsi ipsa sint dura, in id tamen ualent, ut ea molliant, quæ sequũtur. Nec omnino sine ratione est id, quod uulgò dicitur, Iniquum petendum, ut æquum feras. Quod tamen nemo sic accipiat, ut omnia credat audenda, recte enim Græci præcipiunt, non tentanda, quæ omnino effici non poßint. Vnde Terentianum illud: Quoniam non potest fieri id, quod uis, id uelis, quod poßis.

Vt pisces hamo, ita homines beneficio capiuntur. CLXXII

Apud Siculos tritum est sermone prouerbiũ, Vt pisces hamo, ita homines beneficio capiũtur. Sic notatur hominum cupiditas, qui beneficijs tanquam appositis escationibus capti facile decipiuntur, ueluti pisces esca. Vnde Teren. in Adel. ait: Nescis inescare homines.

In Caria hoc faciendum esset. CLXXIII

Cares, ut testis est Strabo lib. xij. geograph. populi sunt in Asia minore, de quibus Martialis ait: Laudibus immodicis Cares in astra ferant. Et quoniam ferocißimi & bellicosißimi sunt, dicẽte Pomponio Mella, Caria sequitur, habitatur incertæ originis, alij indigenas, sunt qui Pelasgos, quidam Cretes existimant, genus usque eò, quondam armorum pugnæq; amans, ut

aliena etiam bella mercede agerent, hinc græcum oratum uulgò prouerbium, In Caria hoc faciendum esset. Cui locum apposite accõmodabimus, quoties uolumus significare aliquid cũ periculo, silent enim leges inter arma, ut Cicero ait, esse faciendũ. Ibi enim hominũ genus intractabile est, autor Cic. in oratione pro Lucio Flacco, ubi inquit: Quid de tota Caria est, nónne hoc uestra uoce uulgatũ est, si quid cum periculo experiri uelis, in Caria potißimum esse faciendum?

Quô non peruenit leonis pellis, uulpina assuenda est. CLXXIIII

Lysander Lacedæmonius autore Plutar. dicere solebat, Quô non perueniret leonis pellis, uulpinam pellem esse assuendam. Quo prouerbialiter dicto significabat, ubi uis non satis pollet, adhibendam esse uulpeculæ fraudem, ut Græci si fabulis credimus, Troianos multis post prælijs, ut Annibal Marcellum, ut Tarquinius Gabios, ut Samnites uiribus haudquaquã pares, duce Pontio, ad Caudinas furculas, Romanos consules fraude & insidijs exceperunt, circũuenerunt, uicerũt.

Bene plaustrum perculit. CLXXV

Plaustrum quod currum significat, cum bubulci siue aurigæ mira quadam dexteritate uertant, inde teste Donato, deriuatum est prouerbium, Bene plaustrum perculit. hoc est, peruertit. Quod de ijs dicitur, qui suis uerbis facile quempiam à sententia deducunt, & à Terent. in Eunucho his uerbis usurpatum: Quô trudis,

dis, perculeris iam tu me.

Anseres inter olores strepunt. CLXXVI

Olor *Latine, cygnus græce, auis est candidißima, uocem habens argutam.* Ouid. *Ad uada Mæandri concinit albus olor. Anser autem obstrepera.* Ob *hanc igitur distantiam, factum est in eos prouerbium, qui se ijs rebus quas ignorãt, petulantius audent immiscere, uel de rebus suis nimis sibi assumunt.*

Scis uti foro. CLXXVII

Cum mercatores ante locum cõmercij, non præscribant, quanti uendant, quæ aduexerint, sed secundum annonam fori, quã deprehenderint, consilium de uendendis mercibus sumant, hinc ortum prouerbium, Scis uti foro. V*nde cum aliquis pro loci, pro temporis, pro personarum ratione, non ignorat, quod se facere oporteat, eleganter dicimus,* Tu *scis uti foro, de quo mentionem fecit* Terentius *in* Phormione.

Maria montesq; promittere. CLXXVIII

Prouerbialis *hyperbole est per superlationẽ facta, nam mare est elementum latißimum, montes uero sunt moles quædam maxima.* Illi *igitur qui ea quæ fidem excedunt, temere pollicentur, dicuntur maria montesq; promittere,* Quod Terent.*in* Phorm. *usurpauit dicens: Pellexit modo non montes auri pollicens. Cui cognatum est* Horatianum *illud:* Parturient *montes, nascetur ridiculus mus. &* Persius *Saty.iij.* Et *quid opus* Cratero *magnos promittere montes.*

Omnia ſub unam Myconum. CLXXIX

Strabo lib.x.geograph.cũ de Cycladibus loquitur: Suprà extat, inquit, & Myconus, ſub qua gigantum nouiſsimos ab Hercule mactatos iacere fabulantur, ex qua deriuatum prouerbiũ, Omnia ſub unam Myconũ. Quandoquidem quæ natura diſtinguuntur, ſub unum titulum, deſcriptionemq́; ducuntur. Hæc ille. Huius adagij haud dubie ſenſus abſtruſus eſt, ſed ne hunc locũ inexplicatum ſi fieri poteſt, relinquam, nonnullorum ſententiam ſanè eruditorum referam. Quidam dicunt Strabonem alluſiſſe ad naturã gigantum, qui quamuis formam humanã excedant, homines tamen ſunt, & ita ſub una deſcriptione ducuntur. Alij autem, prouerbiũ deriuari ab eo, quod omnes gigantes ſimul iaceant, nam licet natura ſeparati eſſent, hoc eſt, alius aliubi maneret, omnes tandem unam ſedem habuerũt, id eſt, ſub Myconum iacuerunt. Quæ ſententia ſi potior ut placet, eſt, quoties ea quæ ſparſa diu fuerunt, in unum congeruntur, eleganter dicere poſſumus, Omnia ſub unam Myconum, quia hic de indiſcretis agi uidetur. Ac talis parœmiæ origo proditur. Cæterũ obſeruaui apud Vergilium, Myconem tertij ordinis, nõ Myconum ſecundi proferri, ait enim in iij. Aeneid. Errantem Mycone celſa, Gyaroq́; reuinxit, ut in alterutro menda ſit. Vnde etiam illud eſt,

Hic Myconius eſt. CLXXX

Myconij omnes Strab. teſte eodem lib. calui ſunt, qui

qui Myconios inquit, etiam quidam caluos appellant, cum illud uitium ea paßim exuberet in insula. Vnde *autore* Donato, *super* Hecyra, *ortum est prouerbiũ, ut cum quempiã caluitio laborare uidemus, dicamus,* Hic *Myconius est.*

Singula regio habet suos cantus. CLXXXI

In *singulis regionibus sunt quædam propria,* Parthi *artem iaculandi callent, ut* V*ergilius:* *Gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.* *Arcades à natura uim musicæ habebant.* Idem: *Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.* Et *cantare pares. Thracia circa arma tractanda floret.* Ouidius: *Armiferam Thracem qui regat, alter erit. Vnde uice prouerbij factum est, ut cum uolumus significare alias gentes alijs moribus uiuere, aut artibus excellere, dicamus, Singula regio habet suos cantus.*

Malum consilium, consultori peßimum est. CLXXXII

Statua Romæ *in comitio posita* Horatij *Coclitis fortißimi uiri de cœlo tacta est.* Ob *id fulgur piaculis luendum, aruspices ex* Hetruria *acciti inimico atque hostili in populum* Romanũ *animo, instituerant, eam rem contrarijs religionibus procurare, atq; illam statuam suaserunt, in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circumundiq; aliarũ ædium, nunquã illustraret.* Quod *cum ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditiq; sunt, & cum de perfidia*

confeßi essent, necati sunt. Constitit eam statuam perinde ut uerae rationes post compertae monebant, in locum aeditum subducendam, atque ita in area Vulcani sublimiore loco statuendam, ea res bene, & prospere reipublicae ceßit. Tunc igitur, teste Gellio noctiū atticarum lib. iiij. cap. v. quod in Hetruscos aruspices male consulentes animaduersum uindicatumq; fuerat, uersus hic scite factus, cantatusq; pueris urbe tota fertur, Malum consilium consultori peßimū. Et iam in prouerbiū ceßit in eos, qui cum consulentibus se male consulant, huius subinde dolosi consilij poenas expendunt, uel eis illud quoquomodo malo est, quandoquidem consilium res est sacra, uti apud Graecos prouerbio dicitur, ac propterea sancte dandum est. De eo etiam M. Varro lib. iij. cap. ij. de re rustica mentionem facit. Vbi illud notatu dignum est, quod consultor pro eo, qui dat consilium capitur, cum grammatici consultorem appellent eum, qui consilium petit. Horatius in primo sermonum usurpauit scribens: Sub galli cantum consultor ubi hostia pulsat.

Latet anguis in herba. CLXXXIII

Hemistichius Vergilij uersus est, iam prouerbij loco uulgatus, hinc utiq; deriuatus, nam Eurydice Orphei uxor dum herbas perambularet, calcauit inscia latentem serpentem, cuius morsu perijt. Nos itaq; cum uolumus significare esse cauendum, ne quid inter res laetas, noxium nobis incautis eueniat, dicimus: Latet anguis in herba.

in herba. Fabulam autem ipsius Eurydices *notiorem esse ducimus, quàm ut sit hoc loco referenda.*

Dum pluit, molendum esse. CLXXXIIII

Plinius lib. xviij. cap. vi. ait: Malum patremfamiliâs esse, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, peiorem, qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet, peßimum uero, qui sereno die potius sub tecto operaretur, quàm in agro. Quoniam igitur ut Vergilius in georg. primo docet, pro qualitate tẽporis, munia obeunda sunt, hinc factum est prouerbium, Dum pluit, molendum esse. *Eo enim tempore sub diuo, agricolæ se exercere nequeunt, quo uti possumus, cum rei gerendæ tempus idoneum esse significare uolumus.*

Herbam tibi do. CLXXXV

Herba in hoc loco palmam, id est, uictoriam significat; ut Vergil. in iij. georg. Atq; immemor herbæ Victor equus. Vnde teste Plin. lib. xxij. cap. iiij. apud antiquos, summum uictoriæ signum erat herbam porrigere uictos, quod perinde uidebatur, ac si sese uictos faterentur, & uictori cederent. Porrò, ut testatur Festus, qui parato cursu, aut uiribus contendebant, cum superati erant, ex eo solo in quo certamen erat, decerptam herbam aduersariò dabãt, quod pastoralis uitæ indicium erat. Atq; ex hoc, autore Seruio super viij. Aeneid. factum est prouerbium, Herbam tibi do, *hoc est, fateor me uictum. Cur autem palma uictoriæ signum esset, Aristoteles in vij. problematum scribit:*

Si super palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter urgeas, oneresq́; ut magnitudo oneris sustineri non queat, nō deorsum palma cedit, nec introflectitur, sed aduersus pondus insurgit, & sursum nititur, recuruaturq́;. Propterea ait Plutarchus *in certaminibus palmam signum esse placuit uictoriæ, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, ut urgentibus prementibusq́; non cedat.*

Pupilla oculi nobis charius. CLXXXVI

Pupilla est pars illa oculi parua in media cornea sita, in qua ita absoluta uis speculi redditur, ut tam exiguum spatium totam imaginem hominis reddat, quæ causa est autore Plin. *lib. xi. cap. xxxvij. cur pleræq; aues è manibus hominū oculos potißimum appetant, quod effigiem suam in ijs cernentes, uelut ad cognata desideria tendant.* Hæc *nobis adeò chara est, ut locum prouerbio dederit, cum dicimus aliquid pupilla oculi nobis charius esse, uel illud, quod oculi ut idē* Plin. *ait, sunt pars corporis preciosißima, siquidem ij lucis usu uitam distinguūt à morte.* Vnde Macrob. *in fronte lib. ij. de somnio Scip.* Eustachi, *inquit, luce mihi charior.*

Fas nefas. CLXXXVII

Fas nefas, Velis nolis, *Fanda nefanda,* Digna indigna, *huiusmodi modi loquendi paßim prouerbiales inueniuntur apud scriptores, autor* Donatus.

Is se reperit. CLXXXVIII

Hoc *teste* Donato, *uetus prouerbiū est, & à* Terentio *in*

tio in Eunucho usurpatur, competit autẽ ijs, qui ipsi se produnt. Verbi gratia, Si quis quæreretur in noctu, & nusquã inuentus uocẽ emitteret, tunc ille se reperiret.

Hic se furti alligat. CLXXXIX

Solent pleriq; homines ita temere loqui, ut quo magis se defendere cõtendant, hoc sese per inscitiam, grauius culpæ astringant. Vnde ortum prouerbiũ, Hic se furti alligat. In eum, qui ut uulgò dicitur, sibi pedem securi ferit, quod scienter à Terentio usurpatur. Ergo summa quidem, quemadmodum Cicero præcipit, adhibenda est in loquendo diligentia, & illud teste Gellio, faciundum est, silere cum opus est, & tutò loqui, nam quod nemo scit, penè nõ fit. Quot enim uoces per ignauiam emittũtur, postea per iugulũ redituræ? quot scelera, quot crimina unico uerbo deteguntur, quæ paulò post nobis cladem, mortemq; afferunt?

Tua uerba gerræ sunt, uel gerras clamitas. CXC

Gerræ à gero, uel à garrio, ut quidam uolunt, dictæ, nugas proprie significant. Vnde cum prouerbialiter quempiam nugari significare uolumus, dicimus, Tua uerba gerræ sunt. Quod adagium Plautus in Penulo facit, ut ait: Tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet, gerræ germanæ. Quidam à græco gerras deductas existimant, qui γέῤῥα uocant crates uimineas, cum enim Athenienses, autore Festo, Syracusas obsiderent, & crebro gerras poscerent, irridentes Siculi

gerras clamitare cœperunt. Vnde factum est gerras clamitare, id est, nugando irridere.

Egregia musica quæ sit abscondita, nulli rei est. CXCI

Cum homini erudito nihil quicquã sua uirtus prosit, si illam ipsam occultat, aut musices callenti artem, si itidem canere non uult, hinc ortum teste Gellio, prouerbiũ, qui in xij. noctium atticarũ ait: Nosti, inquã, magister uerbum illud scilicet uetus, Egregiam musicam quæ sit abscondita, eam esse nulli rei. Et Tranquillus de Nerone, Græcum prouerbium inquit iactans, Occultæ musicæ nullum esse respectum. Cui non absimile est Horatianũ illud: Parum sepultæ distat inertiæ Omnis celata uirtus. Ad id & Persius respexit, cum dixit: Scire tuũ nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter.

Viue moribus præteritis, loquere uerbis præsentibus. CXCII

Phauorinus philosophus, autore Gell. lib. i. cap. x. adolescenti ueterum uerborũ cupidißimo, & pleraſq; uoces nimis priscas, & ignotißimas in quotidianis cõmunibusq; sermonibus expromenti: Curius inquit, & Fabritius, & Coruncanus antiquißimi nostri & his antiquiores Horatij illi trigemini planè & dilucidè cum suis fabulati sunt, neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorũ, qui primi coluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ uerbis locuti sunt. Tu autem perinde quasi cum matre Euandri nunc loquens, sermone abhinc

hinc multis annis iam desito uteris, quod scire atq; intelligere neminem uis, quæ dicas. Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta, & bona, & sobria, & modesta sit. Viue ergo moribus præteritis, loquere uerbis præsentibus. Hæc Phauorinus. Sed huiusmodi uerba audio paßim usurpari, adeò ut iam in prouerbium cesserint, in eos, qui nimis antiquarij sunt, remotiorisq; antiquitatis soliciti indagatores existunt.

Teneto te intra pelliculam. CXCIII

Prouerbium erat apud antiquos, in eum, qui rem ultra uires tentaret, ut dicerent, Teneto te intra pelliculam. Hoc usurpat Horatius in sermon. & à Mart. lib. iij. in Cerdonē aptißime dicitur his carminibus: Lusisti, satis est, sed te mihi crede, memento Nunc in pellicula Cerdo tenere tua. Cæterum ille se intra pelliculam tenet, qui re sua contentus uiuit, quod ueteres Gaudere in sinu scienter dicebant. Tibullus: Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Animam debet. CXCIIII

Mos uetus erat, ut qui soluendo non esset, propter æris alieni magnitudinem, creditori addiceretur, hoc est traderetur, tanquam uenditus, donec compensaret opera summam sibi creditam. Vnde factum est, teste Donato, prouerbium græcum de ijs, qui cum grande æs alienum fecerint, animam ipsam debent, id est, necesse est, non modò res, sed seipsos in creditoris potestatem tradere. Cum nos itaque uolumus quem

piam significare esse obæratũ, scite quidem dicimus, Hic animam debet.

Immisi fontibus apros. CXCV

Apris quædam in luto uolutandi gratia est, quare puros fontes cœnosos reddunt. Ex quo ortum est prouerbium rusticanũ, Immisi fontibus apros. Sic exprimitur stultitia eorum, qui suis rebus damno sunt, quod Vergilius in Bucolicis usurpat.

Obsequium amicos, ueritas odium parit. CXCVI

Solent plerique homines aliena flagitia percupide & uidere, atque reprehendere, sua autem nec uident, nec omnino ab alijs obiurgari patiuntur. Hinc igitur Terentianũ illud est, quod ab eruditis in adagij usum uerti audio: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Nam molesta ueritas est, siquidem ab ea nascitur odiũ, quod est uenenũ amicitiæ. Ex quo seruile est illud adulatorum hominũ genus, qui malefacta laudantes, amicos præcipitant. Obsequium igitur multo perniciosius est, quàm ueritas, quod peccatis indulgens amicũ labi sinit. Scitum ideo, teste Cicerone in amicitia, illud Catonis longe uerißimũ est: Multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces uideantur, illos uerum sæpe dicere, hos nunquã. Quapropter Socrates uir longe sanctißimus non utique iniuria, in Gorgia Platonis, uult amicos peccantes ab amicis apud iudices accusatos, quo meliores fiant.

Annus

Annus fructificat, non tellus. CXCVII

Theophrastus lib. viij. inquit: Ad frugum incrementum alimentumq; plurimum quidem cœli temperies, atq; in totum, anni conditio iuuat, imbribus enim serenitatibusq; opportune secutis, omnia feracia atque fœcunda redduntur, quamobrem non perperam prouerbio dicitur, Annus fructificat, non tellus. Vnde Vergilius hoc idem affirmans ait: Humida solstitia atque hyemes orate serenas Agricolæ.

Multos modios salis cum amicis edendos esse. CXCVIII

Cum nihil sit difficilius, quàm animum hominũ perspicere, est longo quidem cũ amicis uiuendũ tempore, antequã ueram amicitiam esse appellemus, sunt enim quidam, qui ad tempus ament, quidam autem, qui amicitiam utilitate probent, ut Philippum Macedonem facere cõsueuisse Trogus prodidit. Propter quod Solon aiebat: Amicos cito noli acquirere, quos acquisiueris, reprobare caue. Hinc est prouerbium, Multos modios salis cum amicis edendos esse, ut, quemadmodũ Cicero in Amicitia docet, munus amicitiæ expletum sit, Hoc est, diu simul uiuendum esse, nam cum ex condimentis, nihil minus quàm salis comedamus, ad multos proinde modios edendos, longo tempore opus est.

Non nobis solum nati sumus. CXCIX

Diuinus Plato ad Architam Tarentinum scripsit, cuius hæc uerba sunt: Qui literas reddidere tuas, nar-

rauerunt nobis te moleste ferre, quod à publicis tuæ ciuitatis occupationibus te liberare non ualeas. Quod igitur dulcißimũ uitæ genus sit, agere sua, præsertim, si quis talia elegerit facienda, qualia tu, omnibus manifestum est. Sed illud quoque te considerare oportet, nullum nostrum sibi soli natũ esse, sed ortus nostri partem sibi patriam uendicare, partem parentes, partem amicos, multa insuper pro temporũ diuersitate, nobis accidere, quibus nostra uita occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad rempub. gubernandam, absurdũ forsitan esset, non parêre. Plato hactenus. Hoc itaque ut Cicero in officialibus libris ait, præclarum dictum iam olim in prouerbij consuetudinẽ uenit. Vnde quoties uolumus significare omnia referenda esse ad communem utilitatem, & omni officio aliorũ animos demereri oportere, omnibusq; adesse, dicimus, Non nobis solum nati sumus. Etenim quotusquisq; est, qui sibi satis sit? Quo fit, ut per hoc liquidò liqueat, nobis inuicem succurrendum esse.

Lentiscum mandentes. CC

Græcorum hoc uetus est adagium σχινοτρῶγον, id est, lentiscum mandentes, aduersus eos, qui nimio se comendi studio superfluunt, quasi dentibus exterendis & fricandis tantum incumbant præ desidia, nam Lentiscum, teste Plinio naturalis historiæ lib. xv. arbor est mastichem sudans gummi modo, ex qua dentifricium poëta Martialis in apophoretis cõmendat: Lentiscum melius,

melius, sed si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna leuare potest. Hoc *nos in eos uti possumus qui circa cultum corporis, ueluti* Tranquillus *de* C*æsare refert, morosiores sunt.*

Diuide ficos. CCI

Prouerbium *græcum est* σῦκα μέριζε, *id est, diuide ficos, tractum à fratribus diuidentibus bona, qui eousque minima quæque diuidi postulant, ut ficorum partem diuidi uelint, quod* Martialis *urbanißimus poeta lib.* v. *in* Calliodorū *usurpauit, ubi inquit:* Q*uadringenta secat, qui dicit* σῦκα μέριζε, *id est, diuide ficos.* Q*uoties itaq; auarū aut uendentem ementemúe aliquid, uel diuidentem quod minimum, quodq́; magni æstimet, notari uolumus, eleganter dicimus* σῦκα μέριζε, *id est, diuide ficos.*

Honores mutant mores. CCII

I*lli qui adipiscuntur magistratus, imperia, honores, diuitias, opes, & ea omnia quæ sunt in manu fortunæ, debent, autore* Cicerone *in officialibus libris, se perinde gerere, ac temporis conditio & ipsa dignitas poscit, quia ut* Pittacus *ait, Magistratus uiros ostendunt. Vnde in prouerbio dicitur,* Honores *mutant mores.* Q*uod ita facere oportere illud* Fabij Maximi *exemplum perbelle docet, is, teste* Liuio *libro quarto de secundo bello* Punico, *in* Apuliam *filio legatus ad* Suessulam *in castra uenit, & cum obuiā filius progrederetur, lictoresq́; uerecundia maiestatis eius, antea*

irent taciti, præter duodecim fasces equo profectus est senex. Vt consul animaduertit, proximum lictorem, is enim mos erat, misit, & ut is descenderet ex equo, conclamauit. Tum demum desiliens, Experiri, inquit, uolui fili satin scires consulem te esse. Cuius rei uel Valerius Maximus libro secundo meminit.

Silere à bonis. CCIII

Silet cœlum, luna, herba, cœlum quod serenum est, luna quod coit, herba quæ nondum germinat, priora duo ex Plinio, ultimũ ex Columella. Silent & à uento loca, à Plinio, Catulloq; dicitur. Et in sacris literis ab Ambrosio prouerbiũ, Silere à bonis, pro eo, quod est ad contumelias non hiscere, sed obsurdescere, obmutescereq; uirtutis conscientia.

In spongiam incubuit. CCIIII

Augustus Cæsar, autore Tranquillo, cum tragœdiam de Aiace magno impetu exorsus non succedente stylo, aboleuisset, quærentibus amicis, quidnam Aiax ageret, festiuiter respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse, significare uolens se spongia deletili deleuisse Aiacem suam tragœdiam. Quod etiam Macrob. in ij. saturnal. testatur. Hinc itaq; iam uice prouerbij inoleuit, ut quoties uolumus significare, uel aliquid obliuioni mandatum, uel tanquã minus probatum iam interruptũ, penitusq; deletum esse, eleganter dicamus, In spongiã incubuit, hoc est, incidit. Scripta enim quæ improbantur, spongia deleri solent, quam ob hoc deletilem

tilem prisci dici uoluerunt, dicente Mart. Vtilis hæc quoties scripta nouare uoles. Illud obiter annotatu dignum ducimus, Plinius lib. ix. natural. hist. cap. xlv. spongijs quanquã de ijs sunt, quæ tertiam naturam habent, non animaliũ, neq; fruticum, sensum inesse tradit: Intellectum enim, inquit, his inesse apparet, quia ubi auulsorem sensere contractæ multo difficilius abstrahuntur, hoc idem fluctu pulsante, faciunt. Hæc ille.

Vultur es, cadauer expecta. CCV

Apud Senecam in epistola xcv. de captatoribus prouerbium est, qui cum mirum in modum ut Iuuenalis ait, Oblectentur aliena uiuere quadra, non cessant blanditijs & illecebris quibusdam ac obsequijs alienas captare cœnas, qui meritò uultures appellantur, nam uultur, perinde ac captator cœnas, cadauera sectatur, præter cæteras aues, ut illud Ennij: Vulturis in syluis miserum mandebat homonem. Vel Plin. testificante lib. x. cap. vi. qui triduo, inquit, aut biduo uolare eos, ubi cadauera futura sunt. Cæterum hoc idem adagium Martial. lib. vi. usurpasse uidetur, ubi ad Opianum captatorem scribit: Amisit pater unicum Silanus. Cessas mittere munera Opiane; Heu crudele nephas, malæq; parcæ, Cuius uulturis hoc erit cadauer? Hæc ille. Nos igitur non minus prouerbialiter quencunque alicui rei percupide inhiantem uulturem appellare quimus, sed speciatim quadrabit in hæredipetas, qui sic diuitum funera captant, ut animalium

cadaueribus uultures imminent, quæ mox depascantur, uulgata ab illis metaphora.

Nabis sine cortice. CCVI

Metaphora est ab ignaris natandi sumpta, qui ne mergantur aquis, alligant humeris corticem, siue ut hodie fit, aridam cucurbitã, quo sine artificio, in superficie aquarũ sustententur, significat enim aliquid sine difficultate, alienoúe adminiculo agere, ut faciunt qui nandi artem callent. Quod Flaccus Horatius in primo sermonũ prouerbialiter usurpat dicens: Membra animumq; tuum nabis sine cortice, Hoc est, sine præceptoris opera, iam ipse te recte gubernabis, & ad id poëta alludere uidetur, quod Atheniensiũ pueri statim nati & literas & natandi artem discebant, quarum si quis fuisset imperitus, ille uelut ignauus ac indoctus ab omnibus negligebatur. Vnde in eiusmodi asinos prouerbium natum, Neque literas scit, neq; natare. Cuius Plato in iij. de legibus meminit.

Te mattea iuuant. CCVII

Georgius Alexandrinus enarrans hunc Martialis locum lib. x. Sed te Mattea sola iuuant, ait hoc græcum esse prouerbium de ijs, qui supra modum delicati sunt, mattea enim quæ Tranquillus in Caligula fœminino genere protulit, preciosa edulia sunt. Apud Græcos matyasim significat mattea, seu mactetas conficere, hoc est, ganeata cibaria. Quod in gulosos & delicatos eleganter hærebit.

Cupressum

Cupressum scis simulare. CCVIII

Hoc, autore Porphyrione, græcum est adagium in malum pictorem, & ab Horat. in poëtica arte usurpatum, qui cum nesciret aliud bene pingere, quàm cupressum, ab hoc naufragus quidam petijt, in tabella fatum suum exprimi, ille autẽ interrogauit num ex cupresso uellet aliquid adijci. Hinc igitur in ludicrũ prouerbij abijt in eos, qui relicta propria materia, quam exequi desperant, importune alios ornatus inducunt.

Leoni mortuo barbam uellis. CCIX

Leo animal ferocißimum facile in iram prouocatus uertitur, in quã natura ipsa pronus est, uerũ mortuus ut cætera omnia animalia, quãuis iritatus minime excitatur. Vnde uulgò prouerbium, ut cum quispiam uult aliquẽ excitare, qui moueri non poßit, dicamus, Leoni mortuo barbam uellis. Quo Martialis lib. x. in Ligellam usus esse uidetur, ubi ita inquit: Quare si pudor est, Ligella noli Barbam uellere mortuo leoni.

Oderint, dum metuant. CCX

Caius Caligula princeps, Suetonio autore, tragicũ illud frequenter iactabat, Oderint, dum metuant. Ex quo exclamat Seneca dicens: Vocem illam diram & abominandam, Oderint, dum metuant, Syllano scias seculo scriptam. Idem lib. ij. de clementia: Considero multas uoces magnas, sed detestabiles in uitam humanam peruenisse, ut illam, Oderint dum metuant. Cicero quoque in prima Antonianarum: Videmus etiam,

inquit, in fabulis ipsis, illi qui oderint, dum metuant, dixerit, perniciosum fuisse. Vox autē hæc tragica est, & ab Atreo crudelißimo apud poëtam tragicum usurpata. Cuius rei mentio quoq; fit ab eodem Marco Tullio in primo de offic. Sed cum metus sit malus custos diuturnitatis, contráq; beneuolentia fidelis, uel ad perpetuitatem, debet bonus princeps potius diligi uelle, quàm timeri. Præclare enim Ennius: Quem metuunt, oderunt. Quem quisque odit, perijsse expetit, & necesse est multos timeat, quem multi timent. Ad opes autem principis tuendas, nihil aptius beneuolentia populorum. Hæc sunt munimenta firmißima, ac arces inexpugnabiles, & ut ait uerißime Cyrus apud Xenophontem, non est aureum sceptrum, quod regnum seruet, sed animi ciuium sceptrum sunt regibus uerißimū, maximeq; securum. Et Bias Prienæus: Ciuibus omnibus placere stude, habet id enim multū gratiæ, contrà superbia semper nocuit. Dicere solebat Dionysius tyrannus, uincula adamantina esse metum, uiolentiam, classem, & decem millia armatorū. Sed quis non uidet magis uincula adamantina & esse, & dici debere beneuolentiam, iustitiam, beneficentiā, atq; clementiam? Igitur cum gloriosum sit diligi, insidiosum uero atque caducum metui, perge inclyte Guido, & paternis insiste uestigijs, collige sicuti facis, tuorū ciuium beneuolentiam, dato operam, ut sis magis diligendus, quàm timendus. Profectò, ut citra assentationem, uera profitear,

tear, nullus unquam suis tam charus fuit, quàm gens Feltria omnibus Vrbinatibus, cæteris suis populis, uiris pariter summis, atq; medijs, infimis chara est, per quã, iam immutari potest uox illa dira, Oderint, dum metuant, in uocem amabilem, Diligant, nec metuant. Sed eò iam reuertatur unde digressa est oratio. Hæc uox itaque malorum principum est, & in eos peculiariter instar prouerbij uulgata, quam ideo inter prouerbia referre placuit, ut principibus & regibus dignum aliquid attigisse uideremur.

Hoc bene sit. CCXI

Hoc apud antiquos prouerbium fuit, quemadmodum, Dij bene uertant, aut felix faustumq; sit, quoties rem admodum magnã & insitatã aggressuri erant. Nam sic Persius saty. iiij. auarum ueluti rem magni sumptus, cœnaturum inducit dicentem, Hoc bene sit. Liuius itidem ab urb. cond. cum de trecentis Fabijs illis in Veientes euntibus loquitur: Vt illud, inquit, agmen faustum atq; felix mittant. & aliubi in hanc sententiã sæpius, Felix faustumq; sit, ait. Et Apuleius in asino aureo lib. ij. quo uti maxime decet in omnibus rebus subeundis, quas cumprimis bene cadere optamus.

Non omnibus tuta inter Cyaneas petras, contingit nauigatio. CCXII

Cyaneæ petræ, autore Strabone lib. i. & iij. duæ insulæ Ponti mille quingentis paßibus ab Europa distantes, quas Symplegades uocauere nonnulli, per By

zantiaci oris angustias, asperrimum nauigantibus facere transitum, per quas ipsa Iasonis nauigatio fuisse dicitur. *Vnde uulgò ortum est prouerbium,* Non omnibus tuta inter Cyaneas petras,cõtingit nauigatio, *quoties significare uolumus à locis periculosis esse cauendum, nec eò se temere cõmittendum, quod illa ipsa quipiam prius incolumes euaserint. Possumus etiam in eos apte torquere, qui ideo aliquid quod lege cautum sit, tentare audent, quia idem qui antea fecerint haud pœnas dederint.*

De manu in manum. CCXIII

Hoc *quamuis adagium satis omnibus uulgatum sit, tamen cum apud idoneos scriptores reperiam, præsertim apud* Cicer. *non prætereundum silentio duxi, qui libro epistolarum famil. vij. ad* Cæsarem, *cum ei* Trebatium *commendat:* Neque, inquit, impedio, quo *minus si tibi placuerit, etiam hisce eum ornes gloriæ insignibus, totum denique hominem tibi trado, de manu, ut aiunt, in manum tuam.* Hæc ille. *Cæterum hoc prouerbium ordinem significat, est enim tractum ab ijs, per quorum simul sedentium uel ordinatim stantium manus, hoc est, de unius in alterius manum traditum aliquid à primis ad extremos, è conuerso à calce ad frontem defertur, ut fit in acie equitum, etiam hodie, cum ab ultimis aciei, quippiam ad primos per singulorum equitum manus deportatur.*

Cecropiam

Cecropiam contra sus est, tenditq; Mineruam. CCXIIII

Cleander in ij. prouerbioru ait Herculem Adonidis statuam conspicatum dixisse, Cecropiam contra sus est, tenditq; Mineruã. Quod postea in eos dici cœpit, qui potentioribus & sapientioribus aduersari uolunt. Hoc perinde absurdum est, ac si sus quo nullum aliud animal magis brutum, magisq; indocile est, Cecropiam, id est, Atheniensiũ aliquem, qui sapientissimi habiti sunt, uel Mineruam arguat. Adagionis sensus talis est, qualis illius, Sus Mineruam docet.

Nihil sacrum. CCXV

Aliud item ab Hercule tractum, quod Theocritus in Aepolico scripsit, is enim cum in Macedoniã intrasset, uidit multos ex quodam sacello prodeuntes, & uolens ipse etiam ingredi, cui nam dicatum esset interrogauit, cum audiuisset Adonidi, respondit, Nihil sacrũ. Hoc est, nulla re dignum, nulli ferè deo sacratum. Quod inde in prouerbiũ cessit, ut quoties rem nullius ponderis significare uolumus, dicamus, Nihil sacrum. Sic Hercules de Adonide iudicauit, quod is nihil egisset, quod diuinitatis honore fuisset dignum. Fuit Adonis pulcherrimus iuuenis, quem Venus dilexit, & ab apro interfectum in florem purpureum conuertit. Lucianus tradit consueuisse orgia fieri in honorem huius Adonidis, in quibus cædebantur, lamentabanturq;. Quod uerum esse testatur Ezechiel propheta dicens:

Et ecce mulieres sedebant plangentes Adonidem.

Qui Crotoniatarũ postremus est, is reliquorũ Græcorũ primus. CCXVI

Croto Calabriæ ciuitas est, de qua Ouidius plene lib. xv. Metamorph. scripsit, ubi ait: Nec inhospita tecta Crotonis, quam autore Strab. lib. vi. geograph. cum Achiui à deo oraculum accepissent, ut conderent, Myscellus ad considerandum locum accesit, qui cum iam ædificatam cerneret Sybarim, à uicino flumine cognomen habentem, hanc præstantiorem esse iudicauit, id propter reuerso ad oraculum denuo, atque roganti nunquid hanc pro illa condere datum esset, deus has reddidit uoces, erat enim gibberosus Myscellus: Terga breuis Myscelle tuo de pectore omitte, Cætera perquirens frustra, en uenaris iniqua. At tectũ quodcunque datur, tu laude probato. Reuersus igitur Crotonem construxit. Fuit autem ciuitas rei bellicæ peritissima, nec paruam exercendis athletis operam dedit. In unius itaque Olympiadis ludis septem uiri qui cæteros studio superarunt, Crotoniatæ fuere omnes. Ex quo prouerbium. Qui Crotoniatarum postremus est, is reliquorũ Græcorum primus est. Quod perurbane quidem & eleganter nos usurpare possumus, cum uolumus populum aliquem aut ciuitatem, longe cæteris populis urbibusúe nobiliorem excellentioremq; esse, significare. Vnde illud alterum est, propter quod huius ciuitatis originem aliquanto accuratius tradidi, ut

iure ab ouo ut dicitur, cœpisse viderer.

Crotone salubrius asserit. CCXVII

Vetus hoc quoque, teste Strabone eodem geographiæ lib.vi. prouerbiũ est, Crotone salubrius asserit. Inde ortum esse aiunt, quia locus ipse ad salubritatem & corporis habitum, propter athletarum multitudinem, plurimum conferat, de quo Plinius etiam lib.iij. meminit. Nos igitur cum uolumus quempiam locum seu propter aëris temperiem, qua una quidem re, idem Strabo Hispaniã felicem appellat, seu propter amœnitatem, ut Flaccus Horat. de suo Tyburi cecinit, saluberrimum esse, & sanitati admodum congruum ostendere, dicimus prouerbialiter, Crotone salubrius est, uel asserit supple aliquis. Cui contrariũ est illud, quod paulò superius de Scolo pago uulgatum retulimus.

Hic Mysorum ultimus est. CCXVIII

Mysia, teste Plinio lib.v. & Dionysio de situ orbis, & Strabone in xij. Phrygiæ prouincia est. Mysi autem populi quoniam humiles & despicabiles sunt, hinc apud Græcos fuit tritum sermone prouerbium, ut quoties quispiam ludibrio ducebatur, Hic Mysorũ ultimus esse diceretur. Citatur tempestiue à Cicer. in oratione pro Lucio Flacco, ubi inquit: Quid porrò in græco sermone tam tritum atq; celebratum est, quàm si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Nos quoque eleganter in ridiculos homines uti possumus.

Atheniensium renouemus uetus exemplum. CCXIX

Cicero in liminari pagina primæ Antonianarum, prouerbialiter ita locutus est: Nec uero usquam discedebam, nec à repub. deijciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati sumus. In quo tẽplo quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumq́; renouaui uetus exemplũ. significare uolens se omnium actarum rerum atque iniuriarum memoriam penitus delendam esse censuisse. Cuius exempli origo est, bello enim Peloponesiaco, multis Atheniensiũ nomen censentibus esse delendum, negantibusq́; Spartanis, pax sub conditione data est, ut respub. ex Lacedæmonijs triginta rectores acciperet, qui omnes deinde facti tyranni oppressas seruitute tenebant Athenas. Thrasybulus Lyci filius interea Philem confugit munitißmũ in Attica castellum, inde comparata multitudine haud sanè magna, tyrannos in se euntes turpiter repulit, qui protinus in urbem amißis armis, refugerunt. Critias in secundo prælio cecidit tyrannorum dux. Pax facta, Pausaniæ Lacedæmoniorũ regis interuentu, his conditionibus, ut triginta tantum tyranni & decem prætores exilio afficerentur. Eleusinam ij in exilium migrarunt. Tunc autem Thrasybulus libertatis uindex legem tulit, ne quis antea actarum rerum accusaretur. Lex uero illa uocata est obliuionis iniuriarum, quam Athenienses Amnestiam appellauerunt, autores

Valerius

Valerius lib.iiij.de moderatione, Trogus in v. Aemil. Probus in uita Thrasybuli. Nos igitur cum actarum rerum esse obliuiscendum, significare uolumus, eiusmodi prouerbiale schema usurpantes scite dicere possumus, Atheniensium renouemus uetus exemplum.

Vna hirundo non facit uer. CCXX

Ventus Fauonius ad viij. calendas Martias flare incipit, Horat. Soluitur acris hyems, grata uice ueris & Fauoni, quem chelidoniam uocant, ab hirundinis uisu, graece enim hirundo χελιδὼν appellatur, & quoniã eo flare incipiente, hirundo auis aduena ad nos traiecto ponto, transuolat, hinc est prouerbium illud, Vna hirundo non facit uer. Et dicitur de ijs, quae pluri morũ indigent testimonio, aut pluribus constant. Exempli gratia, Non est ille doctus, quem duo tresúe iudicant doctum. Item non fit tumultus in ciuitate, si duo duntaxat rixentur, nec duo milites exercitum faciunt, ueluti una hirundo quae maturius appareat, non est certa ueris nuncia, sed cum plures simul aduieniant, tum primum indicant uer.

Apertum pectus. CCXXI

Quoniam autem illud hominũ genus praestantissimum est, qui à fictis uerbis abhorrẽtes, prudentis enim & boni uiri est, aut amare, aut odisse palàm, quicquid in pectore habẽt, illud ipsum in fronte gerunt, hoc est, ostendunt, prae se ferunt, uel pessimi sunt, qui secus faciunt, unde Cecilius ait: Nam hi sunt inimici pessimi,

fronte hilaro, corde tristi. Hinc ortum prouerbium, Apertum pectus. Cuius Cic. in Amicitia meminit.

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. CCXXII

Tiberius Cæsar, autore Tranquillo præfectis onerandas tributo prouincias suadentibus rescripsit, boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere, per hanc prouerbialem sententiam, significare uolens prouinciales à præfectis non esse usq; ad uiuum despoliandos. Deglubi enim pecus dicitur, cui pellis detrahitur, ut autor est Festus. M. Varro in primo de re rust. cap. xlviij. tradit glumã dici folliculum grani à glubendo, quod eo folliculo deglubatur granum, hoc est, decorticetur. Catullus: Glubit magnanimos Remi nepotes. Quo factum est, ut hoc lepidum Tiberij dictum iam prouerbij loco, in malos magistratus peruulgatũ sit. Simile illud est Solomonis: Qui nimis emungit, elicit sanguinem. Verum longe aliter quàm Tiberius, Flauius Vespasianus factitabat, qui procuratorem rapacißimum quenque ad ampliora munera ex industria solitus erat promouere, quo locupletiores mox condemnaret, quibus quidem uulgò pro spongijs dicebatur uti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Autor idem Suetonius.

Figulus ollis ansas ponit. CCXXIII

Cum rebus agundis nobis integrum est nostro arbitratu agere, prouerbialiter dicimus, Figulum ollis

ansas ponere. Quippe in illius manu est, in qualibet parte uasis ponere ansam.

Sero sapiunt Phryges. CCXXIIII

Troiani ob Helenæ raptum, diu graui bello afflicti decimo denique anno, eam uelle, quæq; simul rapta erant, petentibus Græcis reddere incœperunt. Sed quia ea sapientia Troianorũ serotina erat, & nimis tarda, quippe qui tum demum resipiscerent, cum res eorum forent deploratæ, & ægritudo irremediabilis, hinc uetus prouerbium increbuit, Sero sapiunt Phryges. Ad quod alludens Cic. lib. epist. vi. ad Trebat. ait: In equo Troiano scis esse in extremo, Sero sapiunt. In extremo dixit, hoc est, in extrema parte tragœdiæ, cui titulus erat, equus Troianus. Vbi interpretes haud dubie hallucinantes magis sensum implicant, quàm explicant. Nos autem hoc prouerbio salubriter monemur, priusquã incipiamus, recte consulere, post enim rerũ exitũ, qui ut Fabius ille Maximus dictitare solebat, stultorũ magister est, sero sapimus, & ut aiunt, acta agimus.

Lachrymæ Crocodili. CCXXV

Crocodilum Nilus habet, ut Plinius libro viij. tradit, quadrupes animal hominibus terra pariter atque aquis infestũ, hebetes oculos in aqua habet, extra acerrimi uisus est, conspecto homine, emittit lachrymas, mox appropinquantem, deuorat. Vnde est prouerbium, Lachrymæ Crocodili. De ijs, qui specie pietatis, homines fallunt.

Perfricui faciem. CCXXVI

Mos est eorum, qui cum pudore aliquid agunt, ut faciem perfricent, natura ipsa ad id impellente, quasi ad abigendum sanguinem, qui ex præcordijs ad faciei superficiem confluit, propter quod Arist. in problem. quærit cur pudore & uerecundia facies hominis erubescere, timore uero & metu pallescere soleat, cum præsertim pudor nihil aliud sit, quàm timor futuræ reprehensionis. Hinc ergo ortum est prouerbium, ut quoties quispiam uult concinne innuere se pudorē deposuisse, dicat: Perfricui faciem, Hoc est, pudorem expuli. Quod Plin. in suo procemio usurpat ita scribens: Perfricui faciem, nec tamen profeci. Diogenes autem, quod non alienum est, uidens adolescentulum rubore perfusum, Cōfide ait fili, huiusmodi est uirtutis color. Laërtius autor lib. vi.

Caliga Maximini. CCXXVII

Prouerbium est apud Iulium Capitolinum, qui ait calciamentū Maximini fuisse maius hominis uestigio, atq; mensura. Vnde uulgò tractū fuit, ut de longis & ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini.

Gallinaceum lac facile ibi inuentu est.

CCXXVIII

Antiquum prouerbiū est. Idem Plin. in præfatione ait: Velut lactis gallinacei sperare possis in uolumine haustum. Cum significare uolumus omnia in aliquo loco reperiri, ut dicamus, Gallinaceum lac facile ibi inuentu est.

uentu est, quando nusquam reperitur. Cuiusmodi uel illud est, Copiæ cornu, cum omnia superesse innuimus. Tractum est à fabula peruetusta quam Ouid. lib. ix. Fastorum perbelle narrat.

Minime sis canterium in fossa. CCXXIX

Titus Liuius de bello Punico secundo refert, Claudium Asellium nobilem Romanũ equitem pro portis Capuæ, cum Iubelio cognomine Taurea equite Campano, eum ferocius ad pugnam prouocante congressum esse, qui cum libero spacio, inter se ludificãtes sine uulnere, pugnam extraherent, tunc Campanus Romano Equorũ, inquit, hoc non equitum certamen erit, nisi è campo, in cauam hanc uiam dimittimus, ibi nullo ad euagandum spacio, cõminus conserentur manus. Dicto propè citius, equum in uiam Claudius duxit, Taurea uerbis ferocior quàm re, Minime sis, inquit, canterium in fossa. Quæ uox eodem Liuio autore, in rusticum inde prouerbium prodita est, de cuius sensu parum omnino constat. Vocat Taurea Claudium canterium quasi imbellem & stultum equitem, quod in angustum locum coniecisset equum suum, ubi ille minime ualeret. Quamobrem ait, Minime sis canterium in fossa, ac si dicat, O cánterium, id est, equitem imperitum, minime sis mihi & alijs documento, ut ex tuto in locum iniquum temere descendamus. Atque his dictis abijt Campanus. Quadrabit adagium in eum, qui aliquid agens sibi ipse impedimento est.

Canterium autem Cato & Varro nuncupant equum, cui testiculi adempti sunt. Item Colum. *appellat genus quoddam iugi ex perticis factum canterium, hisce uerbis:* Itaque *aut ueteres, ne nouae radicem agant arundines, singulis uitibus applicabimus binas, aut si regionis conditio permittit, deponemus hastilia, quibus adnectuntur singulae transuersae perticae in unam partem ordinis, quod genus iugi canterium uocant rustici.* Cauterium *uero cum u litera, idem* Columella *uocat ferrum ad urendum.*

Hoc manu faciendum est. CCXXX

Quoties *aliquid opera & industria ac difficulter fieri oportere significamus, prouerbialiter dicimus,* Hoc *manu faciendum est.* Quod *adagium* Anneus *Seneca epistola liij. cum de tribus generibus hominum ad philosophiam se conferentium loquitur, ita scribens usurpat:* Inuenio *quicquid fecit alter, alterius magna pars & difficilior latet.* Quaedam *ingenia facilia & expedita, quaedam manu ut aiunt, facienda sunt, & in fundamentis suis occupanda.*

Iustitia in sese uirtutes continet omnes.

CCXXXI

Iustitia, *in qua uirtutis splendor, ut* M. Tullius *in primo offic. ait, est maximus, sola est, quae hominem perfectum reddere, quae uitae modum mortalibus tradere possit, cuius comites sunt liberalitas, magnificentia, pietas, gratia, sanctitas, religio, obedientia, fides,*

& legum

& legum mandatorumq́; obseruatio, æquitas, bonitas, ueritas. Vnde ortum prouerbium, Iustitia in sese uirtutes continet omnes. Autor Aristoteles, qui in moribus inquit: Nam præclarißima est omnium uirtutū, & neque hesperus, neque lucifer ita admirabilis est, & prouerbio dicere consueuimus, Iustitia in sese uirtutes continet omnes.

Maturā sationē sæpe decipere solere, serā nunquā, quin mala sit. CCXXXII

Vt etiam illis qui circa rem rusticam plurimum uersantur, æque ac cæteris consulamus, haud silentio hoc uetus agricolarū adagium prætereundum esse duco, quo intelligāt quando sementem facere oporteat, quod à Columella his uerbis probe declaratur, qui inquit: Sed cum omnia in agricultura strenue facienda sint, tum maxime sementis. Vetus est agricolarum prouerbium, Maturam sationem sæpe decipere solere, seram nunquam, quin mala sit. Quod documento est, in omni negocio gerendo, moram semper nocere.

Tertius è cœlo cecidit Cato. CCXXXIII

Satyrici poëtæ uerba sunt ironice prolata, quæ ab eruditis uice prouerbij paßim usurpari audio. Etenim duo fuerunt Catones, Censorius, & Vticensis, ambo uirtute insignes ac sapientißimi. Vnde fit, ut cum quispiam tanquā illorū duorū Catonum similis, se cæteris sapiētia præstare arbitratur, & uitia corrigere audet, perinde ac uterq; Cato insectatus est, cum re uera igna

uißimus ſit, tunc prouerbialiter per ironiam dicamus, Tertius è cœlo, quaſi diuinitus, cecidit Cato. Quia eos quorũ miramur uirtutem, de cœlo cecidiſſe credimus.

Illis ne decimam quidem Syracuſanorum adeſſe. CCXXXIIII

Syracuſas urbem Siciliæ clarißimã ad mare, Peloponeſum uerſus, è Corintho dux Archias, autor Strabo, libro geographiæ vi. nauigans condidit, quæ ut idem tradit, ad tantas diuitias & opes peruenerunt, ut in prouerbio diſſeminaretur, cum de locupletibus & ſumptuoſis incidiſſet ſermo, Illis ne decimam quidem Syracuſanorum adeſſe.

Suo Marte facere. CCXXXV

Prouerbio increbuit, ut cũ quiſpiam ſuopte ingenio atq; induſtria, ſine alterius auxilio, aliquid efficit, illũ dicamus ſuo Marte facere. Cicero in offic. lib. iij. Hãc igitur, inquit, partẽ relictam explebimus, nullis adminiculis, ut dicitur, Marte noſtro. Cũ quo illud pugnat,

Non ſine Theſeo. CCXXXVI

Cum aliquis aliena ope adiutus quippiam effecit, eleganter ac prouerbialiter dicimus, Non ſine Theſeo fecit. Quippe Theſeus bene multos iuuit uiros in certaminibus, & cum primis Pirithoum cum Centauris dimicantem, item Meleagrum in conficiendo Calydonio apro, & Herculem cum Amazonibus pugnantem. Quæ quidem fabulæ notiores omnino ſunt, quàm ut hic ſint explicandæ.

Multi

Multi Manij Ariciæ. CCXXXVII

Legimus in codice Festi Pomp.*uetusto,ex quo epitoma quod passim legitur,descriptum fuit,* Manium con*secrasse* Dianæ Aricinæ *lucum* Aricinum,*quem* Sueto*nius in* Iulio Cæsare Nemorensem *uocat, quo* Manio *multi & clari orti sunt, & per multos annos fuerunt.* Vnde *prouerbiũ uulgatum,* Multi Manij Ariciæ. *Est ciuitas* Romæ *propinqua. Ad quod adagiũ clanculum* Persius *alludens saty.nouissima dixit:* Accedo Bouillas, *Cliuumq; ad* Virbi, *præsto mihi* Manius *hæres.* Nam *cum de cliuo* Aricino *loqueretur,* Manium *potius quàm alium nõ temere dixit sibi hæredem præsto futurum, sed memor prouerbij,* Multi Manij Ariciæ, *eleganter* Manium *nominauit, tanquam nomen apud* Aricinos *uulgatissimũ, quod interpretes poëtæ minime aduerterunt.* Manij *præterea autore eodem* Festo *dicuntur, qui mane orti sunt, sicut* Lucij,*qui luce.* Nos *autem recte accõmodare locum adagio possumus,cum significare uolumus,aliquam familiam alicubi uulgatissimam esse, & admodum magnam.*

Delatores qui nõ castigat,irritat. CCXXXVIII

Domitianus Imperator *cum animaduerteret nullam pestem pestilentiorem,nullam perniciem perniciosiorem delatorum ueneno esse, eos omnes urbe expulit, dictitans, autor* Tranquillus, Princeps *qui delatores non castigat,irritat.* Vox *equidem* Imperatore *digna, in omnibus principũ cubiculis uestibulisq; scribenda,*

uox aurea, uox omni laudationis præconio celebranda. Vnde Mart. in primo non ſcite magis quàm uere de delatoribus dixit: Turba grauis paci, placidæq́ inimica quieti, Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes. Tradita Getulis, nec cepit harena nocentes, Et delator habet, quod dabat exilium. Exulat Auſonia profugus delator ab urbe, Impenſis uitam principis annumeres. Cum prouerbium itaque dicatur, quaſi commune omnium uerbum, quis principum neget hanc uocem eſſe prouerbium? quod ſi quis tamen negabit, tu Guido princeps iam adagium feciſti, qui hanc identidem repetens uocem haudquaquam minore ſeueritate quàm Domitianus, huiuſmodi peſtiferum hominũ genus inſectaris, & caſtigas, ſic ut etiam populus tuus dicere poteßit, Acceptam uitam Guido, tibi refero. In qua quidem re, ueluti in cæteris, Federicum parentem, æque ac Octauianum patruum tuum pari uirtute imitaris, atque ſic uerum patrem patriæ agis.

Aſinus magis ſtramina optat, quàm aurum. CCXXXIX

Græcum prouerbium eſt, ὄνον σύρματα ἀνέλεσθαι μᾶλλον ἢ χρυσόν. Id eſt, *Aſinum magis ſtramina optare, quàm aurum. Quod de ijs dicitur, qui cum humiles & ruſtici ſint, perueniant licet ad diuitias & opes, tamen ſuam ſemper naturam ſapiunt. Quod Flaccus perbelle oſtendit, ait enim:* Non mutat fortuna genus.

Pedaria sententia est, caput sine lingua. CCXL

Senatusconsultũ, autore Gellio, aut per rogationem fiebat, cum res dubia erat, & tunc rogabatur unusquisq; sententiam suam, quam uerbis ferebat, aut per discessionem, hoc est, quando aliquis in senatu sententiam non dicebat, sed ab alio dictam comprobabat, mouens se de loco, & in partem eius qui dixisset, ambulans. Propter quod, qui ita faciebat, ire in sententiam pedibus dicebatur. Hinc est illud prouerbium, Caput sine lingua, pedaria sententia est, In eos, qui nimium taciturni sunt.

Hic timens Charybdim, incidit in Scyllam. CCXLI

Scylla, teste Seruio super iij. Aeneid. Phorci & Creteidos nymphæ filia fuit. Hanc amabat Glaucus, quem Circe diligebat, sed quoniã in Scyllam pronior erat, irata Circe fontem in quo illa lauabatur, uenenis infecit, in quem cum illa descendisset, pubetenus in uarias mutata est formas, horrens itaque suam deformitatem se in mare præcipitauit. Homerus dicit hanc immortale monstrum fuisse. Sallustius saxum appellat. Canes uero & lupi ex ea nati idcirco finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstris marinis, & saxorũ asperitas illic imitatur canum latratus. Charybdis autem fœmina fuit uoracissima, quæ quia boues Herculis rapuit, à Ioue fulminata est & in mare præcipitata, ubi

seruat naturam, nam sorbet uniuersa. Quæ monstra in mari Siculo ita manent, Verg. dicente: Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis Obsidet. Vbi difficilem nauigijs faciunt transitum. Idem Verg. autor: Inter utranq; uiam, leti discrimine paruo, Ni teneant cursus. Cum igitur transeuntes unum ex his dum uitant, plerunque in alterum ruant, hinc natum uulgò prouerbium, Hic timens Charybdim, incidit in Scyllam. In eum, qui unum formidans periculum, in alterum labitur, quod Flaccus Horat. ita scribens expreßit: Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt. De Scylla & Charybdi Seneca epist. lxxix. affatim itidem refert.

Hylam uocat. CCXLII

Hylas Theodomantis filius fuit pulchritudinis admirandæ, quem Hercules Argonautis comes secum ad libidinē duxisse scribitur. Idem, autore Strab. lib. xij. & Dionysio, de situ orbis, cū in Mysiam Argonautæ uenissent, & aquatū ad lacum quendam pergeret, raptus à nymphis dicitur. Quod Iuuenalis confirmasse uidetur, cum dixit: Et multū quæsitus Hylas urnamq; secutus, & ab Hercule adeò quæsitus, ut Verg. teste in Sileno, Littus Hyla Hyla omne sonaret. Hinc ortum est prouerbium, Hylam uocat. De ijs, qui obaudiunt, seu de frustra rem amissam deplorantibus.

Suspendio arbor eligenda. CCXLIII

Plinius in præfatione, propterea quod maledictis peteretur,

peteretur, Theophrasti exemplo seipsum consolans, ait: Cernimus etiam aduersus Theophrastum hominē in eloquentia tantum, ut nomen diuinū inde inuenerit, scripsisse etiam fœminam, & prouerbiū inde natum, Suspendio arborem eligendam, Hoc est, prorsus despe randum esse, quando aduersus doctißimos uiros scribere etiam mulierculæ audent, quod omnino indignū ac intolerabile uidetur. Mulieri uero quæ id clari facinoris ausa est, nomen fuisse tradunt Leontio, nempe leonino præditæ animo.

Sæpe etiam est olitor ualde opportuna locutus. CCXLIIII

Nemo enim ita feris est moribus, quin aliquando faciat, aut dicat, quod laudari poßit. Vnde antiquißimus ille uersus uice prouerbij celebratus est, πολλάκι γὰρ καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν. *hoc est, Sæpe etiam est olitor ualde opportuna locutus. Autor Gell. lib. ij. cap. vi. Quod admonet, nō esse propter autoris humilitatem, probam sententiam negligendam.*

Multæ sub tegulis cubant noctuæ. CCXLV

Lysander Lacedæmonius, autor Plutarchus, postquam Athenarum imperium composuerat, quicquid pecuniarū superuacaneum fuerat, per Gylippum qui in Siciliam ductaret exercitum, Lacedæmoniā transmisit. Gylippus dissutis ut aiunt, sacculis, nō mediocrē ex singulis pecuniam subducens denuo consuit, ignorans inesse unicuique literulas numerum significantes.

Spartam itaq; profectus, cum ea quæ subduxerat, domi sub tegulis, clàm occultasset, sacculos Ephoris tradidit, sigilla cōmonstrans. At illi cum retulissent, dubitationē rei afferebat, quod argenti numerus diminutus erat. Seruus interim Gylippi ueniens factum artificiose, ac callide indicans dicit, multas sub tegulis cubare noctuas, eo enim tempore quamplurimū Atheniensiū gratia, noctuæ numis insignabātur. Quod instar prouerbij inoleuit, cum aliquid subambigue fatemur, ut dicamus, Multæ sub tegulis cubant noctuæ.

Psyrice facta sunt. CCXLVI

Plinius lib. v. cap. xxxi. cum de quibusdam insulis loquitur, quæ ante Asiam sunt, ait: In Ceramico autem sinu Psere, ubi Hermola. legit Psyria, neutro genere, pluratiuo numero, ex Strab. dicens. Ignobilis uero insula cessit in prouerbiū, ut quæ parū magnifice ac præparce fierent, Psyria, hoc est, Psyrice facta dicerētur.

Vis illum calamistris inurere? CCXLVII

Calamistrum, autore Nonio, est fistula breuis, qua calefacta tonsores capillos intorquent, qui quoniā magis quandoq; urunt, quàm ornant capillos, hinc Cicero in Bruto, innuens ineptos scriptores qui audent attingere Cæsaris cōmentarios, inusturos potius, quàm decoraturos illius scripta, inquit: Sed cum uoluit alios habere paratam unde sumerent, qui uellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa uolunt calamistris inurere. Vnde nos cum quispiam uel ignatus uel

rus uel omnino ineptus aliquem incallidius laudat, aut minus doctus sibi assumit, ut bonum quempiam interpretetur autorem, haud ineleganter dicere possumus prouerbialiter, Vis illum calamistris inurere?

Semper aliquid noui affert Africa.

CCXLVIII

In Africa, teste Aristot. lib. de natura animaliũ viij. & Plinio, lib. viij. cap. xvi. cum de leonibus loquitur, inopia aquarũ, ad paucos amnes cõgregantibus se feris, multiformes animaliũ partus sunt, uarie fœminis cuiusq; generis mares, aut ui, aut uoluptate miscente. Vnde uulgatũ Græciæ dictum, Semper aliquid noui Africã afferre. Quod nos prouerbialiter usurpamus, cũ alicubi noui semper aliqd esse significare uolumus. Et econtra cum nihil noui esse significamus, haudquaq̃ minus concinne dicimus, Nihil noui habet Africa.

Felix, qui nihil debet. CCXLIX

Hermolaus Barbarus super illud Plinianũ in vij. Comitem æris alieni atque litis esse sponsionem, refert Georgium Merulam probare, ut loco sponsionem, legatur miseriam, eundemq; græcum prouerbiũ prætexuisse, quod tale est, Felix est, qui nihil debet. proinde ut miserum esse, qui debet, necessum sit.

Quæ dubites, ne feceris. CCL

Idem Hermolaus hoc in calce suarum castigationũ ita scribens prouerbiũ facit: Sed etiam tutum esset, uel prouerbio dicente, Quæ dubites, ne feceris.

Res est in cardine. CCLI

Cardines quandoq; polos, id est, uertices significant, dicti à similitudine eorum cardinum, circa quos ualuæ uoluuntur. Verg. Foribus cardo stridebat ahenis, quod sint quasi ianuæ cor. Cardo etiam pro opportunitate accipitur, ut idem Verg. Haud tanto cessabit cardine rerũ. Vnde Ser. prouerbiũ tractum existimat, Res est in cardine, Hoc est, in articulo.

Nasum Rhinocerotis habere. CCLII

Rhinoceros animal est unum in nare habens cornu, quod attritum cautibus in mucronem acuit. Vnde prouerbiũ est, Nasum Rhinocerotis habent. De ijs, qui ad similitudinẽ cornu Rhinocerotis, nasum longũ habentes facile quemuis irrident, quod homines quo longiore naso sunt, eo maiores ronchos ædant, autor Martialis, ait enim: Maiores nusquã ronchi iuuenesq; senesq;, Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Omni pede standum est. CCLIII

Antiquum est prouerbium, Omni pede standum est. Significat enim non esse trepidandum, minimeq; cedendum, sed omni ope atque conatu ambobus simul pedibus standum esse. Ab agricolis, iuxta Quintiliani sententiam, libro orat. institut. xij. prouerbialis figura est deducta, quod illi semper stando operantur.

Turdus è transenna lumbricũ petit. CCLIIII

Plaut. in Bacchid. ita prouerbialiter loquitur: Nunc è transenna hic turdus lumbricum petit. Inde adagiũ ortum

ortum uidetur, transenna enim teste Seruio super v. Aeneid. extentum funem significat, & quoniam ex fune laquei intenduntur feris & auibus capiundis, ideo transenna ponitur pro decipulo, & laqueo ad decipiendum concinnato, si eidem Plauto credimus, qui in rudente ait: O Gryppe Gryppe in ætate hominũ, plurimæ sunt transennæ, ubi decipiũtur dolis, atq; ædepol in eas plerunque esca imponitur, quam si quis auidus poscit escam, auariter decipitur in transenna auaritia sua. Et quia turdus niuali præsertim tempore fame affectus è transenna, hoc est, laqueo lumbricũ petens facile capitur, hinc prouerbio locum dedit in ualde auaros, qui immensa habendi cupiditate affecti nimiumq; auidi, omnis discriminis immemores ob quãuis paruæ rei acquirendæ causam, sese ita periculis temere exponũt, ut de ijs eleganter dicamus, Turdus è transenna lumbricum petit. Potest generatim ad omnes torqueri, qui quoduis negocium utile, sed periculosum tentant.

Hic terræ filius est. CCLV.

Veteres eum terræ filium appellare consueuerant, qui nullis maioribus ortus, ignoto genere obscuroq; uideretur, ut Lact. Firm. lib. diuin. institut. i. cap. xi. his uerbis attestatur: Minutius Felix in eo libro qui Octauius inscribitur, sic argumentatus est. Saturnũ cum fugatus esset à filio, in Italiamq; uenisset, Cœli filium dictum, quod soleamus eos quorũ uirtutem miramur, aut eos qui repente aduenerint, de cœlo cecidisse dicere,

terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Cui sententiæ adstipulatur Cicero primo epist. uolumine ad Atticũ ita scribens: Sed hæc ad te scribam aliâs subtilius, nam neque adhuc mihi satis nota sunt, & huic terræ filio nescio cui, cõmittere epistolam tantis de rebus non audeo. Et idem in epistola ad Trebatium: Cornelius quidem tuus familiaris summo genere natus, terræ filius. Hæc ille. Gigantes hac quoq; ratione, terræ filij, autor Ouid. in Metamorph. libris, dicti sunt. Huc quoq; pertinet illud satyricũ: Vnde fit, ut malim fraterculus esse gigantis. Nam cum senectus in nobilitate, par prodigio esset, sæuientibus in eam Romanis principibus, Vmbritius meritò ait se malle fraterculũ esse gigantis, hoc est terræ filiũ, quod obscurum ut ostendimus significat, quàm nobilem patritium. Vbi interpretes omnino hallucinantur. Nos igitur cum uolumus significare quempiam obscuro genere ortũ, prouerbialiter dicere possumus, Hic terræ filius est, propterea quod secundum Anaximandri Milesij sententiã, mortales primitus è terra natos ferant, uel quia terra sit cõmunis omnium parens.

Hic quinta natus est luna. CCLVI

Vergilius in numeros lunæ quædam digerenda putauit, Democriti secutus ostentationẽ. Vnde in primo Georg. ait: Quintam fuge, pallidus Orcus, Eumenidesq; satæ, cum partu terra nefando, Cœumq; Iapetumq; creat, sæuumq; Typhœa, Et coniuratos cœlum
rescindere

rescindere fratres. Qui quoniã numerus teste Seruio, Mineruæ consecratus est, quam sterilem esse constat, hinc ueteri superstitione creditum est, quicquid quinta luna nasceretur, sterile atque damnosum fore. Ex quo ortum est prouerbium, Hic quinta natus est luna, cum significare uolumus aliquem ignauũ, & inutilem esse, quippe qui tanquam ager sterilis nihil ferat, quod ei aut alijs bono esse poßit, quemadmodum illi faciunt, qui quinta luna nati sunt.

Plus apud Campanos unguenti, quàm apud cæteros olei fit. CCLVII

Hoc prouerbiũ quoniam à Plinio lib. xviij. cap. xi. perspicue demonstratur, eius ideo uerba subscribenda, atq; legentium oculis subijcienda duxi, quæ sunt hæc: In Campania tamen laudatißimus campus est, montibus subiacet nimbosis, totis quidem XL millibus pasſuum planicie. Gratia terræ eius, ut protinus soli natura dicatur, puluerea summa, inferior bibula, & pumicis fistulans uice, montiũ quoq; culpa in bonum cedit, crebros enim imbres percolat, atque transmittit, nec dilui aut madere uoluit, propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, & concoquens intra se uice fuſi continet. Seritur toto anno, panico semel, bis farre, & tamen uere segetes, quæ interquieuere, fundunt rosam odoratiorem satiua, adeò terra non cessat parere. Vnde uulgò dictum, Plus apud Campanos unguenti, quàm apud

cæteros olei fieri. Plinius hactenus. Vbi nota unguentum à Plinio non utiq; ut uulgus existimat, tenax illa compositio, qua chirurgi utuntur, ad uulnera curanda, sed cōmistio appellatur diuersorū odorum, addito oleo, aut opobalsamo, aut aliquo pingui, ad ungenda corpora, deliciarum & luxuriæ causa inuenta. Nos igitur hoc adagio uti possumus, cum significamus aliqua loca ob optimam solis & aëris naturam, deliciarum plena esse, ut est circa Pæstum, in agro Lucano, de quo Verg. Biferiq; rosaria Pæsti, quod à Græcis Posidonia dictum est.

Toto erras cœlo. CCLVIII

Hoc prouerbium de ijs dici suetum est, qui deuij & aberrantes nusquam consistere queunt, ueluti quædam sydera, quæ totū pererrant cœlum discurrentia. Sed in eos potißimū usurpare possumus, qui cum sibi minime constent, hallucinari & claudicare in aliqua re explicanda uidentur, ut ignari interpretes poëtarū faciunt.

Extremis digitis attingere. CCLIX

Aliquem extremis digitis, id est, extrema parte digitorū quippiam attingere prouerbialiter dicimus, cum leuiter tangit, & quasi prælibat, id quod in capiendis corporis uoluptatibus, in primis est seruandum. Sed nonnulli qui blanditijs uitiorum deliniti atq; corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, non prouident, nimium ipsi uoluptati morem gerunt, & totam adolescentiam illi tribuunt, de qua intra suos fines continenda

tinenda ita Tul. in oratione pro M. Cœlio præcipit ſcribens: Detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur, non ſemper ſuperet uera illa & directa ratio, uincat aliquando cupiditas, uoluptasq; rationem, dummodo illa hoc genere præſcriptio moderatioq; teneatur. Parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet aliena, ne effundat patrimoniũ, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domum, atq; famam, ne probrũ caſtis, labem integris, infamiã bonis inferat, ne quem interimat, nec interſit inſidijs, ſcelere careat. Hinc igitur idem Cicero in eadem oratione hoc prouerbio decenter utitur, ſic dicens: Equidẽ multos & uidi in hac ciuitate, & audiui, nõ modò qui primoribus labris guſtaſſent hoc genus uitæ, & extremis ut dicitur, digitis attigiſſent, ſed &c.

Olera olla legit. CCLX

Olera olla legit, prouerbiũ eſt, in adulteros mœcharum, ſignificat autẽ, ut olla quæ Marcel. & Var. teſtibus, uas eſt capaciſſimũ colligit & cõprehendit olera, ſic mœchum mœchas colligere, & captare, & uelut olera ollæ conueniũt, ita mœcho adulteria conuenire, quod Catullus in Cæſarem decenter uſurpat, ſic ſcribens: Mentula mœchatur, mœchatur mentula certe. Hoc eſt, quod dicunt, Ipſa olera olla legit.

Oculus domini in agro fertiliſſimus eſt. CCLXI

Agrorũ cultura ut Plin. eſt autor lib. xviij. cap. vi.

opera & nō impensa constat, id quod unicum C. Furij Cresini exemplū docet. Porrò is cum è seruitute liberatus in paruo admodum agello largiores multo fructus caperet, quàm ex amplißimis uicinitas, in inuidia magna erat, perinde ut si fruges alienas pelliceret ueneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curruli die dicta, metuens damnationem cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentū rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam atq; ut Piso ait, bene curatam, uestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues saturos, postea dixit, Veneficia mea Quirites hæc sunt, nec possum uobis lucubrationes, uigilias, sudores referre. Sic omnium sententijs absolutus. Hæc ex Plin. Ideo præceptum est ab ijs, qui de agricultura scripserunt, ut dominus crebro suos agros uisat, procuret, nihil sero in agro fiat. Ita enim fœcundiores multo redduntur agri, contra si dominus non uiserit, breui sterilescent. Vnde antiquum prouerbiū ortum, Oculus domini in agro fertilißimus est, à scriptoribus sæpe repetitur, nam Aristot. libro Oecon. Persa rogatus, inquit, quid equum pinguem faceret, Oculus domini respondit. Quod idem à stabulario quodam dictum Plutar. de liber. educan. prodit. Libycus itidem Hero percunctante quodam, quod sterquilinium agro optimum foret, Domini, inquit, uestigia. Columella quoq; lib. vi. cap. xix. ait: Oculum & uestigia domini saluberrima. Idem Plinius de hoc similiter

militer meminit. Quod profectò aliud nihil significat, quàm ut nos ipsi res nostras curare debeamus. Ita enim noster oculus res nostras augebit, presertim cum difficilis sit semper rerum alienarum cura.

Planus semel crura fregit. CCLXII

Horatius lib. epist. i. inquit: Nec semel irrisus triuiis attollere curat, Fracto crure Planum. Vbi planum uetus uerbum, quod non perpaucos alioqui eruditos fefellit, opinantes nomen esse adiectiuum contra metricam rationem, nam prima in substantiuo corripitur, ut poëta posuit, in adiectiuo producitur, accipitur pro scurra & sycophanta, sicuti Cicero & Laberius acceperunt, qui solebat multos sic fallere, in quorum uehicula cum uoluisset tolli, ut fingeret se crus fregisse, qui cum postea uere fregisset, & idem rogasset, non est ei creditum. Vnde autore Porphyrione, natum est prouerbiũ, Planus semel crura fregit. Quia non amplius fides illi adhibita est, in eos, quibus cum falsis rebus omnia fidei argumenta consumpserint, nemo tametsi uera dicentibus credit. Quod proprie mendacis uel mentientis ut Aristot. dicere solebat, præmium est, qui teste Diogene Laërtio libro v. cum interrogatus esset, quidnam mendaces lucrarentur, Vt cum uera, inquit, dixerint, non illis credatur.

Multa Syrorum olera. CCLXIII

Quoniam Plin. lib. xxi. natural. hist. hoc prouerbium refert, ut melius intelligatur, eius uerba ponam,

quæ sunt eiusmodi: Orpheus amatorium inesse staphi lino dixit, fortaßis quoniam Venerem stimulari hoc ci bo certum est, ideo conceptus adiuuari aliqui prodide runt, ad reliqua & satiua pollet, efficacior tamen syl uestris, magisq; in petrosis nata. Semen satiuæ quoque contra scorpionũ ictus, ex uino salutare est, radice eius circumscalpti dentes dolore liberantur. Syria in hor tis operosißima, inde quoque est prouerbium Græcis, Multa Syrorum olera. Plinius hactenus. Vsus autem parœmiæ apte in eos accõmodabitur, apud quos, uel olerum uel alicuius alij rei magna uis est.

Lapidem mordere. CCLXIIII

Canis, autore Plin. lib. viij. animal quanquam fide lißimum ut multis constat exemplis, syrio maxime ar dente, in rabiem homini pestiferam uertitur, uerum etiam citra rabiem letiferam, adeò quandoque in ho mines sæuit, ut proiectos lapides mordicus capiat, est enim animal pronum in iram. Vnde deductum est pro uerbiũ, Lapidem mordere, in uehementer iracundos, atque maledicos, qui more canum sæuiunt, furenterq; irascuntur, ac detrahendo, propemodum in rabiem fe runtur, quorũ uerba canina dicuntur, dicente Ouidio in Ibin: Iactat & in toto uerba canina foro. Sed quo niam huiuscemodi homines pro summo negocio habẽt mordere, id est, carpere hunc, & illum, sub specie er rata corrigendi, iure equidem eorum eloquentia si qua est, prouerbialiter canina appellari potest, sumpto epi

theto à rixa uel oblatratu canum, quod ad maledicendum duntaxat exerceatur. Hæc usq; eo hoc tempore *uiget, ut nonnullorũ demortuorũ scriptorum manes, nomen quorũ sine honoris præfatione nominari nõ debet, eius acri morsu lacerati nusquã quiescere poßint.*

Sapientia uino obumbratur. CCLXV

Vinum quo non est aliud quicquam uiribus corporis utilius modice sumpto, nec aliud uoluptatibus perniciosius, si modus absit, hominis mentem mutat, furorem gignit, ita breui ipsum sapientem sua dulcedine captum dementat, cum siquidem ebrietas, ut Cato aiebat, nihil aliud sit, quàm insania uoluntaria, qua qui corripitur, bis, quemadmodum Plato in primo de legibus docet, fit puer, quod extincta pariter memoria, atq; intelligentia, cogatur ad primam redire ætatem rerum omnium expertem. Vnde ortum est prouerbium, Sapientiam uino obumbrari, Autore Plinio lib. xxiij. cap. i. ita scribente: Vinum ieiunos bibere nouitio inuento, inutilißimum est, curas uigoremq; animi impedit, ad procinctum tendentibus, somno uero accommodatum ac securitatibus. Itaque dudum hoc fuit, quod Homerica illa Helena ante cibum, ministrauit, sic quoque in prouerbium cessit, Sapientiam uino obumbrari. Hæc ille. Quod mehercule uerius uero esse Magni Alexandri duntaxat exemplũ comprobat. Nónne ille rex sapientißimus erat, ut eius rerum gestarum gloria perspicue testatur, uerum

eum nihil impendio dehonestauit, quàm uini pestifera auiditas? quippe qui cum hostes semper uicisset, à uino usqueadeo uictus est, ut nõnullos in temulentia, amicos interemerit. Ex quo ut idem Plin. lib. xiiij. est autor, Androcydes sapientia clarus ad eum scripsit, intemperantiam eius cohibens: Vinũ potaturus rex, memento te bibere sanguinẽ terræ, cicuta homini uenenum est, cicutæ uinum. Hactenus Androcydes. Quidam hunc locum sic perperam legunt, Sicuti uenenũ est homini cicuta, ita & uinum. Quod omniũ primus Politianus monstrauit. Nos autẽ hoc adagio in eos uti possumus, qui uino ingurgitati penitus desipiunt.

Fortitudo in neruũ erumpit. CCLXVI

Assolent sagittarij immoderate plerunq; omnes uires adducendo, dum arcũ tendunt, non telum incitare, sed neruum rumpere, fortius ferire uolentes, à quibus, autor Donat. natum est prouerbiũ, Fortitudo in neruũ erumpit. In eos qui nimium suis freti uiribus suscepto oneri succumbunt. Sanè ita usu uenit, ut homines fortitudine nimia sæpe uincantur, sæpe decipiãtur, quemadmodũ apud Gell. lib. xv. cap. xvi. & Iuuen. saty. x. Miloni Crotoniensi athletæ illustri in diducenda quercu, accidisse legimus. Possumus etiam fortitudinem in neruum erumpere, intelligere pro eo, quod est, in uincula ire, equidem qui soluendo non essent, iuxta leges, uincti creditoribus tradebãtur, ut operando creditam pecuniam compensarent. Vel accipi potest pro plecti, ex con-

ex consuetudine Romana, quia sæpe in neruum conijciebantur, ex aliquo maleficio in carcerē mißi. In quo significato, ut idem Donat. sentire uidetur, Terent. in Phorm. usurpauit scribens: Verū hoc sæpe Phormio uereor, ne ista fortitudo in neruū erumpat deniq;.

Venti gaudia ferunt. CCLXVII

Hoc uetus adagium, Venti gaudia ferunt, in eos usurpare possumus, qui frustra lætantur, quo Verg. in x. Aeneid. his uerbis usus est: Nec ferre uidet sua gaudia uentos. & alibi: Sed auræ Omnia discerpunt. Item: Partim mēte dedit, partim uolucres dispersit in auras.

Ex unguibus amare. CCLXVIII

Ex unguibus amare, est pia quadam charitate, & quasi ab ineunte ætate, amorem habere, beneuolentia enim eo præstantior est, quo uetustior. Vnde in prouerbium ceßit, teste Plutarcho de liberis educan. Ex unguibus amare, qui oportet, inquit, ut mihi profectò uidetur, ut matres filios educent, eisq; ubera porrigāt, quoniam maiore cum charitate, & impensa magis diligentia nutrient, ut quæ natos ex intimo, & ut dici solet, ex unguibus ament.

Ad frugem bonam se recipere. CCLXIX

Cum nemo ferè in uitia pronus non sit, sapientis profectò uiri est, à cognito errore discedere, & sese in tutum, hoc est, ad meliorē uitam recipere. Vnde Seneca de moribus ait: Bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. Hinc igitur prouerbiū fluxit, Ad fru-

gem bonam se recipere. M. Tullius in oratione pro M. Cœlio ita scribens usurpat: Sed qui totã adolescentiam uoluptatibus dedissent, emersisse aliquando, & se ad frugem bonam ut dicitur, recepisse, grauesq; homines atque illustreis fuisse.

Stultum est uia deficiente, uiaticum quærere. CCLXX

Viaticum appellatur quicquid ad iter faciendum necessarium est, quod confecto iam itinere, nihil est, quod paretur. Vnde natum prouerbiũ, Stultum est, uia deficiente, uiaticũ quærere, in auaros senes, qui quo seniores sunt, hoc plus cupiunt, quorũ auaritia meritò monstri similis dicitur, quo Seneca de morib. utitur dicens: Quid enim stultius est, quod dici solet, quàm uia deficiente, uiaticum quærere, aut augere?

Homo frugi omnia recte facit. CCLXXI

Sunt homines frugi, qui in omni re, motibus animi moderantur, & moderatam noscunt seruare constantiam. Ex quo uice prouerbij uulgatum est, Hominem frugi omnia recte facere. Dicente Cic. lib. iiij. Tuscul. Frugalitatis nomen tanquã ad caput referre uolumus, quod nisi eo nomine uirtutes continerẽtur, nunquã illud tam peruulgatũ esset, ut iam prouerbij locum obtineret, Homines frugi omnia recte facere. & Quint. in v. Proprium est, inquit, boni recte facere.

Homo factus ad unguem. CCLXXII

Homo factus ad unguem, prouerbialiter dicitur ad perfectio-

perfectionē, est enim translatio à marmorarijs, qui lapidum iuncturas unguibus probant. Hinc Horat. ait: Ad *unguem factus homo*, Id est, omni ex parte perfectus. & Tullius lib. vij. epist. famil. ad Gallum: Vrgeo *igitur transuersum unguem quod aiunt, à stylo.*

Phrygem plagis fieri solere meliorem.

CCLXXIII

Cicero in oratione pro L. Flacco, *refutans Asiaticos testes tanquā turpissimos & infames, minimeq; fidos, ait: Asia uestra constat ex* Phrygia, Mysia, Caria, Lydia, *utrum igitur nostrū est, an uestrū hoc prouerbiū?* Phrygem plagis fieri solere meliorem. *Innuit huiusmodi homines nulla re æque corrigi posse, quàm uerberibus, quippe qui plagis digni sunt, quod in eos tempestiue conueniet, qui nisi uapulent, nunquā emendantur, ergo qui emendantur, ita uerberati, recte puerorum morem imitantur, id quod indicat apud Græcos, aliud prouerbiū, Post pœnam, delicta agnoscis, ut infantes. Quod in conuiuio Platonis eleganter ponitur.*

Hic duos parietes de eadem fidelia dealbat.

CCLXXIIII

Marcus Curius ad Cic. scribens: Sed amice magne, inquit, noli hanc epistolam Attico ostendere, sine eum errare, & putare me bonum uirum esse, nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare. Per quæ uerba prouerbialiter prolata, Curius per iocum, significat se solere idem duobus promittere, sicut qui uno colore

duos muros dealbat. Fidelia autem, autore Marcello, Samiũ uas est, ad usos plurimos. Plaut. in Aulul. Mulsi congialem plenã faciam tibi fideliam. & Persius saty. iij. Disce, neque inuideas, quod multa fidelia putet. Hoc autem loco, fidelia pro colorum uase accipitur. Nos itidem hoc prouerbiali loquendi modo, Hic duos parietes de eadẽ fidelia dealbat, in eum uti possumus, qui idẽ duobus pluribusúe spondet, promittit, recipit.

Quod dedi datum nollem, quod reliquũ est non dabo. CCLXXV

Cum in eum noua non sint beneficia conferenda, ut Cicero docet, qui ueterum immemor est, hinc celebre prouerbiũ, teste Plaut. in cistel. factum est, ubi inquit: Inter nouam rem, uerbũ usurpabo uetus, Quod dedi, datum non uellem, quod reliquum est, non dabo. Quo utiliter monemur, ut in eos beneficia conferre non amplius debeamus, in quos prima male collata cognoscimus, quia ut Ennius ait, benefacta male locata, malefacta censenda sunt.

Fallacia alia aliam trudit. CCLXXVI

Terentij in Andria uerba sunt, teste Donato, prouerbialiter prolata. Est illud quoq; simile, Clauus clauo truditur, & Dies dic. Significat enim hoc adagiũ dolum belle dolo detrudi, hoc est, homines insidias alijs molientes meritò ipsos præueniri insidijs. Cui subiacet illud quod alibi retulimus, Mendacem oportet esse memorem.

Gladiator in harena consilium capit.
CCLXXVII

Gladiatori in harenam ad pugnandum exeunti nihil præmeditati ictus prosunt, sed potius aduersarij uultus, & mota manus, aliquid etiam corporis inclinatio intuentem monet. Vnde prouerbium nascitur, Gladiator in harena consilium capit. Quo significatur in re præsenti esse cõsultandum, etenim in plerisq; rebus præmeditatũ consiliũ subitæ rei casus iritũ facit. Proinde urbanißimus poëta ueríßime ait: O quantum est subitis casibus ingeniũ. Hoc decenter Seneca epistola xxij. usurpat.

Hic caput digito scalpit. CCLXXVIII

Seneca epistola liij. ait: Omnia rerum omnium si obseruentur, indicia sunt, & argumentum morum ex minimis quoque licet capere, Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorũ. Improbum interdum risus, insanum uultus habitusq; demonstrat. Hæc ille. Vnde cum uolumus quempiam taxare, quod mollis & impudicus sit, scommate prouerbiali dicimus, Hic caput digito scalpit. Quod decenter Iuuenalis saty.ix.ita scribens usurpauit: Qui digito scalpunt uno caput. Hoc idem ut Ammianus Marcel.lib.xvij.est testis, Pompei obtrectatores in eo ludibriosum & irritum obseruarunt.

Si claudo uicinus habitaueris, & ipse claudus ambulare disces. CCLXXIX

Hoc uetus adagiũ & à Plutar. de liberis educandis, his uerbis eleganter citatur: Haud est, inquit, ab re illud usitatum sermone prouerbiũ, Si claudo uicinus habitaueris, & ipse claudus ambulare disces. Quod illud fermè significat, quod Seneca ait: Sumuntur à conuersationibus mores. & idem epist. vij. Malignus comes quamuis candido & simplici rubiginẽ suam affricuit. & alibi: Alter alterum in uitia trudimus. & Iuuen. saty. ij. Vuaq; conspecta liuorem ducit ab uua.

Posteriores cogitationes sapientiores sunt. CCLXXX

Hoc prouerbio significatur, post rerum euentum, omnes facile sapientes esse, quod M. Tull. in xij. Philippica, ita scribens affirmat: Posteriores enim cogitationes ut aiunt, sapientiores solent esse. Verum id parum interdum prodest, sæpe enim serò, ut dicitur, sapiunt Phryges.

Taurum tollere potest, qui uitulum sustulerit. CCLXXXI

Apud Petronium Arbitrum, Quartilla ita loquitur: Iunonem meam iratam habeam, si unquam memi nerim uirginem fuisse, nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni. Hinc natum prouerbium, ut Politiano placet, quod dicitur,

dicitur, Posse taurum tollere, qui uitulum sustulerit. Significat autẽ illũ qui à teneris annis aliquid egerit, eo ut ipsa poscit mox ætas, iam adultũ facile quippiam maius efficere posse. Vbi quod Quartilla Iunonẽ suam dixit, id scitu dignum est, Seneca enim epistola iij. lib. xix. Ita tantum ait hoc seponas uolo, ut memineris maiores nostros qui crediderunt Stoicos fuisse, singulis enim & Genium & Iunonem dederunt. & Plinius libro ij. cap. vij. Cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant. Vnde Iuuenalis saty. ij. reprehendens, quod minister non per Genium, sed per Iunonem domini, iuraret, more muliebri, scribit: Et per Iunonem iurante ministro. Reperio tamen apud Græcos, id indifferenter usurpatum, quando Plato cum alibi, tum in Hippia, utitur, ubi Socrates ita loquitur: Hui, hui, ô Hippia, quàm mirifice, & excellenter, & ut te decet, dixisti, per Iunonem, ualde te amo.

Extremus actus abest. CCLXXXII

Comœdia, autore Donato, quinque actibus absoluitur, quo fit, ut si unus desit actus, fabula imperfecta fiat. Vnde in prouerbium exijt, ut abesse extremum actum dicerent, cum res imperfecta esset. Econuerso non minus prouerbialiter dici potest, Extremus actus non abest, cum rem consummatam esse significatur. Quod Cicero in ij. Philippica his uerbis usurpaße uidetur: Et si meus stylus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam con-

fecissem. Et alibi, Extremum, inquit, actum ab inerti poëta esse neglectum.

Sisyphium portas saxum. CCLXXXIII

Sisyphus Aeoli filius, Isthmum, hoc est, stricturam illam terræ quæ inter duo maria Ionium, & Aegæũ, intereſt, latrocinijs occupauit, ita ut Autholiam Autholij filiam Laërtæ desponsatam cum ad maritum duceretur, uel ut quidam uolunt, cum ad oraculum Apollinis consultura proficisceretur, insidijs ceperit, atque grauidam fecerit, ex qua ut multi credunt, tũc Vlysses natus est, quod illi Aiax apud Ouid. lib. xiij. Metam. exprobrat. Tandem occisus Sisyphus à Theseo, apud inferos, hac pœna afficitur, ut grande saxum supra montem modis omnibus portare conatus, cum ad apicem deduxerit, continuo ad ima relaxetur. Dicente Ouid. in prænotato libro: Aut petis, aut urges rediturum Sisyphe saxum. Et Seneca in Hercule furente: Ceruice saxũ grande Sisyphea iacet. Horat. in ij. car. Damnatusq; longi Sisyphus Aeolides laboris. Vnde cum aliquem inextricabili labore afflictum esse innuere uolumus, prouerbij loco dicimus, Sisypheum portas saxum. Ad hoc facit & illud Teren. in Eunucho: Iam diu hoc saxum uoluis. Atqui neutiquam dissimili schemate in diuitem auarum dici potest eleganter, Hic Tantalea laborat site, qui ideo aurum sitit, quoniam eo maxime abundat, etenim ut Horatius ait: Crescentem sequitur cura pecuniam. Quemadmodum Tantalus apud

lus apud inferos, in nitidißima quãuis diuersetur aqua, site tamen perpetua afficitur. Velut etiam in eum qui in magna copia, inopia laborat, hoc Propertianum, Insanus medio flumine quæris aquam, loco prouerbij usurpare quimus.

Fortes fortuna adiuuat. CCLXXXIIII

Solet plerunque pericula atque labores reipublicæ causa, magno elatoq; animo, id enim proprie fortis uiri est, subeuntibus fortuna quæ accidentiũ rerum subitus atque inopinatus definitur euentus, fauere, ut Horat. Cocliti, ut C. Claudio Neroni, ut Scipioni Africam oppugnanti, ut plerisq; alijs Romanorũ Imperatoribus accidisse legimus. Vnde uetus ortum est prouerbium, Fortes fortuna adiuuat, Testis est Cic. in i. Tusculan. qui ita scribit: Fortes enim non modò fortuna adiuuat, ut est in uetere prouerbio, sed multo magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis cõfirmat uim fortitudinis. Ad illud poëtã in x. Aeneid. respexisse facile affirmare ausim, ubi ait: Audẽtes fortuna iuuat. Vsurpat Teren. etiam in Phorm. dicens: Fortes fortuna adiuuat.

A uertice, usq; ad calcem. CCLXXXV

Vertex siue uortex est quicquid uentorum rotatione effracta, item contorta in se aqua uertitur, uel aliud simile. Vnde, teste Fab. lib. viij. orat. instit. pars summa capitis propter flexum capillorum, dicitur uertex, ut etiam Capro grãmatico placet, qui ait: Vortex fluminis est, uertex uero capitis. Ex quo natum est hoc pro-

uerbium, A uertice uſque ad calcem, Calx enim poſtre ma pars pedis eſt, hoc eſt, à principio, uſque ad finem. Illud quoq;, haud enim ualde ab hoc diſcrepat, non minus prouerbialiter Flaccus expreßit in prim. ſermon. ſaty. iij. ita ſcribens: Si collibuiſſet ab ouo uſq; ad mala citaret, Hoc eſt, à principio cœnæ, uſq; ad finem, nam ouum initium cœnæ erat, poma autem in fine ponebantur, id eſt, in ſecundis menſis, quæ bellaria uocitantur. Acron & Porphyrio autores.

Diſcendũ eſt, quandiu uiuas. CCLXXXVI

Hoc prouerbialiter uſurpatur à Seneca in epiſt. lib. xvi. ad Lucil. dicente: Tandiu diſcendum eſt, quandiu neſcias, et ſi prouerbio credimus, quandiu uiuas. Quo præcipitur ſumme literis eſſe incumbendum, cum ad id uix tota ætas ſatis ſit.

Sirenũ cantu demulceris. CCLXXXVII

Sirenes, Parthenope, Leucoſia, Ligia Acheloi fluminis & Calliopes muſæ filiæ fuerunt. Hæ inſulas quaſdam iuxta Pelorum, inter Siciliam & Italiam teſte Ouid. lib. xiiij. Metamorph. habitarunt. Harum una autore Ser. ſuper v. Aeneid. uoce, altera tibijs, tertia lyra canebat, ſed tanta dulcedine cantus tranſeuntes nautas afficiebant, ut ſopirentur, quos ſtatim ſopitos ſubmergebant. Quare Vlyſſes illac tranſiturus à Circe admonitus ſociorum aures cera obturauit, Dicente Iuuenale: Affigit ceras illa de naue petitas, Quæ ſiculos cantus effugit remige ſurdo. Et Sene. ad Lucil.

epiſt.

epiſt. xxxi. idem teſtificatur. Et *ipſe ſe ad nauis malum ligari iußit, & ſic illæſus tranſiuit.* Ex *quo iam uice prouerbij uulgatum eſt, Sirenum cantu demulceris,* In *eum, qui ſaluti uoluptatem præponit, aliquáue delectatur re, quæ ſit mox ei perniciem allatura.* V*nde* Fabius *lib. v.* Q*ui argumenta inquit, uelut horrida & confragoſa uitantes amœnioribus locis deſident, neq; aliter quàm ij, qui traduntur à poëtis guſtu cuiuſdam apud* Lotophagos, *germinis, &* Siren*ũ cantu deliniti uoluptatem ſaluti prætuliſſe.*

Aequalem tibi mulierem inquire.

CCLXXXVIII

V*etus eſt, et ut dicam, aureũ prouerbiũ, quo* Plutar. *de liberis educandis, decenter utitur, hoc pacto ſcribens:* E*as autem deſpondere filijs uxores conuenit, quæ nec multo nobiliores, nec ditiores ſint, ſapientia refertum utiq; prouerbiũ,* Ae*qualem tibi mulierẽ inquire.* Si*gnificat autẽ unumquenq; ſibi coniugem genere parem amicosq; pares quærere, & parare debere.* V*nde* D*eianira apud* O*uidiũ in epiſt. præcipit:* S*iqua uoles apte nubere, nube pari.* Et *idem* N*aſo in iiij. de triſt.*

Viue tibi, & longe nomina magna fuge.
V*iue tibi, quantumq; potes prælustria uita.*
S*æuum prælustri fulmen ab arce uenit.*
N*am quanquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes,*
N*on proſunt potius, plurimum obeſſe ſolent.*

Et *paulò inferius in eundem ſenſum ait:*

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Coruus relictis ab aquila cadaueribus uescitur. CCLXXXIX

Aquilæ aliti rapacißimæ utpote quæ ad populandum quemadmodum Plin. lib. x. docet, magno tractu ut satietur indiget, quicquid ex raptu in uorandis cadaueribus superest, imbelles aues ueluti coruus edunt. Vnde prouerbium, Coruus relictis ab aquila cadaueribus uescitur. In eos, qui ignaui & desides alienis laboribus famam sibi aucupantur. Vt illi potißimum faciunt, qui aliena sibi scripta uendicant, perinde ac ille Fidentinus Martialis consueuerat.

Hic Coruus est. CCXC

Hic Coruus est, prouerbium fuit in impudicos atque uitiosos, quoniam corui ore coire dicuntur, teste Plin. lib. x. cap. xij. ita scribente: Corui pariunt, cum plurimum quinos, ore eos parere, aut coire uulgus arbitratur. Quod Iuuen. saty. ij. usurpasse uidetur, dicens: Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Aut bibat, aut abeat. CCXCI

Lex in Græcorũ conuiuijs erat, Aut bibat, aut abeat, qua iubebatur, ut aliquis aut simul cum alijs percupide potantibus, Genio indulgeret, aut omnino abiret, quæ cum ab alijs scriptoribus tum à Cicerone luculenter loco prouerbij, in fine ult. Tusculan. libri usurpatur, cuius uerba ponam: Mihi quidem, inquit, in uita

seruanda

seruãda uidetur illa lex, quæ in Græcorũ conuiuijs obtinetur, Aut bibat, inquit, aut abeat, et recte, aut enim fruatur aliquis pariter cum alijs, uoluptate potandi, aut ne sobrius in uiolentiam uiolentorũ incidat, ante discedat. Sic iniurias fortunæ quas ferre nequeas, diffugiendo relinquas. Hoc autem adagione festiuiter cõmonemur, uel loco & tempori debere nos accõmodare, uel ab aliorum consuetudine protinus subtrahere.

Cursu lampada trado. CCXCII

Diana religiosissime in Aricino nemore, ubi ei sacratum erat templum colebatur, quod Artemisium uocat Strab. lib. v. geograph. quoniam Ἄρτεμις Diana nuncupatur. Sacerdos istius templi, rex Nemorensis dicitur à Tranq. in Caio Caligula, qui erat fugitiuus seruus. Mulieres uota nuncupabant huic deæ, & uoti compotes, ibant in nemus Aricinum gestantes faces accensas, qua superstitione deam se uenerari putabant. Quod Ouid. in Fastis docet sic scribens: Sæpe potens uoti frontem redimita coronis, Fœmina lucentes portat ab urbe faces. & Prop. lib. ij. Cum uidet accensis deuotam currere tedis, In nemus & Triuiæ lumina ferre deæ. Certamen autem in eo quod Pausanias ab Atheniensibus sumptum arbitratur, positum erat in cursu, tedam seruare accensam, quæ si primo extinguebatur, uictoria ad secundum transferebatur, si secundo quoq; extinguebatur, tertius uictor erat, si uero omnibus, nullus uictoriã assequebatur. Et quia ille cui faces

extincta foret, alteri proximo per hoc, gradũ ad uicto riam quodãmodo faciebat, hinc tradere lampada, uidebatur accipi, pro eo, quod est uictoriã concedere. Atqui potest uideri metaphora deducta ab alio genere ludi à Prometheo instituto, quod autore eodem Pausania tale erat, Currentes enim facem ardentẽ gestabãt, & alius iam defatigatus alij proximo in manũ subinde dabat, in memoriam illius ferulæ, qua ipse Prometheus cœlestem ignẽ suffuratus fuerat. Ex quo factũ, ut lampadem tradere, esset, in alium successionem generis uel officij transferre, hoc est, quasi per manus uitam alij dare, & uicem muneris relinquere, alteriue negociũ mandare, dare, tradere. Vnde Varro lib. de re rust. iij. cap. xvi. prouerbialiter inquit: Quod de fructibus nihil dixi, nunc cursu lampada tibi trado. & Persius satyr. vi. prior es, cur me in decursu lampada poscis?

Viuorum memento. CCXCIII

Vetus prouerbiũ, Viuorũ memento. Quo significatur, de uiuis esse loquendum, & de rebus præsentibus agitandum, teste Cic. in v. de finibus bonorũ & malorum, qui inquit: Tum Pompeius, At ego, quem uos ut deditum Epicuro insectari soletis, sum multũ equidem cum Phædro, quẽ unice diligo, ut scitis in Epicuri hortis, quos modo præteribamus, sed ueteris prouerbij admonitu, Viuorũ memini, nec tamen Epicuri licet obliuisci. Hinc apparet, iam tunc ominosum perinde fuisse, habere mortuos in ore, ut hodie est apud uulgus.

Sardonius

Sardonius risus. CCXCIIII

Sardonia herba quæ, autore Solino, in Sardinia insula, in fontiũ defluuijs prouenit largius iusto apiastro similis, ea si quis uescatur, neruos contrahit, & rictu deducit ora, ut qui moriuntur, ueluti ridentiũ facie intereant. Vnde in prouerbio dicitur, Sardonius risus. In eum uti possumus, qui, ut Vergil. ait, Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem, id est, hilaritatem præ se fert aspectu, intrinsecus autem tristi afficitur dolore, quod scite Cic. lib. epist. famil. vij. ad Galliũ usurpat ita scribẽs: Rideamus γέλωτα σαρδώνιον, hoc est, risum sardonium. & ante eum, Plato in primo de repub. Quod etiam nonnulli licet sardoniam herbam non ederint, animã ridendo efflabant. De hoc testatur Plinius lib. xi. cap. xxxvij. cum de præcordijs loquitur, ita inquiens: Ob hoc, in prælijs gladiatorumq; spectaculis mortem cum risu, traiecta præcordia attulerunt. Cæterum de origine adagij à scriptoribus produntur alia quædam, quibus persequendis impræsentia facile supersedeo, ut ne magis incerta in unum frustra congerantur.

Mulsum quod probe temperes, miscendũ esse nouo hymetio, falerno & uetulo. CCXCV

Hoc ganeonum, popinonum, lurconum, gulonum, prouerbiũ est, qui uarijs ciborum generibus excogitatis, studiosissime gulæ indulgent, quod à Macrobio lib. saturnal. vij. sic scribente usurpatur: Cur Disari mel

& uinũ diuersis ætatibus habentur optima? mel quod recentißimum, uinum quod uetustißimũ. Vnde est & illud prouerbium, quo utuntur gulones, Mulsum quod probe temperes, miscendũ esse nouo hymetio, Falerno & uetulo. Erit adagij usus, cum uolumus significare potionem quampiam uel edulia è diuersis concinnari rebus, ad indulgendũ palato, ueluti fit mulsum, quod est potio melle uinoq; confecta. Hymetium autem hoc loco mel atticum significat, dictũ hymetium, ab Hymeto monte iucundißimo Atticæ regionis

Acti labores iucundi sunt. CCXCVI

Præteriti labores sæpe plurimũ solent gaudij afferre. Vnde uulgatum sermone prouerbiũ, Acti labores iucundi sunt. Vt M. Tull. in ij. de finibus bonorum & malorũ testatur, ubi ita inquit: Quid si etiam iucunda memoria est præteritorũ malorum, ut prouerbia nonnulla ueriora sint, quàm uestra dogmata. Vulgò enim dicitur, Iucundi acti labores. Nec male Euripides, concludam si potero Latine, græcum enim hunc uersum nostis omnes, Suauis est laborũ præteritorũ memoria. Cicero hactenus. Ad hoc illud poëtæ referendum est.

O socij, neque enim ignari sumus ante malorum,
O paßi grauiora, dabit deus his quoque finem,
Vos & scyllæam rabiem penitusq; sonanteis
Accestis scopulos, uos & Cyclopea saxa
Experti, reuocate animos, mœstumq; timorem
Mittite, forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Colopho-

Colophonem addidit. CCXCVII

Colophon Ionica ciuitas est. Colophonij autem aliquãdo nauales opes satis amplas habuere, & equestri certamine tantum excelluerunt, ut ubicunq; difficulter bella componi poterãt, Colophonij equitatus auxilio dirimerentur. Qua ex re, teste Strab. lib. xiiij. geograph. ductum est prouerbiũ, Colophonem addidit, Cum summa operi manus imponitur. Refertur à Platone, in quadam epistola ad Dionysium iuniorem.

Ad umbilicum peruenire, uel Coronidem imponere. CCXCVIII

Quoniam umbilici ornamenti genus in fine libri solent poni, hinc mos ille uetus est, ut elegantißimi poëtæ prouerbij loco, cum exactum opus significarent, Ad umbilicum se peruenisse dicerent. Horatius in epodo: Deus deus nam me uetat, Incœptos, olim promissum carmen iambos, Ad umbilicũ adducere. Quod sic exponit Porphyrio, Ad umbilicum adducere, pro finire & consummare opus, posuit Horat. quia in fine libri, ex ligno aut osse umbilici solent poni. In quem sensum & Martialis finem quarti libri clausit:

Ohe iam satis est Ohe libelle,
Iam peruenimus usque ad umbilicos.
Tu procedere adhuc, & ire quæris.

Et alibi idem poëta:

Nunquam grandia nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata purpuraq;,

Nigris pagina creuit umbilicis.

Georgius Merula uir impense doctus, id esse ad umbilicum peruenire autumat, quod Græci dicunt ἐπιθεῖναι τὴν κορώνην. Hoc est, coronin imposuisse. Soliti enim, inquit, fuerant Græci consummatis operibus, coronin apponere, Vnde prouerbiũ natum, ἐπέθηκε τὴν κορώνην. Ad illud Martialis respexisse uidetur, magnitudinẽ decimi libri quodammodo arguens:

Si nimius uideor seraq; coronide longus
Esse liber, legito pauca, libellus ero.

Quoties igitur significare uolumus quempiam opus consummare, prouerbialiter dicimus, Illum ad umbilicum peruenire, aut imitatione Græcorum, Coronin imponere. Etiam si sunt aliquot præterea modi alij apud autores, absoluendi opera, Summum fastigium imponere, Summã addere manum, Rudem accipere, Rude donari, Canere receptui, ab ædificatoribus, opificibus, gladiatorũ uacatione, & bellatoribus sumptis metaphoris, quæ ac id genus complures in prouerbia iampridem abierunt.

POLYDORVS VERGILIVS RICARDO PACAEO SVO S. D.



CCIPE *tandem aliquãdo mi Ricarde Pacæe sacrorũ adagiorum catalogum. Is, ut intelligas, à primo qualis sit, hoc mirificißimum gestat in fronte prouerbium, Loquela tua te manifestum facit. Quid ni dicam humani animi simulacrum, potius quàm prouerbium? quando hinc facile colligere licet, quantum instar in hominis uoce sit, utpote quam uel animi uehiculum recte nuncupare poßis, quia quicquid hic concipit, illa foras uehit, at ubi est egressa, tum planè efficitur hominis simulacrum adeò certe uisibile, ut etiam cæcos non lateat. Ita nimirum Isaac oculis captus Iacob filiũ se fraude petentem persensit, inquiens: Vox quidem uox Iacob. In geneseos libro minime cælatur historia. Eò quoque illud Vergilianũ ex Aeneidos primo spectat: Nec uox hominem sonat, Cum de Venere sermonem habet, quæ habitu incognito, Aeneæ filio obuia facta est. Sanè sic apparet uocem non posse dißimulari, imò solam propè esse, quæ uel humanæ uitæ certũ faciat indicium, dicente græca parœmia, Talis hominibus oratio, qualis uita. Et secundũ illud Euangelicũ adagium, Qui de terra est, de terra*

loquitur. & Ex abundantia cordis, os loquitur. Vnde *Democritus non abs re orationẽ uocabat actionis umbram.* Quod *mehercle uerißimum esse, tu ipse cum primis testimonio es.* Ecquid, *quæso, tuus ille purus ac facilis sermo sapit aliud, quàm innatam animo tuo probitatem, ac doctrinam non uulgarem?* Id *certe causæ est, cur ipse etiam te diligam, curq́; libenter tecum studiorum meorũ rationem habeam.* Regustaui *nuper, atque edolaui librum meum de prouerbijs, quem abhinc uiginti annos, & eo amplius, foras dederam, non sine tanti profecto laboris summo laudis fructu, quia nemo ante nos, apud* Latinos, *adagia in unum collegerat, eorumúe modum apposite explanandorũ docuerat, quod dij, quod homines ubiq; gentium, tam certò sciunt, quàm pro certo habent.* Post *aliquot autem annos, id argumentum à nostro* Des. Erasmo *uiro sanè doctißimo auctum est.* Quare *nihil est, quod nos alio aduocato, quàm ueritate quæ semper extat, utamur, cum causa hac cadere nullo unquã tempore poßimus.* Ego *uero interea ueni in* Angliam, *statimq́; ad historiam* Anglicam *scribendam animum adiunxi, quam mihi per temporũ conditionem, nondum licuit absoluere, id quod fecit, ut istas quinq; diuinorum adagiorũ centurias elucubratus fuerim, quas ad te misi.* Sed *ad prima redeo.* An *aliam causam esse putas, cur* Thomas Morus *noster certatim à cunctis diligatur? enimuero sola hominis loquendi festiuitas & gratia quæ paßim*

omnibus etiam alienis obuia existit, & multam doctrinam ac humanitatē quibus præditus est, late redolet, illud facit. Sed dices, Id potißimū in Ioanne Stokisleio enitet. At si plura quæris exempla, sunt statim ad manus, Ioannes Clercus, ac nobilis Cuthebertus Tonstallus. Hi nempe, ut interim de moribus taceamus, qui talibus ingenijs nequaquā sunt absimiles, iuxta consilio boni, Ambo florentesq́; fama, uel iuris & ambo Laude pares, fari seu respondere parati. Id quod scita utriusq; loquela nauiter ostendit. Item & iurisconsultorū celebre par obiter occurrūt Ioannes Taylerius, & Ricardus Sampsonus, qui, ut dicere incipiunt, nónne eos ingenuos mores simul ostentant, simulq́; legum arcana penitus reuelant? An nō illud idem præstant meditata illa uerba, quæ Ricardus Hyleus noster ex suo iugiter immaculato pectore fundit, atq; id bonitatis quod semper præ se fert, labia casta docent? Vel aliud Gulielmi Knyhgti nostri, aut alterius Gulielmi Haryngtoni mei lingua non indocta canit? Quid, quod quoties Edouardus Leus meus os aperit argutū, toties christianæ theologiæ penetralia pandit, toties testatur uitam, quam inculpatam degit? At ne plura, nostrum argumentum maxime omniū corroborant Ioannes Chamber meus, & Thomas Linacrus ambo medici tam periti quàm sacerdotes pij. Cæterum si liceret magna coniungere paruis, fasq́; foret, extra nostrā sodalitatem, à ducibus tantum testimonia sumere, possem hoc meminisse loco

Gulielmi Varami Cantuariensis archiepiscopi religio nis defensoris acerrimi, ac non modò probitate uitæ, uerumetiam eruditione insignis, qui etsi eiusmodi immortales uirtutes ipso oris habitu continenter refert, multo tamen grauitate fandi, testatiores facit. Hunc sequitur ferè paßibus æquis Ioannes Fiscerius Roffensis episcopus, qui ubi mutit, ecce subitò quidam sanctimoniæ odor spirat, ubi hiat, ecce sacræ theologiæ nectar fluit ubertim, adeò purus est, adeò sacræ literaturæ est sciens. Hi sunt, inquam, duo Anglicæ iuuentutis bonarum disciplinarũ cupidioris inclyti duces, quorũ alterius Oxoniensis, alterius Cantabrigiensis academia in tutela est. Habes igitur Ricarde Pacæe uim huius nostri adagionis, quamobrem dices, spero, illũ haudquaq̃ perperam sibi primũ, in hac secunda nostri libri parte uindicasse locũ. Quamuis huius generis cætera fermè omnia sint, etenim unde sententiæ tam efficaces, unde parabolæ magis insignes, unde metaphoræ uberiores, elegantioresq́;, atq; allegoriæ propriores, quàm à diuino copiæ cornu iugiter effunduntur? Quapropter Christianus populus iam inde à principio, sacra uerba memoratu digna frequentius usurpando in consuetudinem quotidiani sermonis duxit, prouerbiaq́; fecit, ac ita natura duce, quæ diuinarũ rerum haud facile intelligentiam habet, & sæpe mystico eorum uerborũ sensu omisso, in aliam uertit sententiam non equidem inconcinnam. Ecquis enim hodie in temere irritantem potentio=

potentiorem se, non dicit, Non tentabis dominũ deum tuũ? In auaros & officij immemores, Omnes quærunt, quæ ipsorũ sunt? In simulatores cærimoniosos, Dilatant phylacteria sua? In suorũ tantummodo adiutores, Caro & sanguis reuelauit? In sacerdotalium honorũ sitientes, Pinguis est panis Christi? Atq; sexcenta eiusmodi sunt. Cæterum ipse uulgus mysteria illorum uerborũ omnino ignorabat. Hoc igitur fuit, quamobrem utrunque germanum pariter ac uulgarem sensum docuerim, ut nequis in errore uersaretur, huiusq; officij causam exposui, ut ne amentes aliquando dicerent Polydorum sacras sententias in prophanos uertisse usus, ipsi nempe profani non libenter fortasse audituri Christiana uerba in ore resonare Christiano, qui, si unquã tales fuerint, tum intelligent id mihi uitio minime datum iri, cum à uulgo iampridem istuc factum esse omni tempore constiterit. Vale, Londini, sub Calend. Iunias, Anno M. D. XIX.

LOQVELA TVA TE MANIFESTVM FACIT. I



VT facies homini tantum, sicut ait Plinius, data, quæ unicum propè discrimen est, quo quis ab altero internoscatur, sic illi soli peculiaris cũ primis est sermo unus patrij soli & certus index, nam quemadmodum unaquæque regio suam habet uernaculam linguã, ita singulæ propemodum ciuitates aliæ aliter pronunciando, illam adeò uariant, ut cuias quisque sit, nihil certius indicet, quàm ipsa hominis uox. Quamobrem cum diuus Petrus ut homo mortalis, & mortis formidans constanter negaret se nõ nosse Christũ præceptorem, non potuit uitare, quin fando deprehenderetur esse Galilæus, & illius discipulus, cui propterea teste Euangelio, dictum fuit, Nam & loquela tua te manifestum facit. Quod iam uulgò celebratum sermone prouerbiũ increbuit, de eo, cuius uox hominẽ indicat. Aut longius trahi potest in eum, qui suis uerbis proditur, alicuiusúe criminis conuincitur.

Alpha & ω, Alpha & beta. II

Alpha & ω, dici suetum est, pro principio & fine, quod apud Græcos, alpha prima sit litera, & omega ultima. Item alpha & beta, pro primo & secundo ponuntur, quod beta sit secunda. Vnde fit, ut ab istis notulis literarum, quibus Græci numerum notant, prouerbiali

biali figura, principium & finis indicetur, quod soli deo competit, qui uti in Apocalypsi scriptũ legimus, inquit, Ego sum alpha & ω, primus & nouißimus, principiũ & finis. Græcanicas notas usurpauit autor libri, quia græce scripsit. Vsi sunt hoc loquendi schemate uel ueteres, dicente Martiale libro epigram. v.

Quod alpha dixi Codre penulatorum,
Te nuper aliqua cum iocarer in charta,
Si forte bilem mouet hic tibi uersus,
Dicas licebit, beta me togatorum.

Qui uos audit, me audit. III

Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit, me spernit. Qui recipit uos, me recipit. Hæc nõ sine prouerbij specie dicuntur à Christo, quibus docet mercedem esse paratam audientibus, uel recipiẽtibus suos discipulos, quando ipse referre se acceptum fatetur, quicquid in illos beneficij conferatur. Hoc autem hortamento commonemur humaniter tractare alienos seruos, ac ministros nomine dominorũ, & illorũ, quibus ministrant, cum his decori totum illud honoris sit, quod illis habeatur. Sed ad probos uiros prouerbialius refertur, quia hos qui iuuat, deo gratum facit.

Deleantur de libro uiuentium. IIII

Deleri de libro uiuentiũ per metaphoram, dicuntur illi, qui in numero eorum qui salui futuri sunt, non habentur, quippe qui sperant, in libro describi, hoc est, inter illos annumeratum iri, quos deus uti refert apo-

ſtolus ad Romanos, prædefiniendo uocauerat, eosq́ uocando iuſtificauerat, glorificaueratq́. Vnde Propheta in odis pſalmo lxviij. Deleantur de libro uiuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Nimirum David *duos hic libros indicat ſcriptos, unum uiuentiũ, alterũ iuſtorũ, In illo prophetæ et patriarchæ inſcripti ſunt, de quo Moſes peccante populo, ait domino: Si non dimittis eis noxam, dele me, de libro, quem ſcripſiſti. Et apud Danielem: Et in tempore illo, ſaluus fiet populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. In hoc uero inſcripti, qui ſecuti ſunt Chriſtũ, ad quem ipſe alludit: Gaudete & exultate, quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlo. Perſecutores uero eius & à primo libro deleti ſunt, & in altero non ſunt ſcripti. Ex quo in uulgarem iam ſermonem abijt, ut quoties uolumus ſignificare malos à bonorum cõmercio procul habendos, perdendosúe, uel aliquos exautorandos uelut indignos, apte dicamus: Deleantur de libro uiuentiũ. Sic hodie nomina eorum qui de famulitio cuiuſpiam ſeiunguntur, ex rationario expunguntur libro, ne in familia deinde cenſeantur.*

Initium ſapientiæ timor domini. V

Si cupimus in librum iuſtorũ referri, & de uiuentiũ non deleri, conuenit, ut ſapientis officium faciamus, qui nihil facit, quod non debeat, nihil prætermittit, quod debeat, cuius rei initiũ eſt timere deum. Vnde in pſal. cx. dicitur: Initium ſapientiæ timor domini. Hoc eſt,

ſapientiæ

ſapientiæ eſt, timere deum. Id quod Chriſtus in primis mandat, inquiens: Timete magis illum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna. Et ſic tutiſsima res eſt, nihil timere, præter deum. Quo fit, ut ſapiens ſit, qui timet deũ, & qui non timet, inſipiens. Per hunc modum ediſcitur, oportere Chriſtianũ præſertim hominem, in primis uenerari deum, & illum ſperare, uti poëta canit, memorem fandi, atq; nefandi, quo ſic à malefactis manum abſtineat facilius.

Miſericordiam uolo, & non ſacrificium. V

Ex delectu beatorũ, quem ſolus deus habet, ſequitur eius miſericordia, quãdo nos nihil promereri quimus, unde ei duntaxat tribuendum eſt, quod iuſti iuuantur. Propter quod apud Oſee prophetam ait: Miſericordiam uolo, & non ſacrificium. Quem locum Chriſtus prout in euangelicis patet literis, repetit, ad demonſtrandum, officia charitatis deo acceptiora eſſe, quàm Iudæorum ſacrificia, quæ per animalium cædem fiebant, clamante etiam Eſaia: Quò mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum dicit dominus? Plenus ſum. Et Solomon nihil diuerſum refert, inquiens: Facere miſericordiam & iudicium, magis placet deo, quàm uictimæ. Et Hieronymus hunc diſſerens locum, ait: Hoſtia enim placabilis deo, hominũ ſalus eſt. Hinc itaq; iactatum uulgò prouerbium in ſuperſtitioſe religioſos, qui cærimonijs duntaxat concelebrandis, aut preculis recitandis, mirifice intenti ſunt, in illisq; ſummum pieta-

tis fastigiũ collocant, cunctum aliud pietatis officium, more Iudæorum, non magnopere curantes.

Si deus pro nobis, quis contra nos? VI

Est deus pro nobis, ut docet Origenes, quod spiritus dei habitat in nobis, quod spiritu dei agimur, uel quod secundum propositum, uocati sumus, primũ per documenta Iesu; deinde iustificati per eius mortem, postremo glorificati per eius resurrectionẽ. Hæc sunt à deo nobis concessa, ut iustis, quamobrẽ Paulus ait: Si deus pro nobis, quis contra nos? Quasi dicat, nihil nobis officere poterit. Vnde Dauid: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Hinc factum, ut cum uolumus significare innocentiã ut diuino uallatam semper præsidio ubiq; esse tutam, prouerbij uice eleganter dicamus, Si deus pro nobis, quis contra nos?

Non tentabis dominum deum tuum. VII

Vt deus nos si boni sumus, tuetur, sic si mali, deserit. Quare Moses diuinæ iustitiæ bene gnarus, populũ in primis admonuit Hebræum, ut ne ullo dominũ auderet tentamẽto irritare uti quærendi studiosus, quod ad ipsum non pertineret, sed tantũ præcepta & cærimonias datas seruaret. Vnde apud Hebræos est deinceps in adagium adscitum, Non tentabis dominũ deum tuũ. Quod & Christus usurpat aduersus diabolum, à quo tentabatur. Quadrabit in eum, qui potentiorẽ se temere insistat, à quo facile poßit opprimi.

Durum

Durum est, contra stimulum calcitrare. VIII

Huius simile est uetus prouerbiũ à nostro Terentio usurpatum, quod in actis apostolorũ refertur à Christo admonente Saulum dementiæ, quod uellet aduersus se pugnare, ac dicente, Durũ est tibi contra stimulum calcitrare. Significat autẽ non esse illis resistendũ, qui lacessiti nocere poßint, neq; grauate ferendum, quod euitare non ualentibus plus afferat doloris, & deniq; stultũ esse, repugnare, quem uincere nequeas. Sumpta est metaphora à bobus, qui stimulo ab agricolis supp unguntur, in quem cum calcitrant, peius læduntur.

Tange montes, & fumigabunt. IX

Tange montes, & fumigabunt, Carmen est Dauid fiduciæ plenũ. Sanè ille diuini implorans auxilij aduersus Philistinos, ita futurum sperabat, ut inimici quamuis instar montis elati superbia essent, iuuante deo, ad nihilum redigerentur. Translatio est prouerbialis à torre, qui cum extinguitur, tum maxime fumat, & hærebit in eos, qui in eminentia constituti, uel multum ualentes plus nimio potentiæ aut uiribus fidentes, ut quopiam afficiuntur incõmodo, perinde à summo protinus ad imum decidunt, animoq; deficiunt, ut semiustus torris cum ab igne separatur, totam domum suffiendo, in fumũ euanescit. Vulgus tamen solet uersa uice, secus uti, cum uult significare non esse irritandos potentes, utpote qui tantillũ iniuria laceßiti more accensi ignis, exardescant ira, sæuiantq; sine modo. Sed prior sensus

mihi magis arridet, aptiusq; consentit.

Arbor bona fructus bonos facit. X

Arbor bona fructus bonos facit, contrà mala non potest fructus bonos facere. Vt enim huiusmodi arbores fructu internoscuntur, sic homines factis apparent, quales sint, quoniam nunquam liquidum synceruḿq; ex turbido uenit, & uir bonus usque eo perducit animum suum, ut non modò nolit peccare, uerumetiam non poßit. Contrà malus uix tantillum boni facere potest, quippe ubi bonum se simulat, tunc peßimus efficitur. Sic istiusmodi prouerbialibus metaphoris continuis edocemur, uitam principio bene instituere, animumq́; ad aliquod honestum studium adiungere, quando omnis nostra actio postmodum moribus respondeat, necesse est.

A fructibus eorum cognoscetis eos. XI

Huc respicit & hæc metaphora, à Christo usurpata, A fructibus eorũ cognoscetis eos. Ille enim uolens docere, quomodo doctores fucosa bonitate muniti sint nobis cauendi, ostendit certum uirtutis atq; uitij discrimen, quo uirum bonum à malo facile poßimus discernere, ut hunc tanquam pestem fugiamus, & illum ut salutare sydus cõtemplemur, sectemurq́;. Omnis enim nostra uita aut in actione, uel in oratione acquiescit, hoc est, aut facimus, aut dicimus semper aliquid, & quàm illud uerißimum est, tam hoc ualde cõmentitium esse potest, id quod factitant pseudoprophetæ, & hypocritæ,

pocritæ, qui nulla magis re internosci possunt, quàm suis actibus, qui certissima sunt bonæ aut male uitæ indicia. Hinc igitur iam in tritum abijt prouerbium, A *fructibus eorum cognoscetis eos.* Nos uti cõmode possumus, cum uolumus significare, non esse hominũ uerbis, sed factis fidendum.

Ex *fructu arbor cognoscitur.* XII

Ab hoc non abludit illa euangelica figura, Ex *fructu arbor cognoscitur. Sunt enim infinitæ arbores folijs inter se persimiles, item multæ aspectu perpulchræ, sed infelices, quæ omnes è fructu apparet, quales sint, cuiusúe generis.* Et ita homo quod egerit, *eius animi indicium faciet, quando illius uirtuti aut uitio facta non dubitanter respondent.*

In uestimentis ouium, sunt lupi rapaces. XIII

Eiusdem *generis & illud,* Attendite *à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* De *ijs, qui aliud habitu, & uerbo promittunt, aliud re præstant.* E*ffertur uel aliter,* In *pelle ouina latet lupus.* Porrò *eiusmodi impostores ita solent ouinæ simplicitatis personam induere, ut cum pro bonis habeãtur, credentes facilius decipiant.* Sed *in hæreticos quos theologi nostri uocãt, speciatim torquetur, qui iccirco abstinent, ut se incautim sequentibus uenenum suum sensim aspergant.*

Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? XIIII

Prouerbialis metaphora à uindemiatoribus, & arborum collectoribus fructuum sumpta, qua Christus apud Matthæum demonstrat hæreticos & hypocritas de quibus suprà egimus, qui quadam pietatis ueste se obtegunt, tam difficile boni aliquid posse facere, quàm de spinis, hoc est, ex seipsis uuas, aut de tribulis ficos colligere. Atqui recte eiusmodi homines spinis comparantur, quia more illarum, uenenatū habentes animū feriant eos, qui propius accesserint. Licebit adagio uti, cum uoluerimus non sine stomacho, innuere in aliquibus nihil apparere sanctitatis, quamobrem debeant præ cæteris coli, aut magnifieri.

Aes sonans, aut cymbalum tinniens. XV

Aes sonans, aut cymbalū tinniens, Iam olim ille prouerbiali allegoria dicebatur, qui tam uanitate plenus quàm à probitate uacuus, ut concionabundus pie sanctéq; alijs rectam uiuendi normam inculcabat, atque more rudentis aselli, tollebat uoces, quo longius exaudiretur. Quod hodie bene multi egregie faciunt, cum ad populum concionantur, de pulpitis enim proteruiter clamitant, templa dementer clamoribus opplent, uitia mordaciter carpunt, at ex se nihil præterea præstant, quod eam oleat animi pietatem, quam insigniter præ se ferunt. Sumpta est allegoria ab ære & cymbalis longo sonitu strepentibus, sicut in matris deorum

sacris utebantur, quod hæc instrumẽta ab alio pulsata per se nequeãt sonum ædere. Quamobrem apostolus ad Corinthios scribit: Si linguis hominum loquar, & angelorũ, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Ita prouerbialiter innuit, uanitatis plenum esse, longe alio modo docere, atque uiuas, uel sentias.

Arundo uento agitata. XVI

Arundo uento agitata. Parabola superiori cognata, & in prouerbium recepta. Ille enim similis calamo non indecenter dicitur, qui omni uento, id est, rumore uulgi circũfertur, & leuitate mentis, de eo statim ambigit, quod paulò ante prædicauerat. Est ea usus Christus de Ioanne Baptista, ita plebem alloquens: Quid existis in desertũ uidere? arundinem uento agitatam? Ac si diceret, Num existis ut uideretis hominẽ uanum, & futilem, uelut sibi minime constantem? & propterea subdit: Sed quid existis uidere prophetam? Etiam dico uobis, & plus quàm prophetam. Quadrabit adagium in homines leues.

Qui parce seminat, parce & metet. XVII

Qui parce seminat, parce & metet. Tracta metaphora ab eo, qui fruges serit, qui si eas minus affluenter sparserit, nequaquam plena manu colliget, ea Paulus ad Corinthios adagionis loco utitur, ut eos ad largitiones inopibus faciendas promptiores reddat, cum minus præmij ille sit à deo accepturus, qui minus de-

derit. Et ad Galatas scribens, longiuscule rem trahit dicens: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionē. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam. Dauid quoque in eandem sententiam psalmo cxxv. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Et Cicero: Vt sementem feceris, ita & metes. Per hæc unicuique officij præstandi modus præscribitur, qui enim bene fecerit, beneficium, qui uero male egerit, pro merito, maleficium, hoc est, præmium factis dignum reportabit.

Hilarem datorem diligit deus. XVIII

Eiusdem Apostoli dictum uice prouerbij, sermone uulgatum demonstrat, id munus deo esse cum primis acceptum, quod ultro datur, utpote qui nō æque rem, atq; animum dantis pensitat. Ea quidem ratione Christus duo æra à paupercula uidua in gazophylacium missa pluris æstimauit, quàm diuitum dona. Nos autem per hoc monemur, ad iuuandum inopes propensiores fieri, equidem multum refert, quo quis animo beneficium det, si enim dederit, ut recipiat, iam illud, sicut Tull. ait, desinit esse beneficium, sin uero non dederit, nisi precibus fatigatus, ac inuitus, & id secum remunerationem fert. Nimirum care emit, qui rogat. Quapropter recte monet Ausonius: Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Date,

Date, & dabitur uobis. Dimittite, & dimittemini. XIX

Date, & dabitur uobis. Dimittite, & dimittemini. Petite, & dabitur uobis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur uobis. Istæ euangelicæ sententiæ & id genus cõplures docent, quatenus orando sit aliquid à deo petendum. Cæterũ extra mysticum sensum, singulæ adagij faciem habent, uidenturq́; significare mutua charitatis officia, & perinde pollent, ac si dicas: Benefac promerenti, amantem ama, quasi alterum ab altero mutuæ uicißitudinis officium pendeat.

Nunquid aliquis panem petenti lapidem porriget? XX

Aut quis est ex uobis homo, quẽ si petierit filius eius panem, nunquid lapidem porriget? &c. Cognatũ est superiori. Docet Christus exemplo patris, nõ dubitanter esse petendum à deo, quod bonũ est, qui haud dubie dabit abunde. Conueniet, quoties uolemus innuere nõ esse quicquam negandum iusta roganti.

Gratis accepistis, gratis date. XXI

Docet Apostolus radicem omniũ malorũ esse cupiditatem. Quã pestem Christus exterminandam procul ciuitate dei magnopere curans simulatq; dederat suis discipulis potestatem sanandi ægrotos, leprosos mundandi, dæmones eijciendi, ne merces interueniret, quæ dona in primis spiritualia reddit uiliora, adiunxit auaritiæ condemnationem, Gratis accepistis, gratis date.

Si igitur aliter dantur, uideant illi, quorũ intereſt, quo iure id fiat, in quos tanquã dominici mandati uiolatores loco prouerbij, hæc præceptio maxime congruet. Sed fortaſſe inquies, Hæc ad illos nõ pertinet, quia gratuito non acceperũt, qui proinde poteſtate ad quæſtum quemadmodũ faciunt, uti poſſunt. Ergo uertamus adagium, Nec gratis accepiſtis, nec gratis detis. Quod magis in uſu eſt, & tantum reipublicæ chriſtianæ malum indies inurit, ut niſi tandem aliquando ſanetur, ingentem religionis ruinam ſit proculdubio æditurum.

Beatum eſt potius dare, quàm recipere. XXII

Beatum eſt potius dare, quàm recipere. Citat apoſtolus Paulus apud Lucam, in actis, hoc teſtimonium ut à Criſto profectum, quod in euangelicis literis inueniri non nemo negat, non animaduertens ſenſa, ſed uerborum ordinẽ. Etenim quid ſibi aliud uult illud, Mutuum date, nihil inde ſperantes? Item, Date eleemoſynam? Miſericordiam uolo, & non ſacrificium? Operi nudum, egenos uagosq; duc in domũ tuam? Et gratis accepiſtis, gratis date? Cæterũ uetus eſt adagium, quo ad utendum liberalitate perdecenter inuitamur.

Nolite dare ſanctum canibus. XXIII

Dari ſanctum canibus, & margaritas porcis, ueteri prouerbio Chriſtus uetuit dicens: Nolite dare ſanctum canibus, neq; mittatis margaritas ueſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi

dirumpant

dirumpant uos. Vocat sanctum, euangelicum dogma, & prohibet cōmunicari canibus, hoc est, Christianis hæreseos cauterio inustis, qui ritu canum, non permanentes in synceritate religionis, ad uomitū impietatis reuertuntur. Item porcos graphice appellat eos, qui nondum euangelio credentes, in luto uitiorum uersantur. Atque ita utiliter admonet, non conuenire, ut id genus hominibus cito sanctum, & margaritum, id est, mysterium euangelij prodatur, ne illud contemptui habentes in religionē nostram ueluti canes latrent. Sanè hac de causa, fertur ipse Christus consueuisse per parabolas, de regno dei loqui, quod antea fecerant prophetæ. Quin & Phœnicibus & Aegyptijs par studium fuit, ne theologiæ suæ mysteria uulgò panderentur. Hinc adagiū fluxit, quo salubriter iubemur, ne nostræ religionis arcana, neúe aliquid remotioris doctrinæ illis aperiamus narremusúe, qui uel uacillant, uel nullo sunt iudicio. Potest non inconcinne & in eos cōpetere, qui indigni sunt, quibus quicquam decori deferatur.

Sapientia huius mundi stultitia est, apud deum. XXIIII

Apud uulgus, ille cum primis solet dici sapiens, qui undecunq; plus sibi opum, plus honorū cumulauerit, quamobrem ab omnibus honoretur, cum maxime, qui tamen apud deum, tantū abest, ut sit sapiens, ut etiam pro stulto habeatur, utpote qui aliud nihil sibi cōparauerit, quàm quod mirantur homines. Contrà qui recta

ſapit, illa omnia ut caduca, fluxa, uana aſpernatur, rebus tantum diuinis intentus. Et *hic tamen uulgò minus ſapere exiſtimatur, quod præſentis uitæ cõmoda ob futuram, & illam quidem ut iſti* Epicurei *aiunt, nõ ſatis certam, negligere uideatur. Vtrunque apoſtolus ad* Corinthios *ſcribens, docet:* Nullus *ſeipſum ſeducat.* Si *quis ſibi uidetur ſapiens eſſe inter uos, in hoc ſeculo ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud deum.* Et *in epiſtola ad* Romanos *ait:* Q*ui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt.* Q*ui uero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt, ſentiunt, nam prudentia carnis mors, prudentia uero ſpiritus, uita & pax, propterea quod prudentia carnis inimica eſt deo.* Q*uæ ſententia admodum prouerbialis in eos cõmode conueniet, qui humano afflati ſpiritu, hoc eſt, extrinſecus rationẽ uiuendi habentes, nil niſi quod caducum eſt, ſapiunt, quorum cogitationes & ſtudia, ut perbelle propheta ait, dominus ſcit, quoniam uana ſint.* At *ediuerſo omnes hoc apoſtolico ſcito iubemur de humanis ſalubriter deſipere, ut cœleſtia expeditius meditari poßimus, unde noſtra ſit futura ſalus.*

Regnũ *meum non eſt ex hoc mundo.* XXV

Ecce, *qui* Chriſtum *ſequuntur, ubi loci eum inuenire queant, quando ipſe* Pilato *iccirco reſpondit:* Regnum *meum non eſt de hoc mundo, ut ſic teſte* Cyrillo, *liberaret illum à formidine affectati ab ſe regni, cuius quidem*

dem criminis falso à Iudæis insimulabatur, cũ re uera principatus eius non usquam certus, sed cœli & terræ, terrarumq; omniũ esset. Hinc itaq; tritũ in uulgo prouerbiũ est, ut quoties quis uult scienter & mystice innuere, se tantũ de cœlesti patria meditari, aut longe alio, et illo quidẽ non inutiliore, ac inscia plebs autumat, studio teneri, apte dicat, Regnũ meũ nõ est ex hoc mũdo.

Qui de terra est, de terra loquitur. XXVI

Qui de terra est, de terra loquitur. Sunt Christi præceptoris nostri uerba speciem adagij præ se ferentia, quibus indicat, qui è terra profectus est, illũ terrena et humilia loqui. Quæ sentẽtia in eum recte hærebit, qui quicquid agit, uel fatur, corporis seruitio accõmodat, uelut nihil habeat cõmune cum deo, sed cum belluis.

Ex abundantia cordis, os loquitur. XXVII

Huic confine est illud, quod Iesus in pharisæos clamitat, Progenies uiperarũ, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Nihil uerius à ueritate dici potuit, nam in corde uti attestatur Plin. mens habitat. Quo fit, ut si quippiam cordatius dicatur, ex corde, hoc est, ab intimis animi penetralibus proficisci existimetur. Contrà si quid insulsum, ex ore uideatur oriri, quasi non præmeditatũ. Vnde non immeritò in prouerbiũ cessit, in eos, quorũ sermo cum prauo animo, turpiq; uita recte consentit. Potest & in bonam capi partem, si quando quis ex boni animi sententia loquitur.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. XXVIII

Quandiu Christus in terris fuit, nulli ætati magis quàm pueris ut innocentißimis eius diuinitas innotuit, utpote clamantibus, Os anna, hoc est, ô domine, saluũ me fac. Quod propheta Dauid antè cecinerat: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Siquidem perfecta laus à pueris id ætatis est profecta, qui repente sancto spiritu superne imbuti, Iesum primi omnium cognoscentes salutarunt. Hoc oraculũ apud Matthæũ Christus citauit, ut prophetæ testimonium puerorum dictis firmaret. Vnde natum, ut pueri & simplicioris ingenij homines wulgò dicantur diuinare, cum quippiam ex tempore futurum pronunciant.

Beati pauperes spiritu. XXIX

Eò etiam propè pertinet istud Christi uerbum, Beati pauperes spiritu. Publicitus receptũ, pro eo, quod est incallidius sentire, quod feliciores sint illi, qui non habeant plus spiritus, hoc est animi, & ob id non plura molientes sese summißißime gerant, de quibus prophe ta ait: Humiles spiritu saluos faciet dominus. Idcirco Christus pauperes appellat beatos, et ne uideatur prædicare paupertatem, quæ nonnunquam neceßitate fer tur, adiungit spiritu, ut humilitatem intelligas, non penuriam. Igitur beati pauperes spiritu sunt, qui propter spiritũ sanctum, uoluntate fiunt pauperes. Et in hanc sententiam quadrabit, de ijs, qui posthabitis uitæ commoditatibus,

moditatibus, sese religioni addicũt, in eaq; acquiescunt. Vel, ut Theophylactus *sentit, in superbos hærebit, quia Christus hic illud agit, ut modestiæ fundamentum iaciat, quando, ut* Adam *per superbiam cecidit, ita ipse nos per humanitatem erigit.*

Non *sum dignus, ut soluam eius corrigiam calciamenti.* XXX

Non *sum dignus, ut soluam eius corrigiam calciamenti.* A Ioanne Baptista *est testimoniũ, & suæ ipsius humanitatis, &* Christi *diuinitatis dictum, quo planũ fecit, quanto esset illo inferior, quando asseruit minime se dignũ, qui eius corrigiam calciamenti solueret, quod serui officium esse solet.* Hodie *uice prouerbij paßim usurpatur, cum quis uult significare nihil sibi assumere, sed præ se, hunc uel illum arbitrari magnum esse uirum, atq; nobilem, siue excellentem.* Quod *facit apostolus dicens:* Ego *enim sum minimus apostolorũ, qui non sum dignus uocari apostolus. &c.*

Non *omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnũ cœlorũ.* XXXI

Sicut suprà, ut in psalmo refertur, demonstratũ est, initium sapientiæ esse timorẽ domini, ita per hæc Christi *uerba,* Non *omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorũ, apparet ijs non cõmittendam religionis custodiam, nec inesse perfectum amorem, qui cum polleant synceritate doctrinæ, turpiter uiuunt, et doctrinæ integritatẽ malis actibus destruũt,*

quando utrunq; dei seruis necessariū est, ut & actus sermone, & sermo actibus comprobetur, dicente Seneca: Non aspicias quàm plenas quisq; manus deo, sed quàm puras admoueat, non enim aliter nisi optimus animus dei est cultus. Vnde apostolus ait: Non enim qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est. Hinc factum uulgò prouerbiū in hypocritas, qui dicunt, & non faciunt, quod sit regno cœlesti dignū. A quo non discrepat illud,

Non omnes homines sunt homines, siue non omnes episcopi sunt episcopi. XXXII

Homo ut in primo de rerum inuentoribus libro, ex Cicerone prodidimus, animal est prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij. Quo fit, ut qui hominem agere uelit, illum oporteat in primis sequi rationem, quod si non fecerit, iam iure desinat optimo esse homo. Vnde ortum prouerbium, Non omnes homines, sunt homines. Ad hoc idem Cicero in officijs respicere uidetur, cum inquit: Quin etiā si quis est paulò ad uoluptates propensior, caueat modò, ne sit ex pecudum genere, sunt enim quidam homines non re, sed nomine. &c. In hanc sententiam diuus Hieronymus pulchre refert de malis episcopis, ad Heliodorum ita scribens: Non omnes episcopi, sunt episcopi, attende Petrum, sed Iudam considera, Stephanum suspice, Nicolaum respice. Non facit ecclesiastica dignitas Christianum, Cornelius centurio adhuc ethnicus dono spiritus sancti mundatur, presbyteros

Daniel puer iudicat. Non est facile stare in loco Petri & Pauli, scilicet tenere locum iam cum Christo regnantium. Et diuus Augustinus; Non omnis qui dicit pax uobis, quasi columba est audiendus. Hinc igitur apparet nos debere quocunq; temporis puncto, officij esse memores, cum illud solum sit certum personæ indicium, quam unusquisque gerit. Attendant ista tandem qui continenter peccant.

Omnis qui male agit, odit lucem. XXXIII

Omnis qui male agit, odit lucem. Quadrabit in eum qui ideo aliquid clàm facere studet, quod illud turpe sit factu, ac in aperto non liceat fieri, nox enim, uti inquit Papinius, fœcunda operum est, & pulchræ accōmoda fraudi. Vnde fit, ut fures noctu plurimū soleant furari, quo ita res alienas impune diripere poßint. Inde orta est prouerbialis metaphora, qua Christus apud Ioannē reprehendens Iudæos, quod se ueritatis lumen non diligerent, utitur dicens: Omnis enim qui mala agit, odit lucem, & non uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autem facit ueritatē, uenit ad lucem, ut manifestentur opera ipsius, quia in deo facta sunt. Ex quo apostolus ait: Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & ueritate.

Nihil opertum est, quod non reuelabitur. XXXIIII

Vetus adagium est, quod ex euentu cuiuspiam male actæ rei ortum apparet, in eos, qui quod sua malefacta

latere putant, ob id, male agere pergunt. Vel est Christi uaticinium in id prouerbium adscitum, is enim cum missurus esset discipulos per terrarū orbem, prædicatum euangelicū dogma etiamnum ferocißimis quibusq; gentibus, admonuit, ne persecutorū timerent sæuitudinem, et maledicentiū rabiem, quoniam tandem ueniret dies iudicij, cum & ipsorum uirtus, & illorū nequitia demonstraretur, inquiens: Nihil enim opertum, quod non reuelabitur, & occultū, quod non scietur. Et hoc fiet, cum deus in fine seculorū iudicabit. Interim tamen multorum crimina quotidie patefiunt, quæ antea ignorabantur. Vnde Seneca utiliter admonet, Non aliter uiuas in solitudine, aliter in foro.

Non potest abscondi ciuitas supra montem posita. XXXV

Versa uice, Christus declarat id quod in aperto est, cælari non posse. Sumpta allegoria, ab oppido supra montem sito, quod undique circunspicitur, qua patet stultißimū esse, illud conari occultare, quod omnibus est notißimum. Cæterum præceptor inquiens, Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, docet speciatim discipulos fiduciam concionandi, ne metu suppliciorum sese in tecta abdant, sed aperte apostolicū munus obeuntes in medium prodeant, cum ille qui sacras habet ad populum conciones, latere non poßit, utpote qui tantum palàm loquitur, alioqui concionator esse desinit.

Sufficit

Sufficit sua die malitia, id est, affli-
ctio. XXXVI

Cum satis malorũ in hac calamitosa uita, unusquisq; dies afferat, quibus continenter affligimur, nõ est, quod quæramus, quid sit futurũ cras. Quapropter præceptor discipulis dicit: Nolite ergo soliciti esse in crastinum, crastinus enim dies solicitus erit sibijpsi. Sufficit sua diei malitia. Videtur igitur cõcedere, ut de præsentibus soliciti sint, qui futura prohibet cogitare, quando quidem cuiusque diei malitia, hoc est, afflictio, labor, angustiæ seculi, sic enim diuus Hieronymus interpretatur hunc apud Matthæum, differens locum, sat nos distinent, ut non sit ocium meditandi de futuris rebus. Quoties proinde uolumus significare cogitationẽ præsentis temporis plurimũ premere, & futurorũ curam quæ incerta est, relinquendam esse, iam prouerbialiter dicimus, Sufficit sua diei afflictio.

Non est uestrum nosse tempora, uel mo-
menta. XXXVII

Huc spectat & illud responsum à Christo datum discipulis percunctantibus, num id temporis restitueret regnũ ipsi Israël. Non est uestrum nosse tempora, uel momenta, quæ pater in sua constituit potestate, sicut in actis legitur, quo prouerbialiter docet non debere nos futura quærere, cum nemo homo ea scire queat. Est & huic cognatum, illud in prouerbijs Hebræorum, Qui obseruat uentos, non seminabit. Vnde demonstratur,

quàm inutile ac uanum sit, id futurū curare, cuius humana mens nescia sit. Verbi gratia, Si quis ex cœlesti obseruatione, differat facere sementē, quæ ut serotina nihil postmodū producat, iam illi incōmodum oritur, uel si tardius citiusúe negocium aliquod gerat, quod mox uelut intempestiue curatū nihil afferat utilitatis. Est proinde absque temporis obseruatione, & nubium consideratione, seu timore uentorum, in medijs etiam tempestatibus seminandū, & curandum peropportune, quicquid in rem nostrā esse uideatur, nec dicendum illud tempus cōmodum, hoc inutile, cum ignoremus, quæ uia, quæ uoluntas sit spiritus uniuersa regentis. Etiam si ex elementorū obseruatione, futuræ serenitatis ac pluuij diei certum fieri poßit iudiciū, teste euangelio, ubi Iesus pharisæis & sadducæis dicit: Facto uespere, dicitis serenum erit, rubicundū est enim cœlum, & mane, hodie tempestas, rutilat enim cœlum triste. Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autē temporum non potestis scire. Hoc autē uulgato paßim prouerbio uetamur credere ex ui sydcrum, mala uel bona nobis proficisci, quando hæc à deo expectamus, & illa à nobis per eius gratiam, deprecari tantum poßumus. Vtrunque ab apostolo discere licet.

Diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. XXXVIII

Pauli apostoli sententia est, Diligētibus deum omnia cooperantur in bonum, & in celebre adscita adagiū, cum

cum uolumus significare ijs qui diligunt deum, omnia prospere cadere, hoc est, omnia etiam mala bono esse. Proinde recte illi competit, qui ut iustus etiam ex incommodo, cõmoditatem consequitur, sicut accidit sanctis martyribus, qui etsi coram hominibus, tormenta paßi sunt, spes tamen illorũ quemadmodum Sapientia ait, immortalitatis plena est.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

XXXIX

Cum in dubia semper uitæ ac mortis alea uersemur, nec nostrum sit nosse tempora, ut demum cuncta nobis adiumento sint, uult præceptor noster nos uigilare, bene agendo, quia quẽadmodũ in ipsa uita nihil est certius neceßitate moriendi, sic item incertius nihil ipsius mortis die, ac hora. Iccirco utiliter admonet, Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Sic nos magis reddit intentos, ad sarciendum diligentia omissum officium, atq; parandum bonorũ actuum uiaticum, quod postremo in cœlestem redeuntes patriam in itinere non deficiat. Omnis itaque dies uelut ultimus ordinandus est. Hoc tamen conducibile præceptum complures hodie loco prouerbij usurpant, quàm recte secum perpendunt, ut qui causæ suæ alte indormientes rebus præsentibus duntaxant seruiunt.

Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ. XL

Vt Iesus suos discipulos sine dolo esse iußit, ne face-

rent malum, ita & prudentia munitos uoluit, quo insi diantium decipulis non circūuenirentur, dicens: Estote igitur prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut co lumbæ, Quasi dicat, Imitamini in deuitādis periculis, serpentis prudentiā, qui toto corpore occultat caput, ut illud in quo uita uiget, protegat. Item & columbæ simplicitatem æmulamini, quæ animal est innoxium, uti ex spiritus sancti specie significatur, cui duntaxat salutis præsidium in alarum pernicie est situm. Ex hac itaque tam scita similitudine edocemur prudenter ca- uere, ac simpliciter sapere.

Nemo potest dominis simul inseruire duo- bus. XLI

Christus apud Matthæum, usurpat adagium, eiusq; sensum aperit, dicēs: Nemo potest duobus dominis ser uire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Sic deniq; docet amorem non posse diuidi.

Spectaculum facti sumus. XLII

Paulus cum uellet significare apostolos ubique gen- tium religionis causa, probro haberi, & multitudinē perinde ac ad spectaculū quoddam undiq; conuenire, ad uidendum, quibus illi publice afficerentur contume lijs, ad Corinthios scripsit: Puto enim quod deus nos apostolos nouißimos ostendit tanquā morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & ho minibus. Hactenus ille. Porrò istiusmodi apostoli uer- bum

bum hodie paßim à uulgo uice prouerbij, haudquaq inepte citatur, ubi uolunt ſpeciatim innuere aliquos in honoris faſtigio eſſe conſtitutos, ad quos omnium oculi dirigantur, ueluti in primis ſunt epiſcopi noſtri, qui locum ipſorum apoſtolorũ tenent, à quibus reliqui uiuendi normam mutuari debent. Væ igitur illis, qui bonum non ædęrint exemplum, quippe qui apud inferos, dubio procul aliquando plectentur, quoniã ſemper ſunt, qui quoduis facinus haud grauate imitentur.

Vos eſtis ſal terræ, lux mundi. XLIII

Sal terræ, lux mundi prouerbiali figura à Chriſto apoſtoli uocitati ſunt, quod ueluti carnes ſale ſeruãtur cibariáque omnia illo condita multo fiunt ſapidiora, item cuncta luce clareſcunt, ſic populi per eorum conciones, eſſent ab omni perditionis interitu uindicandi, & doctrina illorum ſimul illuminandus totus orbis, ac ipſi nuſquam ob metum periculorum ſe occultaturi. Hæc tam uenuſta metaphora in primis competit doctoribus ſacris, & epiſcopis, qui meritò comparandi ſunt ſali, qui ad ſiccandas carnes neceſſarius alium non habet uſum, niſi ut mandetur terræ, unde nullum oriatur germen, quod aliâs factum in iudiciorũ libro legimus, nam niſi ipſi docuerint, ſuo ſilentio Chriſtianũ utiq; dogma ſinent prorſus aboleſcere. Item lucis inſtar erunt, ſi morum innocentia, rebus humanis præluxerint. Videant proinde, quorũ intereſt, an ſint in ſacerdotali ordine multi, qui talẽ ſapiant ſalem, et eam luceant lucẽ,

quibus rebus Christus suos comparauit discipulos.

Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. XLIIII

Audio quotidie hoc apostoli scitum ueluti uetus adagium passim iactari, quoties quis incitatur ad captandam aliquam dignitatem sacerdotalem, perinde quasi ille uecors sit, ille nihil honesti sapiat, qui ad tale quid non audeat inhiare, & ambire, adeò cuiuis homini ista patent. Quo fit, ut bene multi indifferenter tam probi, quàm improbi, tam docti, quàm indocti, æque sibi munus illud certatim expetant, qui tamen si Paulum *recte auscultarent dicentem,* Oportet igitur episcopũ irreprehensibilẽ esse, *secumq́; cogitarent, ecquid sibi uellet illa duntaxat uox, irreprehensibilem, dubio procul intelligerent paucis admodum fas esse eius rei auidiores esse.* Vnde *salubriter monemur, honorũ appetentiam officio & conscientia, non cõmodo & ambitione metiri. Sed illud significantius demonstrat.*

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. XLV

Cui multum datum est, multũ quæretur ab eo. Hæc Christi sententia in prouerbiũ non abs re abijt, quandò per hãc recte addiscimus, tum ut diuus Gregorius *ait, rationes donorum crescere, cum ipsa augentur dona, quod alibi ipse talentorũ parabola expreßit efficacius. Nam dubium non est, quin oporteat nos reddere rationem coram iusto iudice, quonam pacto acceptis diuini-*

tus

tus beneficijs usi fuerimus, quæ sanè beneficia Paulus ad Corinthios scribens refert: Alij quidem per spiritũ, datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ. &c. Deinde infert: Hæc autem omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. At adagiũ speciatim congruet nostris pontificibus, qui tantum profitentur scientiarũ, tantum habent opum, tantum dignitatũ, tantum ditionis, quo magis efficiantur memores officij. Conueniet item regibus regulisq;, qui ideo alijs præsunt, potentia & opibus præstant, ut nihil agant, nihil curent, nisi quod è republica sit. Sed quotusquisq; est, qui norit ista inter tot delicias meminisse? Atqui nõ inuenustius ad quosuis alios accõmodabitur, qui bona intelligunt, sed aliquid præstare minime student, de quibus Hieremias capite quarto ait: Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt.

Qui non intrat per ostium in ouile, fur est & latro. XLVI.

Qui non intrat per ostium in ouile, fur est & latro. Vetus est prouerbiũ, teste euangelista Ioanne, & torqueri solet in malos sacerdotes, qui bono neutiquã modo sacerdotia adipiscuntur, & ueluti fures peßimis exemplis faciunt, ut multi quotidie mortales peius peccent. Sic tantum degenerant à uero pastore, qui docens sibi curæ esse oues, per hanc parabolam, arguit eos esse fures, qui sacerdotio haud rite præditi non quæ ex dei, sed ex ipsorum tantum usu sunt, auide quæritant.

Super cathedram Moysi, sederunt scribæ & pharisæi. XLVII

Prouerbiali figura Christus dicit, Super cathedram Mosis, sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcunque iusserint uos seruare, seruate, secundum opera eorum, nolite facere. Sic hortatur populos, ut sacerdotes euangelium non suas leges recte docentes audiant, et si illi minus id obseruent. Hoc innuit præceptor exemplo pharisæorū, & scribarū, qui mosaicam legem docebant, & parum mosaice uiuebant, & tamen audiendos censuit. At uulgò ita schema accipitur, ut Christus iusserit suos Christianos propter sacerdotij & nominis dignitatē obedire etiam malis sacerdotibus, non actus, sed doctrinam eorum considerantes. Nimirum prospexit fore, ut plures contemptui quàm honori in posterum tempus haberentur, nisi mortales magis nominis gratia, quàm uirtutum, ad eos respectum haberent, adeò pauci sumus, qui præclarum ordinem honestandum curemus.

Mercenarius mercenarius est. XLVIII

Mercenarius ille est, qui operas uendit, & locat. Is aliam personam præbere se nescit, dicente Christo, Mercenarius mercenarius est. Quod idem pollet, ac si diceret, Ne quicquam ab alio expectes, quod per te facere poßis, quia unusquisque modis omnibus sua quàm aliena studiosius curat, & sibi recte mauult quàm alteri. Quod declarat illud: Mercenarius uidit lupum uenientem,

uenientem, & dimittit oues, & fugit, quia non pertinent ad eum oues.

Vnus pastor, & unum ouile. XLVIII

Vnus pastor & unum ouile, Prouerbiali metaphora dicitur, cum omnes parent uni, & diligenter diuisa sunt munia, ut unusquisq; suas agat partes, utputa, cum inter Christianos nullum est schisma, nec in republica seditio, sed suo pontifici sacerdotes rite parent, & populus sui regis dicto audiens est. Cæterum illud Christi fuit oraculum, quo significauit futurum, ut cunctæ aliquando gentes non inuitæ euangeliũ reciperent.

Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. XLIX

Cum quispiam uoluerit nõ inscienter innuere, se intus & in cute, suorũ mores noscere, item suos ab illis non ignorari, apposita hac euangelica parabola utetur, Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sic enim pastor & oues inter se noscunt.

Nemo mittens manũ suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno dei. L

Metaphora non inuenusta Christus indicat, quis idoneus sit spiritali militiæ. Quod apostolus ad Timotheũ pulchre declarat scribens: Nullus qui militat, implicatur uitæ negocijs, ut ei placeat, qui se in militiã delegit. Contrà igitur ille fecerat, qui secuturus præceptorem uoluit prius uisere suos domesticos, & iccirco, uti apud Lucam refertur, dixit, Nemo mittens manum suam ad

aratrũ, et aſpiciẽs retro, aptus eſt regno dei. Nempe ſi arator retrorſum aſpexerit, haud dubie delyrabit, hoc eſt, rectũ ſulcum nõ faciet, uelut neceſſe eſt à recto rece dat, qui non abiectis procul humanis affectionibus, ſe religioni addixerit. Conueniet translatio in apoſtatas, uel in eos, qui nullius rei miniſterio operam ſuam rite impendunt, aut qui de recta uia declinant.

Amice quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? LI

Amice, quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? De immerito ad quempiam honorem perducto, utpote qui in ſe non habeat, quod ea dignitate ſit dignũ, uelut ſine doctrina, ſacerdos, ſine iuris peritia, prætor, quia perinde ſacerdotio ille ſua inſcitia, & hic præturæ ſua ignorantia, dedecus imprimit, ac inuitatus ad nuptias, ſi ueſte ſordida indutus ſit, mundicias polluit nuptiales. Hac parabola Chriſtus unũ ex conuiuis arguit impudentiæ. Is erit, qui tempore iudicij inuentus fuerit ſub nomine chriſtiano, non habere ueſtem nuptialem, hoc eſt, ueſtem ſupercœleſtis hominis, ſed ueteris exuuias, qui reprehenſus obmuteſcet, quoniam id temporis non erit locus pœnitentiæ, nec negandi facultas, cum omnes angeli & mundus ipſe teſtes fuerint peccatorũ. Quapropter aliquoties præſtaret, ut multi ad hæc neutiquam conniuerent, qui ſimul ambitione, ſimul cupiditate agitati, maiorem ſæpe uiribus prouinciam ſuſcipiunt. Dij boni, ſi noſter ſacerdotalis ordo,

ordo, ut de reliquis taceamus, recēseretur, quot forsitan reperirentur longe maioribus aucti honoribus, quàm ut eorum sanctimonia, uel doctrina mereretur? quibus haud dubie uti minime idoneis aliquãdo dicetur, Amici quomodo huc intrastis? Videant igitur, qui eos introducunt, quale piaculum quotidie committant, cum per huiusmodi fecem hominum, ordo in singulos dies grauius faciat damnum.

Pinguis est panis Christi. LII

Ex oraculo Iacob de filio Aser, ita uaticinantis: Aser pinguis panis eius, et præbebit delicias regibus. Quod in Genesis libro refertur, desumptum est schema, quo ut prouerbiali solet hodie uulgò opes sacerdotũ quas tam late poßident non inepte significari. Siquidem nõ parum multi huius panis adipati dulcedine illecti, utpote omnem uitæ industriam perosi, iccirco in primis sese religioni addicunt, ut citra laborem, desidiosam agant uitam. At quidam alij quibus sublimis est animus, ob id sacerdotium petunt, quod per id, in altum extolli cupiunt, quando nulla hodie propè alia uia est, quæ ad summa decora facilius cuiuis etiam ignauo ac minus laudato pateat, qui quidem inde uotorum compotes, regum potius quàm ueterum patrum studia æmulantur, forte illud diui Petri oraculum secuti, Vos autem genus electum, regale sacerdotium. Sed secus admonet, quod in eo oraculo sequitur, Gens sancta. Ob hoc enim sacerdotes appellantur reges, quia, ut

sancti secundum ordinẽ Melchisedech, perinde unguntur sancto chrismate, atq; reges solent, prout libro de inuentoribus rerum quinto fusius docuimus. His igitur *regibus panis Christi delicias præbet, & pinguis est. Sic Iacob uideri potest prædixisse futurũ, ut sacerdotalis ordo tandem aliquando bene magnis abundaret opibus. Cæterum si sint, qui in eis immodice acquiescant, in eos illud iure quadrabit.*

Asina Balaam admonet. LIII

Balaam hariolus accitus precio à Balac Moabitarũ rege ad maledicendum populo Israël, ut in Numeris legitur, est à deo prohibitus, ad illum proficisci, qui tamen appetentia lucri faciendi uictus, ascensa asina, ire pergebat, cum ecce tibi ab ea diuinitus uesaniæ admonitus est, qua re stupefactus ad se repente redijt. Hinc *Bedas in cõmentariolo quem scripsit in secundam diui Petri epistolam, non ineleganter ait, tum iure dici Balaam ab asina admoneri, cum episcopi ac reliqui sacerdotes indigere uidentur hominum prophanorũ monitis, ut qui haud secus atq; propheta Balaam, cupidine cæci non uideant, quorsum sit eundum.* Ita prouerbia*liter apte quadrabit in omnes.* Verbi gratia, Cum in*doctus doctum, seruus dominum, mulier uirum, puer senem utiliter coarguerit.*

Messis quidem multa, operarij autem pauci. LIIII

Vide rem miram. Docuimus *suprà ob pinguem panem*

nem Christi, Leuiticam familiam, id est, sacerdotũ coetum mirandum in modum creuisse, & tamen euangelica haec allegoria nunquam aliâs magis, quàm nunc congruit. Christus enim per messem, populorũ credentium multitudinem indicat, & per operarios, magistrorum inopiam, ac si dicat, turba copiosa Christianorum sibi poscit apostolorũ imitatores, qui tempore opportuno metant, hoc est, doceant, de quibus in psalmo canitur: Qui seminãt in lachrymis, in gaudio metent, portantes manipulos suos. Sumpta est allegoria ex eo, quod cum sit seges matura & iam resecanda falce, multis messoribus opus est. Cõmodum ea uti licet, cum uolumus significare multa esse agenda, & paucos admodum ad ea respicere, quibus curae esse deberent.

Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. LV

Ecce, quid amittent, qui minus suũ officium fecerint. Antiquis mos fuit donare eos corona, qui aut in bello, aut in ludis fortiter certassent. Sanè apud Romanos, *triumphantes corona primo laureâ, deinde aurea coronabantur, qua & donabatur is, qui primus muros subisset, aut in hostium castra uel in nauem introisset. Item oleagina uictoribus in stadio olympico praemio erat, & id genus permultae coronae erant, de quibus in secundo de rerum inuentoribus libro affatim memorauimus. Hinc itaque apostolus ad Timotheum scribit: Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi le-*

gitime certauerit. Quæ nempe athletæ parabola iam olim apud uulgus in prouerbium transijt, quo liquet honorem, hoc est, præmium nulli nisi merito, id est, officio suo gnauiter functo deberi.

Non alligabis os boui trituranti. LVI

Eiusdem sensus est uetus adagium ex Mosis lege tractum: Non alligabis os boui trituranti, quod citatur à Paulo in epist. i. ad Corinthios, ad ostendendum esse dignum suo cibo, qui operatur, dicente etiam Christo: Dignus est operarius mercede sua. Et deinde subdit: Nam propter nos scripta sunt, quoniã debet in spe qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnũ est, si nos carnalia uestra metamus? Et pergit: An nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participãt? Hucusq; apostoli uerba reddidimus, qui adagionis sensum aperte retulit. Nam ut ingratũ est, boui trituranti negare pabulum, sic unicuique laboranti non reddere mercedem, periniquum censeri debet, cum præsertim ex sola spe præmij, solatium fiat laboris.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. LVII

Est idem usus huiusce allegoriæ & iam in adagium receptæ, quam usurpat Paulus ad Timotheũ scribens, Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Quod in eos perbelle conueniet, qui defrau

dant

dant operas mercede debita, cum illis primũ sit satisfaciendum, ut est præceptũ à deo per Mosen: Non morabitur opus mercenarij tui apud te, usq; mane. At cõtrà admonet neminem hominem debere de fructibus percipere, id est, mercedem capere, nisi prius laborarit.

Si quis non uult operari, nõ manducet. LVIII

Vt laboranti non est negandus cibus, ita nõ operanti minime est dandus, teste Paulo ad Thessalonicenses: Si quis non uult operari, non manducet. Quod iam prouerbio increbuit in eos, qui ex alienis laboribus sibi præmium petunt, aut qui nulla impensa opera, mercedem recipiunt. Sed in eos speciatim trahetur sacerdotes, qui sacerdotiorum uectigalia capientes, nullas officij partes agunt, qui ex apostoli sententia, manducare non deberent.

Nemo suis stipendijs militat. LIX

Est uel illud ex eiusdem apostoli officina in prouerbium iam uulgare uersum, scribentis ad Corinthios: Quis militat suis stipendijs? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? Possumus autem usurpare, cum uolumus innuere quippiam precio, non gratuito esse faciendum.

Vbicunq; fuerit cadauer, illuc congregabuntur & aquilæ. LX

Vbicunq; fuerit cadauer, illuc congregabuntur & aquilæ. Vetus est adagiũ, & inde ortum, quod aquilæ & uultures etiam trans maria, triduo aut biduo dican

tur sentire cadauera, ad eaq; conuolare, sicuti suprà in eo prouerbio, Vultur es, cadauer expecta, ex Plinij testimonio demonstrauimus, & in rapaciores uel gulosiores recte hærebit, qui ea de causa, in quempiam locum conueniunt, atq; huc atq; illuc cõmeant, ubi aliquid lucri sint facturi, aut se fartim ritu rapacium animantiũ, saturaturi. Sed in ambitiosos auarosq́; aulicos cum primis quadrabit, qui iccirco frequentes aulam colunt, eius se famulitio addicunt, omnia sibi patienda in animo destinant, quod illinc uelut de perenni fonte tantum honorum, tantum diuitiarum continenter manet, ut diutinam sitim tandem aliquando expleant. Vsus est eo Christus, quo admoneret esse semper cauendos falsos prophetas, & exemplo aquilæ, sanctos se præeuntem, postea secuturos, quando futurum erat, ut per suam paßionem, cunctos mortales in una ciuitatis dei mœnia introduceret.

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit. LXI

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit. Prouerbio dicitur de ualde ingrato homine, aduersus de se bene meritos, ducta metaphora à calcitrone equo, qui quo pinguior est, hoc magis calcitrat. Est ea usus Moses, quo sic prædiceret fore, ut Iudæi multijugibus à deo beneficijs affecti, idololatræ demum fierent.

Dominus pauperem facit, & ditat. LXII

Dominus pauperem facit, & ditat. Potest cohærere superiori adagio, nam iura sinunt, uti est in codice de

reuocandis

reuocandis donationibus, donationem ab ingrato reuocari. Ita qui dat, potest auferre, & per hoc pauperem facere, & ditare. Vnde prouerbialiter uetamur esse ingrati. Sed efficacius ad potentiam dei refertur, unde hoc carmen est ortum, Anna enim Samuelis mater eo quod diu sterilis, tandē ex animi sententia concepisset, peperissetq́; filium, sic cecinit: Dominus *mortificat, & uiuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Dominus *pauperē facit, & ditat, & reliqua.* Idem *deipara uirgo:* Fecit *potentiam in brachio suo, dispersit superbos, mente cordis ipsorum,* Deposuit *potentes de sede, & exaltauit humiles. &c. Simile quid etiam apud* Ezechielem *refertur:* Ego *dominus deieci lignum sublime, & eleuaui lignum humile, & siccaui lignū uiride, & frondere feci lignum aridum.* Per *hæc igitur iam loco prouerbij uulgò recepta, cōgrue monemur, cuncta referre accepta deo, nihilq́; nobis tribuere, ut qui optime gnari, in eius esse manu, & nos beare, & ebeare.*

Reddet *deus unicuiq; iuxta illius opus.* LXIII

Reddet *deus unicuiq; ut opus illius erit.* Ecce, *cur sit quispiam pauper, uel diues, quando suo merito & bonum & malum de manu domini recipit.* Cæterū *apud* Ezechielē, *capite decimooctauo, ac trigesimotertio, is titulus est diuinæ iustitiæ in uctus prouerbium apud* Hebræos, *adscitus, & in* Apocalypsi *inscriptus, quo denunciatur cunctis mortalibus certum diem futurū, cum coram iusto iudice deo, actæ uitæ rationem red-*

dent, & alij pro commißis, pœnas perpetuo dabunt, alij uero pro benefactis, uitam recipient cœlestem. Hæc iusta monitio est, qua à malefaciendo tempestiue deterremur.

Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? LXIIII

Cum omnis uita, uelut ait Augustinus, peccatis sit obnoxia, haud dubie, si quoties quis per fragilitatem carnis, transgreditur leges dei, protinus diuina ultione feriatur, nullus euadere poterit interitum. Hinc in psalmo cxxix. refertur: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Non punit igitur peccata acriter deus, ut apud se semper sit pœnitentibus misericordiæ locus, cuius id facere est propriũ. Hæc prouerbialis sentẽtia recte torquebitur in crudelem & inexorabilem principem, in sæuum iudicem acerbißime delicta uindicantem, etiam pusilla, oblitum suæ ipsius imbecillitatis, perinde quasi uel ipse non posset in eadem mox incidere crimina.

Mihi uindicta, & ego retribuam. LXV

Mihi uindicta, et ego retribuã, in cantico Mosis dicit deus. Quod apostolus adagij uice citat cõmonefaciens Romanos, ut quamuis iniuria laceßiti, ne malum pro malo reddant, cum solius dei sit ulcisci, & pro meritis afficere beneficio. Hinc propheta: Deus ultionũ domini nus. Quoties ergo quispiam uoluerit ostendere, nõ esse agendum iniuriarũ, sed deo duntaxat uti æquo uindici ultionem

ultionem demandandam, prouerbialiter apteq; dicet: Mihi uindicta, uel mea est ultio, Hoc est, meũ est ulcisci, & ego retribuã. Proinde Paulus adiecit: Noli uinci à malo, sed uince in bono malũ. Quod fit, cũ quis maleficium beneficio compensat, & efficit, ut inimicus resipiscens fiat amicus, ea uictus humanitate.

Irascimini, & nolite peccare. LXVI

Ira affectus animi uehementißimus est, quippe qui abscondi minime potest, solusq; facit, ut homo extra corpus sit, dum irascitur. Quocirca probe admonet propheta: Irascimini, & nolite peccare. Eandem sententiam apostolus ad Ephesios è psalmo instar adagij citat. Neque tamen iubent irasci, sed iram nolunt esse diuturnam, utpote à nobis cito compescendam, ne ad iniuriam usque uindicandam progrediatur, cum apud etiam bonum hominem, penè perdifficile sit, non nasci iram, & deceat, ut statim exorta moriatur. Quod genus iræ est, cum ad indignæ alicuius rei speciẽ turbata parum mentis tranquillitate mouemur, sed statim post exhilaramur. Alterũ uero iræ genus semper est libidine ulciscẽdi ardens, iccirco ut hoc propheta prohibet, sic illud nõ negat. Autor Hieron. in epist. ad Ephesios. Hinc itaq; hodie in ore omnium est tritißimũ, Irascimini, & nolite peccare, cum uolunt intelligere iram, ut naturæ uitium quamprimũ compescendam, et uelut dolorẽ breuem esse oportere inter nos, à quibus istiusmodi animi affectus sunt ratione temperandi.

Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. LXVII

De iustitia incontaminati iudicis suprà intellexisti, cum demonstratum est illum reddere unicuiq; pro meritis, nunc ne spes ulla tibi subeat, eius censuram subter fugiendi, audi prophetam David *docentem, quàm late regnet: Quô ibo à spiritu tuo, & quô à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. &c. Per cœlum & infernum indicat totum mundum deo esse subiectum, & illum ubiq; adesse. Talis igitur prophetæ hyperbole in uulgare prouerbium abijt, quo significatur diuinum iudicium nullo posse neque loco excludi, neque humano euitari consilio. Potest etiam festiuius ad quempiam late regem referri, quod eius manus non facile effugies, si hominem semel offenderis.*

In qua mensura mensi fueritis, metientur uobis alij. LXVIII

Iam nostris prouerbialiter passim dicitur, In qua mensura mensi fueritis, in ea metientur uobis alij. Cum uolunt significare abstinendum esse ab offensione alterius, quando sic Christus docuit modum recte iudicandi, denunciando iudicem iniquum pœnam talionis subiturum, cum dixit, In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, metientur uobis alij. Et ante eum, Esaias de Hierosolyma loquẽs dixit: In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit,

rit, iudicabis eam. Et apud Abdiam: Sicut fecisti, fiet tibi. Per hanc prouerbialem allegoriam utiliter commonemur, seruare ius naturæ, quod est, Ne alteri feceris, quod tibi fieri non uis. Vnde illud, Ab altero expectes, alteri quod feceris.

Nolite iudicare, secundum faciem. LXIX

Vt potentes inuidia, sic miseros misericordia sequi solet, & hæc falli potest, quia non causam sed fortunam spectat, illa uero semper uitiositatem in se continet. Item nec formæ dignitati mores plerunque respondent, nec macies aut squallor innocentiæ index est certus. Idcirco præceptor noster Christus, quia apud deū, non est, ut ait apostolus, personarū respectus, inquit, Nolite iudicare secundum faciem. Ita uult apud iudices, plus ualere cuiusuis rei rationem, quàm honesti respectum. Id quod perappositum iam prouerbio locum dedit, etiam si antea idem iusserat Moses: Non consideres personam pauperis, nec honores uultus potentis. Iuste iudica proximo tuo.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt dei, deo. LXX

Non dissonat ab hoc illud dominicū instar prouerbij uulgò iactatum, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt dei, deo. Cum uolumus significare neminem esse suo debito fraudandum. Sic enim Christus à pharisæis interrogatus, num liceret censum dari Cæsari, fieri iußit, respondens, Reddite, quæ sunt Cæsaris,

utputa numum, tributum, & pecuniam ipsi Cæsari, & quæ dei sunt, id est, decimas, primitias, & oblationes deo. Ad hoc uel illud apostoli facit: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorē, cui honorem, honorē.

Obedire oportet deo magis, quàm hominibus. LXXI

Nihil ille gratiæ, nil offensæ dabit, qui deo paret, sed recte aget. Vnde Petrus apostolus cum alijs, sicut in Actis proditur, reprehensus à principe sacerdotum, quod Christum prædicaret, respondit, Obedire oportet deo magis, quàm hominibus. Et Paulus ad Galatas idem ferè clamitat, scribens: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, Hoc est, si cum Iudæis sentirem, non ancillarer deo, quippe apud uulgus notabatur, quod occulte legem obseruaret Hebraicam. Hoc apostolorū respōsum speciē prouerbij præ se fert, quo iubemur deo pariter atq; hominibus morem gerere, si id fieri queat. Verbi gratia. Placendum est deo, & hominibus, sed quatenus non possis hominibus obsequi, nisi deo displiceas, tum deo magis quàm hominibus obedire debes. Item per hoc uetamur, dare uerba hominū auribus, hoc est assentari. Qui enim auribus inseruiunt, seruile faciunt officium, & illud quidem stultis hominibus, non item deo gratum.

Non est discipulus supra magistrum. LXXII

Ecce, ne efferamur, Christus modum nobis ponit, dicens:

cens: Non est discipulus supra magistrum, neq; seruus supra dominum suum. Quæ sententia ut prouerbialis in ore omnium est, qua unusquisq; docetur sui esse memor status, & officij.

Vnusquisq; in uocatione in qua uocatus est, in ea permaneat. LXXIII

Vnusquisq; in uocatione in qua uocatus est, in ea permaneat. Hæc apostoli sententia ita uulgò usurpatur, ut nihil à superiore propemodū abhorrere uideatur, cum uolunt innuere unumquenq; debere esse suo statu contentum, quando haud dubie nemo homo seruus, aut dominus nascitur, pauper uel diues fit, nisi ita uolente deo. Cæterum Paulus hic agit, ut doceat statum hominis, qui ad numerum Christianorum adscriptus sit, non officere religioni, cum apud deum, dominus ac seruus eodem loco habeantur.

Sciat unusquisq; suū uas possidere. LXXIIII

Quod non desit, quod agas, hoc docet apostolus scribens ad Thessalonicenses: Hæc enim est uoluntas dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisque uestrum suum uas possidere. Hinc iam ubiq; gentium factum est, ut hæc Pauli sententia, Sciat unusquisque suum uas possidere, recepta sit uulgò, pro eo, quod est, cuique uigilandum est, super cura sui corporis, & congruet in eos, qui plusquam par sit, aliena curant. Sed si longiuscule trahatur, plus habet uenustatis. Vas uocat apostolus corpus, quo spiritus

Homo cum in honore esset, non intellexit.

LXXVII

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Oraculum è psalmo xlviij. desumptum, quo mire pingitur hominũ differentia. Qui enim sese animi uirtutibus exercent, & deum timent, putantq́; alteram & quidem meliorem, utpote perpetuam esse uitam, ij homines sunt, quippe qui quod cum deo cõmune habent, probe norunt. At qui corporis uoluptatibus se continenter dant, & eo quod sapientem iuxtà ac stultum ab hoc mundo migrare quotidie cernunt, uirtutem nullam ad perpetuitatem comparandam conducere arbitrantur, ac ob illud ipsum, multo præclarius corporũ quàm ingeniorum, membrorũ quàm animorũ effigies relinquere censentes, sibi statuas, sepulchra, imaginesq́; ponunt, quò sic post mortem æterna maneat memoria, & per hunc modum, è mortalium mentibus, partim religionẽ, partim doctrinam, quibus haud dubie uita constat, tollentes, tantũ corporis seruitio uacant, cum belluisq́; consentiunt, isti nimirum sunt, qui nihil in se habent, quod referat effigiem hominis, quæ ex deo formata est, nihil præstant, quo à brutis animalibus differre internoscantur, nihil denique intelligunt, quid sit dignitatis esse homo. Quapropter uita eorum meritò fugit indignata sub umbras. Ac in tales decentißime dicitur, Homo cum in honore esset, non intellexit. Hinc in

aureum cessit adagium, quod passim in eos quoq; non minus apte circumfertur, qui aliquo munere publico fungentes, ut sunt, qui magistratus gerunt, ob suam culpam, turpiter dignitate spoliantur, felicitatéue aliqua repente cadunt, uelut nõ intelligentes, quid in uita deceat, quidq́; sibi poscat honor.

Vidi impium superexaltatũ, sicut cedros Libani, & transiui, & ecce, non erat. LXXVIII

Nihil illud diuersum, quod in psalmo xxxvi. *refertur,* Vidi impium superexaltatũ, & *eleuatum, sicut cedros* Libani, Et *transiui, & ecce, non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Pulcherrima parabola, *hoc loco casus* Iudæ *proditoris, ac eius similium describitur, quippe qui quamaltissime ascendunt, tam citissime ruunt, adeò cito improborum læta ad perniciem cadunt. Sicut enim cedrus arbor maxima super excelsos montes, apparet leuata, & impulsu uentorũ sæpe conuellitur, ita impius qualis fuit* Iudas, *quamuis floreat, quamuis uigeat, qnamuis extollatur, repente potest cadere, & cum è uita migrauerit, non inuenietur, ut damnatus ad luendas perpetuo pœnas.* Istiusmodi *exempla quotidie in terris scatent, sed quotusquisq; est, qui animaduertat?* Quot, *quæso, nostra uidit ætas admiratione uulgi in cœlo esse, & illos ipsos mox quia malis artibus eò peruenerant, ad imum detrusos?* Hac *proinde prouerbiali figura non inutiliter cõmonemur nullam inuidere malis felicitatem, quando perdiu felices esse*

ces esse nequeunt, imò ne puncto quidem temporis, si Socrati credimus, qui apud Platonem, in Alcibiade primo ait: Nemo itaque felix esse potest, nisi sapiens, bonusq; sit. Et subijcit: Sequitur, ut mali homines miseri sint.

Nónne duodecim sunt horæ diei? LXXIX

Ecce aliud incertæ aleæ documentum. Nónne duodecim sunt horæ diei? Quod apud Iudæos adagium fuit, & à Christo usurpatur, qui per id ostendit nihil esse, quod sibi timeat, innuens se habere præscriptum tempus, cum negocium redimendi orbis geret. Item notat humani consilij uarietatem, ac cuiusq; rei uicißitudinem. Equidem ipse à Iudæis petebatur insidijs, male paßim audiebat, & tamen sperans imò sciens illos more uariantis temporis, sententiam mutaturos, in Iudæam ire pergebat. Vt enim tempus in singulas propè horas, modo surgentibus, modo deponentibus uentis, immutatur, ita repentinus aliquis casus sæpe inuertit consilia hominũ. Quæ res locum prouerbio fecit, quo significatur, non esse desperandum, si quid aduersi contingat, neque prosperitate successuum insolenter gaudendum, cum puncto temporis, alterius sortis interdum momenta fiant. Duodecim autem horarum diem æquinoctialem intelligimus, cum nox & dies horarũ spacio æquales sunt, quod æqualitas etiam sacris literis magis congruat.

Iacta super dominũ curam tuam, & ipse te enutriet. LXXX

Iacta super dominũ curam tuam, & ipse te enutriet. Hoc prophetæ hortamento apud uulgus in prouerbiũ iam recepto monemur uelut futuræ sortis nescij, spem omnem in deo collocare, eiq; cuncta mandare, ac deim nihil formidare. Quod semper & in re præsertim dubia faciundum est.

Veritas liberabit. LXXXI

Veritas liberabit uos. Oraculum Christi alloquentis Iudæos, qui ei credere incipiebãt, ut est apud Ioannem cap. viij. Nanque ueritatis tanta uis est, ut latêre nequeat, nec poßit fieri, quin captiuum iniuste deprehensum statim è manu inimici missum faciat. Quod Ioseph apud Aegyptios, perperam in custodia aliquandiu macerato euenit. Nota est historia in geneseos libro. Hinc igitur uice prouerbij uulgatũ, ut cum uolumus innuere solæ innocentiæ, cuius tam amator quàm tutor est deus, esse confidendum, dicamus, Veritas liberabit.

Est, est, Non, non. LXXXII

Euangelica ueritas non recipit iuramentũ, sed uult, ut omnis ueracitas pro iureiurando sit. Vnde præceptor noster iubet, ut si quis te interrogauerit, Exempli causa, sic, Est ne uerum hoc? respondeas, si ita sit, Est. Item num tibi dixi? respondeas, Non. Et denique admonet, non esse iurandum, ueluti uulgus deierat, sed respondendum, uel est, uel non, secundum ueritatem.

Hinc

Hinc prouerbio dicitur, Eſt, eſt, Non, non, quoties teſtimonium pure & ſancte perhibetur.

Charitas perfecta foras mittit timorem.
LXXXIII

Charitas foras mittit timorem. Competit ei, qui nullius commiſsi conſcius cenſuram non formidat, utpote plenus bonæ ſpei, quod per charitatem fiat deo acceptior. Item quando pietas & beneuolentia metum uincit, hoc eſt, ubi quis periculi immemor, amico ſeu diuinam charitatem imitatus etiam inimico egenti opitulatur, uel eum ab iniuria tueri audet potentioris, unde ipſi aliquid poßit imminere incōmodi. Eſt à diuo Ioan. in epiſtola ſua dictum, quo doceret timorem non ineſſe charitati, quæ facit, ut quis minus timeat, in die iudicij comparere, coram iuſto iudice. Ad hunc modum Paulus charitate uallatus minime formidabat dicēs, Nihil mihi conſcius ſum. Atqui Ioannis ſententia loco adagionis hodie omnibus obuia eſt.

Qui comedit uuam acerbam, dentes eius obſtupent. LXXXIIII

Vua, ut ait Solomon in Prouerbijs, acerba perinde noxia eſt dentibus, ac fumus oculis, cōtrà ſi matura ſit, ſuauiter ſapit. Hinc adagium eſt ortum, Qui comedit uuam acerbam, dentes eius obſtupent. In eum, cui negocium quippiam cb id male cecidit, quod præmature geßiſſet. Vnde monemur in quibuſuis rebus agundis, opportunum in primis obſeruare tempus. Refertur à

Hieremia dicente: Qui comederit uuam acerbam, obstupescent dentes eius. Ab hoc, & illud apud eosdem Hebræos est,

Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. LXXXV

Vt ueritas, id est, innocentia liberat, sicut suprà patet, ita peccatum semper perdit. Vnde apud Hebræos uetus est adagiũ, Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Quod utique iniquitatis speciem præ se ferre uidetur, ut alius delinquat, & alius puniatur, perinde quasi filius debeat præstare culpam, hoc est, stare uel teneri, ad alienã culpam. Vnde ne uitio detur, ab Ezechiele propheta usurpatur, explanaturq́; quo significat filios qui parẽtes peccatores æmulantur, & perinde deum non timent, ac eorum fecere patres, esse daturos pœnas, quasi malo hæreditario, & impietate in ramos quoque de radice crescente. Ac ita ipse dominus reddere dicitur delicta patrum super filios, usq; ad tertiam & quartã progeniem, prout in Exodo cap. xx. late refertur. Ad illud uel Hieremias respexit dicens: Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorũ portauimus. Cum itaque uolumus innuere alium peccare, & alium peccata luere, secundum literam adagij congrue dicimus, Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Sumpta metaphora ab acerbis uuis, quæ dentes stupidos faciunt.

Filius non portabit iniquitatem patris.

LXXXVI

Contrarium superiori est apud eundem prophetam, quamuis mystice non discrepet, Anima quæ peccauerit, ipsa moriatur. Filius non portabit iniquitatem patris. Quia si filius bene se tractarit, & patris crimina non subierit, dubio procul iniquum foret, ut alienæ culpæ reus fieret. Hinc prouerbium deductum, quo certum est, nõ debere quempiam ob alienam noxiam, noxæ dare.

Non ueni soluere legem, sed adimplere.

LXXXVII

Præcepta Christi secundum formã, minus æqua uidebantur, propterea quod ille ea quæ antea propter infirmitatem audientium, rudia & imperfecta fuerant, declarabat, tollens iram, & uicem talionis, ac occultã in mente concupiscentiam. Quas ob res, Iudæi aiebant eum secus instituere, atque docere, quàm lex uolebat. Vnde respondit: Non ueni soluere legẽ, sed adimplere, Id est, non accessi ad rescindendam legem, sed complendã, hoc est, ea quæ de me prophetæ prædixerant, nam teste Theophylacto, lex pro omni sacra scriptura ponitur. Quod quis instar prouerbij apte usurpabit, cum perperam ob benefacta impugnatur.

Iota unum, aut unus apex non præteribit.

LXXXVIII

Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege.

Huius Christi sententiæ à superiore non absimilis uel prouerbij uice usus iam passim est, cum significatur futurum, ut nihil non ad amussim fiat. Translatio est à librario, qui si non omiserit iota, quæ apud Hebræos, iod nuncupatur, & est minutissima omnium literarũ, & nonnunquã ita ponitur, ut planè uacare uideatur, item apicem uelut notam distinctionis superadiecerit, perfectissime scripsisse meritò iudicabitur.

Dilatant phylacteria. LXXXIX

Dilatare phylacteria sua ij prouerbialiter dicũtur, qui obseruationis legis prætextu, gloriam sibi superstitiose aucupantur, auramq; popularem studio uenantur, perinde quasi uere religiosi sint. Quod quidem crimen Christus haud iniuria pharisæis assignabat, uti apud Matthæum est, illi enim nihil spiritale sapientes cum maxime omnium legem uiolarent, eam maxime seruare uideri uolebãt. Porrò cum deus dedisset mandata legis, per Mosen, ad extremũ intulit, Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Quod perinde erat, ac si dixisset, Præcepta mea sint in manu tua, ut re ipsa conficiantur, sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris de eis. Hoc pharisæi non intelligentes, ut appetentiores humanæ quàm diuinæ laudis, scribebãt in membranis decalogum Mosis, hoc est, decem uerba legis, cõplicantes eas, & ligantes in fronte quasi coronam capiti aptabant, ut semper ante oculos mouerentur, & phylacteria græce appellabant, hoc est,

custodiam

custodiam legis. Illud idem, usque ad tempora Hieronymi, Indi, Persæ, & Babylonij factitabant, arbitrantes illum meritò religiosum iudicari, qui talia phylacteria portasset.

Magnificant fimbrias palliorũ suorũ. XC

Aliud institutũ Christus uitio dabat pharisæis, quod uestimentorũ luxuria laborarẽt, Moses enim iusserat, ut in quatuor palliorũ angulis hyacinthinas facerent fimbrias, quibus sic populus Israël internosceretur, per uestitus differentiam, uti in corpore circuncisio distinctionis nota erat. At illi humano repleti spiritu & præpostere uerecundi faciebant ingentes fimbrias, in eisq; spinas, prout diuus testatur Hieronymus, ligabant, ut sedentes uel ambulantes interdum pungerentur, quasi sic retraherentur ad officium. Hæc excogitarant, ut hominibus placerent, quibus admirationi esse uolebant. Vnde hoc præceptoris uerbum uulgus uertit in prouerbiũ, in eos speciatim sacerdotes, qui pharisæos per omnia, uel æmulantur, uel exuperant, & iactant scientiam legis, & eam cum primis uiolant, & qui rabbi uocari gaudent, id licentius faciũt. Siquidem & paßim hodie sunt sacerdotalis ordinis dynastæ, qui eiusmodi gloriæ sitientes eo usq; phylacteria trahant, & fimbrias ostentent, ut ordo maxime indigeat opera Ludouici Imperatoris illius magni Caroli filij, Is sacerdotum insolentiam stomachatus autor fuit, ut Gregorius eius appellationis quartus celebri episcoporũ

conuentu, ita statuerit, ne antistes, sacerdósue ullus serico, purpura, aut gemmato annulo ûteretur, prætérquam in sacrorum ministerio. Item ne in cingulis, calceis, crepidis aurum haberent. Cui pio instituto sic continenter abrogatur, ut breui sit prorsus obsoleturum, nisi mature ad pristinum usum reuocetur.

Excolantes culicem, camelum glutiunt. XCI

Excolantes culicem, camelum glutiunt. Euangelicũ est adagium in eosdem pharisæos, illi enim maximis rebus indormientes, minimis superstitiose inuigilabãt, siquidem deus præceperat propter alimoniam sacerdotum, & leuitarum, omnium rerum offerri in templo decimas, ex quo illi hoc unum habebant studij, ut quæ iussa fuerant, comportarentur, etiam uilium olerum decimæ, at cætera quæ erant maiora, utrum quis faceret, nec ne, paruipendebant. Quapropter Christus eos auaritiæ peruenusta hyperbole arguens dicit, camelum, hoc est, magnitudinem præceptorum, iudicium, & misericordiam, & fidem ab illis deglutiri, & culicem, id est, decimas menthæ & cymini & anethi liquari, nam quæ uoramus, minus degustamus, quæ uero liquantur, plus palato sapiunt. Sic denique Christus docet pharisæos negligere maiora dei mandata, & in paruis tantum quæ lucrum habent, diligentiam ponere, adhibere, demonstrare. Quadrabit prouerbium in superstitiosos christianos, qui timentes, uel potius timere simulantes, ubi non est timor, & nescire

ſcire uolentes in quo uera conſiſtat pietas, in cærimoniis duntaxat obſeruandis hærent, quod hypocritarũ proprium eſt ſtudium.

Qui perdiderit animam ſuam, inueniet eam. XCII

Perdere animam, & inde inuenire eam, prouerbiali figura dicetur, qui exiguæ uitæ quæ hic anima appellatur, immemor, memor perpetuæ, religionis cauſa, abſtinuerit à uoluptatibus, ac mortem oppetere minus recuſarit. Ita Chriſti nomine animã perdimus, ac perditam poſtremo inuenimus. Hoc igitur euãgelico ſchemate diſcimus, mortem optabilem eſſe debere iis, qui uitæ bene actæ ſibi conſcii ſunt, quando ita morientes tantum manet mercedis.

Triſtitia ueſtra conuertetur in gaudiũ. XCIII

Huc pertinet illud eiuſdem præceptoris noſtri apoſtolos perterritos ſpe promiſſorũ conſolantis, Triſtitia ueſtra conuertetur in gaudiũ. Quã ſententiam cuncti paßim loco prouerbii in ore habent, cum uolunt ſignificare è re triſti, futurum felicem ſucceſſum.

Mare uidit, & fugit. XCIIII

Sunt plurimi ſemper, qui nolint ſpem periculis emere, in quos illud pſalmi centeſimi ac decimitertii apte accommodabitur, Mare uidit, & fugit. Quod iam paßim prouerbio iactatur de timido ac imbelli homine, qui nullum audet adire uitæ periculum, ſed ubi aliquod impendere perſentit, ueluti in mari ſemper eſt,

tum officij immemor posthabet omnem uitæ honestatem. Cæterum secundum psalmi sensum, mare uidit Mosen cum populo uenientem, & fugit, hoc est, illi loco cessit, ubi intellexit uoluntatem domini. Nota *est historia, in* Exodo.

Iordanis conuersus est retrorsum. XCV

Iordanis conuersus est retrorsum. Istud quoq; ex eodem psalmo locum fecit adagio perappositũ, cum uolumus significare omnia secus ac expectamus cadere, uel cuipiam mutato derepente consilio, aliquid aliud in mentem uenisse, quàm paulò ante statuisset. Vt *autẽ* Iordanis *fluuius* Iud*ææ cessim ierit, notior est historia in* Iosue *libro, quàm ut hic sit referenda.*

Hypocritæ tristes, progenies uiperarũ. XCVI

Hypocritæ tristes, Progenies *uiperarũ,* Generatio *peruersa,* Sepulchra *dealbata,* Serue *nequam,* Paries *dealbate,* Sepulchrum *patens guttur eorũ,* Inueterate *dierum malorũ, & id genus complures passim in diuinis literis prouerbiales reperiuntur metaphoræ, quibus malorum hominum mores scienter depinguntur.* Christus *enim sanctitatis simulatores hypocritas tristes appellat, quod ficta macie, sanctimoniã præ se ferant.* Item *sepulchra dealbata, quæ foris niteant, intus referta sint cadauerũ ossibus.* Rursum *pharisæos uocat progeniem uiperarum, quod ritu uiperarũ, à parentibus dirum imbibissent uenenum, perindeq; occidissent suos patres prophetas, atque pulli eius serpentis cum*

matris

matris interitu, exire soleant. Et seruũ scelestum notat ingratum, ac Iudæos dicit peruersos. Ad eum quoq; modum, Paulus quempiam fucosum iudicem uocauit parietem dealbatum, quia intus alius esset, quàm habitu appareret. Et Dauid per guttur patens, seductores significat, qui homines in ora tanquã in sepulchra congerant. Atq; Daniel clamitat: Inueterate dierum malorum, contra sceleratũ senem, qui Susannæ pudicæ mulieri intentabat perniciem.

Festucam in alterius oculo uides, in tuo trabem non uides. XCVII

Notat Christus concinna hyperbole, hominũ dementiam, qui plus in aliorum uitijs, quàm in suis cernant, unde æque admonet, ut qui uoluerit in oculo fratris festucam, id est, minora uitia reprehendere, prius trabem ex suo eximat, hoc est, à maioribus uitijs uacet. Inquit enim: Quid autẽ uides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non uides? Quod hypocritarum proprium est.

Medice, cura teipsum. XCVIII

Eiusdem farinæ est uetus adagium, Medice, cura teipsum. Inde natum, quod medicus sæpe alios ægrotos rectius curet, quàm seipsum, utpote qui uim morbi in alieno corpore facilius deprehendat, & si consentaneũ est, ut sibi uelit accuratius mederi, quàm alij. In hanc sententiam Christus apud Lucam, prouerbiũ citauit, cum accusaretur ut ingratus, ex eo, quod plus miracu-

lorũ alibi quàm apud ſuos æderet. Sed feſtiuior ſenſus eſt, cum quis uitium damnat, quo ipſe laborat, perinde ac ſi medicus ipſe morbo tentatus ægrotantem quempiam curare nitatur. Cæterũ inquies, Haud ſcio, qua ratione poßim meipſum curare. Recte ſcilicet proponis, hic opus eſt præceptore non utiq; indocto, qui rem tanti momenti planã faciat. Is erit Socrates, qui apud Platonem, in Alcibiade primo, cum quærit quid ſit hominis natura, poſt multa argumenta, concludit oportere, ut homo prius intelligat quid ipſe ſit, ſi uelit boni curatoris officium præſtare, ac breuiter demonſtrat hominem aliud eſſe nihil, quàm animam, corpus uero ipſius eſſe, quo illa arbitratu ſuo utitur, ſic, ut qui curat corpus, curet ſua, qui animam, ſeipſum. Igitur ſi uelimus id facere, quod prouerbiũ iubet, non eſt, quod opum, bonorũ, aliarumq; rerum quæ nobis uſui ſunt, ſed uti Socrates uerißime docet, animæ tantum curam ſuſcipiamus, cum non ſimus, niſi anima. Quin eodem quoq; pertinet illud celebre præceptũ pro foribus templi Delphici inſcriptum, Noſce teipſum.

Nemo propheta acceptus eſt in patria.

XCIX

Nemo propheta acceptus eſt in patria. Ecce, cur Ieſus apud ſuos Nazarenos minus diuerſaretur, minusúe, uti in proximo adagio dictum eſt, ſigna faceret. Et dicitur de ijs, quorũ inſignis uirtus quantũ ſibi inuidiæ in natali ſolo, tantum beneuolentiæ alibi conciliat, utpote

quæ

quæ pluris apud alienos æstimatur, quod aut uilitas originis sæpe hominẽ comitetur, aut propemodum naturale sit, ciuem inuidere ciui. Quod bene multis quotidie accidit, quamobrẽ lubentius procul patria, uspiam ætatem degãt, ubi ob id, cũ primis plurimi fiunt, quod nõ nisi uiri iam facti ad unguem primitus cogniti sint.

Nolite tangere Christos meos. C

Dominus apud prophetã, psalmo centesimo ait: *Nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* De patriarchis hic speciatim agitur, qui ante legẽ, non regali unguento, sed spiritu sancto uncti fuerãt, unde christi dicti sunt. Postea uero reges quoq;, quia ungebãtur, id cognomen tulerunt. Ita enim Saul primus Iudæorũ rex christus domini dictus est, et Esaias Cyrum Persarũ regẽ christũ appellat. Hinc iccirco fit, ut uulgò paßim circũferatur, Nolite tangere christos meos, pro eo, quod est, nolite offendere, sed reueremini sacerdotes & reges, illisq; honores habeatis.

Nolite ponere os in cœlum. CI

Ab hoc non abhorret illud psalmi lxxij. *Posuerunt in cœlum os suum.* Quod uulgus hodie habet in ore, cum uult innuere, nõ licere, nec tutum esse, superiores maledictis incessere, & usurpatur à diuo Hieronymo, in procemio secundi cõmentariorũ libri in Hieremiã. Cæterum ad dei reuerentiam prophetæ carmen refertur, quod eius princeps sedes in cœlo sit, & ei maledicere capitale flagitium habeatur.

Qui se exaltauerit, humiliabitur. CII

Christus proponens præmium superbis, inquit, ut in euangelicis literis cōtinetur: Qui se exaltauerit, humiliabitur. Humiliare, *& exaltare uerba minus latina, quibus nonnulli utuntur,* Hoc *est, ex superis, postremo ad inferos detrudetur.* Quod Solomon *exemplo demonstrat, dicens:* Sedes *ducum superborum destruxit deus, & sedere fecit mites pro eis.* Hinc *factū in quosdam superbos prouerbium, qui se tam graui casui obnoxios esse minime cogitant.*

Qui se humiliauerit, exaltabitur. CIII

Qui se humiliauerit, exaltabitur. Ecce, *ediuerso, remunerationem, qua afficientur, qui sese summisse gesserint, de quibus alibi* Christus *rursum ait,* Beati *mites, quoniam ipsi poßidebunt terram.* Terram *intelligas, quā propheta* David *desiderat, dicens:* Credo *uidere bona domini, in terra uiuentium.* Hæc *quoque* Christi *sententia in adagiū uersa est, ad reddendos homines humanitatis appetentiores, quando sic solet quotidie usu uenire, ut quisque est minus gloriæ auidus, plus ei honoris habeatur, accedatq́;.*

Spiritus promptus, caro autē infirma. CIIII

Audio paßim hæc præceptoris nostri uerba ad imponēdum modum animo usurpari, sic ut in prouerbiū cesserint, aduersus temerarios, & insolentes, qui aliquo affectu tacti, supra uires quippiā moliri nituntur, ac sine fine distrahuntur, penitus immemores suæ naturæ,

turæ, qua cuncti æque monemur, ut quantum nobis ob ingenij acumen ſumimus, tantum carnis fragilitati diſfidere debeamus, utpote quæ ut idem præceptor ait, infirma eſt.

Non ſolo pane uiuit homo. CV

Non ſolo pane uiuere recte dicitur homo, quod uni animantium cunctorum plus rerum opus ſit, utpote qui nudus naſcatur, & alienis ueletur opibus, ac per omnes ætatis gradus, quo auctior fiat, hoc pluribus indigeat, id eſt, maiore miniſtrorũ cohorte, ampliore ſupellectile, unde ſolo pane uictitare non poteſt, ſed hæc corporis alimenta ſunt. Iam ueniamus ad pabulũ animi, de quo hoc teſtimoniũ è deuteronomio ſumptũ à Chriſto citatur, qui apud Matthæum inquit: Non ſolo pane uiuit homo, ſed omni uerbo, quod procedit de ore dei. Atqui ſic ille demonſtrat, ut uictus corpori, ita & uerbum dei animæ eſſe neceſſarium, quo ſi quis non ueſcitur, haud uiuere meritò dicitur. Hinc igitur in adagium abijt, quod monet extra cibaria, & ueſtiaria, non unius præterea rei curam, ſed multarum homini ad uitam humanam non belluinam degendam, eſſe ſuſcipiendam.

Seminare zizania. CVI

Seminare zizania uulgò eſt, diſcordias, ſimultates, atq; diſſidia inter mortales quærere. Tractum ab illa euangelica parabola. Cum autẽ dormirent homines, uenit inimicus eius, et ſeminauit zizania. Et bene qua

drat figura, sunt enim zizania herbæ infelices, quæ perinde frugibus officiūt, ut discordia paci inimica est, ex qua maxime constat hominum uita.

Lapis offensionis, Petra scandali. CVII

Lapis offensionis, Petra scandali. Scitum Esaiæ prophetæ in prouerbiū iam olim adscitum, dicitur de seditioso, fastidioso, scrupuloso, rixoso, & pernicioso homine, qui tantum discordias, superstitiones, seditiones, ac lites disseminat. Metaphora ex eo tracta, quod lapis aliquis obuius soleat facile esse offendiculo gradientibus, qui nisi cauerint, sæpe ad illum offendent.

Omne regnum contra se diuisum desolabitur. CVIII

Omne regnum contra se diuisum desolabitur, & omnis ciuitas aut domus diuisa contra se, non stabit. De acriter inter se discordantibus apte usurpabitur, non enim abhorret hoc à superiore. Vide rursus ex euangelico adagio, quantum peccet quisquis discordiæ est autor, cuius propterea cunctis meminisse perpetuo cū primis expedit. Vnde illud sallustianū loco etiam prouerbij paßim iactatū: Vt concordia paruæ res crescūt, sic discordia maximæ dilabuntur.

Dißipa gentes, quæ bella uolunt. CIX

Dißipa gentes quæ bella uolunt. Attende, quàm importuni sint pacis inimici, hic propheta Dauid imprecatur hæreticis & Iudæis exitium, quod illi christianā religionē impugnaturi, turbaturiq; eius quietē essent.

Quæ

Quæ ſententia impendio prouerbialis docet, non eſſe parcendũ ijs, qui gaudent exoriri in republica tumultus, qui odia hominũ ultro incendunt, qui deniq; quietis impatientes mutari omnia ſtudent.

Væ homini, per quem ſcandalum uenit. CX

Haud ualde à proximo hoc diſcrepat, quod Chriſtus refert, Neceſſe *eſt, ait, ut ueniant ſcandala, ueruntamen uæ homini, per quem ſcandalum uenit.* Hoc *eſt,* Si *quis bonam uitam non egerit, neceſſe eſt, ut ille alijs exemplo maxime noceat, cui Chriſtus meritò proinde comminatur. Eſt itaq; opus, ut omnis tollatur affectus, & uniuerſa propinquitas amputetur, ne per occaſionem uoluptatis, uel emolumenti, ſiue etiam pietatis facias, ut alter peccet, cõmittat, delinquat. Videant ergo, qui præſunt alijs, quàm grauiter peccent, ſi per inſolentiã pias hominum mentes turbauerint, traxerintúe malis exemplis in delinquendi licentiam. Atque in iſtiuſmodi malos rectores ſi tales fuerint, prouerbialis hæc comminatio haud perperam torquebitur.*

Vade poſt me ſatana. CXI

Poſtquam Chriſtus cõmunicauerat cum diſcipulis, oportere ſe ire Hieroſolymam, *& ibi obire mortem, uti apud* Matthæum, *ſcriptum legimus,* Petrus, *qui paulò ante de regno cœleſti edoctus fuerat, repente hoc audiens, cœpit eum increpare amantis affectu, inquiens,* Abſit *à te domine, non erit tibi hoc, ut dei filius occidendus ſit. At ille conuerſus dixit* Petro, Vade

post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ dei sunt, sed ea, quæ hominum. Quod iam instar prouerbij increbuit in eum, qui cuipiam bene agenti se opponit, impedimentoq; est, ac praue consulit, ueluti satanas, id est, contrarius siue aduersarius, quo nomine Iesus alibi diabolum tentantem se appellauit. Potest denique in quencunque scienter detorqueri, per quem minus nobis pro nostro uiuere iure liceat.

Virtus in infirmitate perficitur. CXII

Apostolus Paulus cum uarijs angeretur curis, roga uit dominum, quo illis subleuaretur, cui responsum est, satis esse gratiam diuinam, ad eiusmodi perferendas ca lamitates. Et adiecit dominus, Virtus in infirmitate perficitur, Id est, tua fortitudo quæ contraria est infirmitati, per meam gratiam, iam perinde declaratur to lerando, ac potentia mundi uiribus solet innotescere. Hinc igitur iam sermone uulgatũ, ut dicatur, Virtus alicuius in infirmitate perfici, hoc est, consummari, cum supra uires pressus, fortiter ferendo labores supe rat omnes. Porrò ut optimum gubernatorem tempestas, ita res aduersæ hominis uirtutem probãt. Citatur loco adagij à diuo Hieronymo, in proœmio secundi libri cõmentariorum in Amos.

Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. CXIII

Apud Zachariam prophetam legitur: Percute pastorem, & dispergentur oues. Quod oraculum fuit de futura

futura discipulorũ Iesu *fuga, uerum postea est in adagium uersum, quo notatur in periculis demum apparere, qui sint ueri amici, quoniam non aliter casus unius qui caput sit domus, uel reipublicæ, reliquos deterret, quàm cum percutitur pastor, omnis grex pauefactus dißipari solet.*

Hæc mutatio dexteræ excelsi. CXIIII

Mutatio dexteræ excelsi, cunctis uulgato iam prouerbio dicitur, cum quispiam nullo suo merito, in altũ subito extollitur, contrà & idem nec immerito suo à summo repente ad imum detruditur, ita operãte diuina utrunque manu. At propheta Asaph cum psal. lxxvi. hæc canat: Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi, mutationẽ optat, ut deus misereatur, ut nos gratia sua complectatur, nisi enim dextera dei, hoc est, filius eius mutatus fuisset, et hominis corpus accepisset, nos gratiæ participes non fuissemus. Quod apostolus docet, inquiens: Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. &c.

Omnis homo mendax. CXV

Omnis homo mendax, siue mendacium, prout Hebræis *legitur.* A *dauidico sumptum oraculo uice prouerbij circunfertur. Ait enim per hoc propheta omne quod uidemus, omne quod intelligimus, mendaciũ esse, hoc est, interprete* Hieron. *umbram & imaginem. Ac ita omnis homo mendax, quia quãdiu homines sumus,*

fallimur, & in corporali substantia nihil est ueritatis. At si quis est sanctus, deus efficitur, ac desinens esse homo iam non dicit mendacium. Ita Dauid contemplans cœlestia, prædicat nosse se præ diuina notitia, esse nihil. Sed psal. c. & xxxiij. eleganti cõparatione longe clarius exprimit hominis inanitatẽ, ubi refert: Homo uanitatis similis factus, dies eius sicut umbra prætereũt. Quod et adagij formã habet, quo humanæ uitæ inconstantia, imbecillitasq; notatur. Hæc igitur oracula nobis documẽto sunt, ut ne ob corporis animiue dotes, seu cætera bona, efferamur, uel carni morẽ geramus, sed humana omnia ut caduca negligentes, diuina tantum meditemur, unde nostra expetenda est salus.

Beati, qui non uiderũt, & crediderũt. CXVI

Cum ita infirmi simus, uelut proximum docet adagium, in primis in rem nostram est, omnia fide metiri, qua sola cœlum ipsum petere possumus. Quod exemplo apostoli Thomæ, nobis clarius innotuit, is enim uolens humano sensu percipere Christi diuinitatem, ut tandem uidit, exclamauit, & dixit, Dominus meus, & deus meus. Sic, ut apud Ioannem est, dei uocabulum Christo aptauit, eo non respuente, ut uere dictum. At Iesus ei dixit, Quia uidisti me, Thoma credidisti, Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Conueniet hæc prouerbialis sentẽtia in temere curiosos, præsertim de rerum diuinarum mysterijs, quæ etsi supra mentis humanæ acumen sunt, non illi tamen minus eorum rationem

nem stolide quæritant. Aut in eos, qui quod non facile aliquid credant, damnum inde faciunt.

Excusare excusationes in peccatis. CXVII

Excusare excusationes in peccatis. Dici prouerbialiter solet in frustra excusantes, cum deliquerint, & id quoq; culpa non uacat, cum excusationem quærere uitium sit. Propheta uero cuius hæc est sentētia, per hoc postulat, ne sibi in mentem ueniat excusationibus peccata purgare, ut eo demum pacto facinus facinori iungere non cogatur. Ita unicuique promptum est, ut cum uelit leuare crimen, statim inferat, Vis carnis rationem uicit, forma mulieris me cepit, occasio inuitauit, inopia subegit, sic, ut propè cuncti commissorum quasi iustas datas esse occasiones argumentantes uideamur necessitate facere, quod uoluntate cōmittimus. Vnde admonemur non peccare, quando excusatio apud deum non admittitur, & peccare in nostra est potestate.

Omnia licent, sed non omnia expediunt.
CXVIII

Omnia licent, sed non omnia expediunt. Apostolus Paulus ad Corinthios scribens, docet fas esse uesci etiam immolatis, non tamen ut immolatis, ne alij id rescientes offendantur. Vnde subdit, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, id est, prosunt. Quæ sententia prouerbialis iam facta nos commonefacit, debere interdum non tam quod liceat, quàm quod conducat animaduertere, quando semper quod expedit, licet,

non quod licet, expedit. Congruet in inconsideratißimos homines, qui nihil non improſpicienter intempestiueq; agunt.

Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus. CXIX

Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus, quando autem factus ſum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Ecce ut conſideranda ſint, quæ nos quocunq; deceant tempore, quæue ſicut proxime eſt dictum, expediant. Paulus iccirco iſta refert Corinthijs, ut doceat ſe parum prudentem fuiſſe ante acceptum ſpiritus ſancti donum, qui apte comparat ſe puero ſiue infanti, quod ea ætas ob rerum inſcitiam, nihil ſapiat, & ſic exemplo humani incrementi, ſpiritale demonſtrat. Nunc in prouerbium apoſtoli uerbum ubiq; uertitur, cum ſignificatur aliam ætatem alios ſibi mores, aliam ſibi uitam poſtulare, & in hanc ſententiã citatur à diuo Hieronymo in procœmio cõmentarioli in Abdiam prophetam.

Fallax equus, ad ſalutem. CXX

Equus animal bellicoſum eſt, & uelox, cui homo tum pugnando, tum fugiendo maxime fidit. Hunc equum Dauid uocat non inconcinne corpus humanum, quia iumentum ſit animæ, & ob id fallax, quod ſuis ſe uiribus diu ſuſtentare non poßit, ad nihil modis omnibus recaſurum. Sed neque rex nec gigas ſua eſt uirtute ſeruandus, niſi per gratiam dei. At per hanc prouerbia-

lem

lem figuram docetur plenum audaciæ esse, ac temeritatis, humanis tantum confidere uiribus. Quamobrem alius propheta aliubi recte monet,

Maledictus homo, qui confidit in homine.

CXXI

Obuiũ est Hieremiæ uetus uerbũ, Maledictus homo, qui confidit in homine. Hoc est, male ille audit, illaudatusq́;, sic enim maledictus dici latine potest, habetur, qui spem suam in homine ponit, cum homo de se nihil certi habeat, & ut falli, ita fallere poßit, & per hoc, quod creatori est reddendum, creato præstat. Id quod olim gentes factitabant, quæ Iouem ac complures alios mortales ut deos colebant, illisq́; solis certam habebãt fidem. Hinc Hieremiæ nobilis sententia in prouerbiũ iampridem exijt, quo liquet eũ esse longe importunissimum, qui nihil ad deum respiciens, hominis tantum patrocinio fidit. Contra quod illud pugnat,

Bonum est potius, confidere in domino, quàm in homine.

CXXII

Certe uera canit propheta Dauid: Bonũ est potius, confidere in domino, quàm in homine, et sperare in eo magis, quàm in principibus, quippe horum potestas cum ipso mundo labitur. Vnde hæc prophetæ sententia in adagium uulgò paßim accõmodata indicat, tutißimũ esse in deo duntaxat acquiescere, spreto cuncto mortalium præsidio, dicente Hieremia: Benedictus uir, hoc est, ut latine loquamur, laudatus, spectatus,

probatus, qui confidit in domino.

Cæcus cæcum ducit. CXXIII

Cæcus ducere cæcum ueteri prouerbio dicebatur, qui infirmus infirmũ iuuare, impius impium institue-re, indoctus indoctum docere conabatur. In hunc *sen-sum usurpatur à* Christo, *aduersus pharisæos, quos no tat, ut ueritatis expertes pessimos esse doctores, & cæ cos cæcum populum in errorem trahere, ac propterea more cæcorum, in foueam, hoc est, in interitum postre mo casuros pronunciat inquiens, Sinite illos, cæci sunt duces cæcorũ. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

Incidit in foueam, quam fecit. CXXIIII

Ille incidit in foueam, quam fecit, qui uenenum hau-rit, quod alteri parabat, qui suo se ferro lædit, quo al terum ferire conabatur, qui suapte arte perit, suopte dolo capitur. Canente Dauid *psal. vij. Lacũ aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Hoc *est, diabolus incidit in foueam mortis, quam patefece-rat, & ipse primus perijt. Sic fit, ut duplex illis qui ad eum modum cadunt, dolor sit, quod non læsissent, ue-lut optarant, & seipsos suo mucrone confodissent.* Et *tractum est ab ijs, qui insidiantur feris, quod soleant effossas foueas arborum ramulis cooperire, & super-iniecto stramento, escam apponere, in quas feræ eo il-lectamento deceptæ incidant. Atqui fieri potest, ut ipsi uenatores incautim obambulãtes prius in illas labent.*

Vel à

Vel à cuniculis militaribus est, quibus hostis hosti insidias plerunq; facit. Atq; hinc adagij origo.

In laqueo quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. CXXV

In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Refertur à propheta psal. ix. innuens peccatoribus malo in primis esse malas artes, quibus alios circumueniendos curant. Est affine superiori adagio, sumpta metaphora ab illis, qui pedicis instructis insidias tendunt auibus, aut feris. Ita iustitia uult, ut male agentibus mali aliquid cōtingat. Cuius nempe rei meminisse debent, qui sine fine, dolis ac fraudibus nitentes perniciem alijs machinantur.

Molliti sunt sermones eorum, super oleum, & ipsi sunt iacula. CXXVI

Ab eiusmodi aucupantiū decipulis non dissentit hæc hyperbole, Molliti sunt sermones eorū, super oleum, & ipsi sunt iacula, quam propheta usurpat in struentes dolos, qui dum ungunt, hoc est, blandiuntur, tum instar iaculorum maxime feriunt, à quibus per hæc cauere admonemur.

Qui gladio ferit, gladio perit. CXXVII

Non minus hoc Christi uaticinium locum fecit prouerbio appositum, cum illud quotidie uerißimum esse deprehendatur ab homicidis & sicarijs, qui perraro meritū effugiunt suppliciū. Cæterū Petrus mentis ardore actus, quod tam indigne præceptor tractaretur

à Iudæis, cum amputasset aurem cuidam pontificis seruo, cui Malcho fuit nomen, à Iesu est castigatus dicente: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Vbi de gladio diuinæ uindictæ intellexit, quem omnino nemo nocens euadet, atque ita prouerbiali schemate uetuit, ut ne iniurias persequamur, sed metu futuri supplicij, eas atque adeò concedamus, condonemus, remittamus ijs, à quibus acceperimus.

Malos male perdet. CXXVIII

Malos male perdet, subaudiendum deus. Parabola falsorum agricolarũ, hoc est, Iudæorũ, qui se legis cultores profitebantur, & tamen nullum legis fructum ferebant, & cum reddenda esset agricolationis ratio, id quærentibus uim inferebant, quippe qui prophetas & nouißime Christũ supplicio mactarũt. Vnde deus meritò malos male perdet. Hac autẽ euangelica parabola significatur, non defuturam malis uindictam, sed eos omnino citius aut tardius meritas esse pœnas daturos.

Vulpes foueas habent. CXXIX

Vulpes foueas habent. Vertitur hodie paßim & hoc euangelicum uerbum in uulgare prouerbiũ, in impostores, qui ritu uulpis sexcentos norũt fabricare dolos. Hoc enim animal suapte natura fallax, multijugibus dolis se tuetur, aduersus uenatores, dumq; prædatur, illis nititur. Item in foueas se illatebrat, in quibus catulos parit, & fouet. Et quia foueis præcipue, ut est suprà demon-

demonstratum, decipulæ intenduntur, non inuenusta metaphora, doli foueæ, & fraudulenti homines uulpes nuncupantur. Vnde quispiã foueas habere prouerbialiter dicetur, qui multiplex fallendi callet artificiũ. Verum Christus aliud innuit, cũ dixit: *Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Per hunc modum repudiauit scribam, ne sequeretur se, ob lucrum faciendum, qui ostendit tantæ esse paupertatis, ut non suo uteretur tecto. Huius itaq; sententiæ si multis sæpenumero in mentem ueniret, non utiq; opibus tantum inhiarent. Cui et adagij uice locus apposite erit, cum uoluerimus speciatim significare summam cuiuspiam pauperiem, utpote cui ne hospitiolum quidem sit.

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

CXXX

Qui diuitias apprime diligunt, illis uti plurimũ nesciunt. Quo fit, ut eas seponant, in longumq; tempus recondãt. Hoc noluit fieri Christus propter pericula, ita monens: *Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi erugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiũt, & furantur, thesaurizate autem uobis thesauros in cœlo, ubi nec erugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furãtur, ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ.* Hoc tamen, teste diuo Hieronymo, non solum de pecunia, sed de cunctis uoluptatibus sentiendum est. Exempli causa, Gulosi hominis deus est

uenter, ibi ergo habet cor, ubi est thesaurus. Luxuriosi thesaurus gemmæ, uestes, delicatiores epulæ sunt. Lasciui ludicra, amatoris libido. Huic denique unusquisque seruit, quo uincitur. Ac in huiusmodi hominū genus, euangelica hæc sententia prouerbij uice, recte accommodabitur.

Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

CXXXI

Huic non absimile est illud propheticū, iam olim uel in prouerbium adscitum, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quia qui in ijs acquieuerit, regnū consequi cœleste non poterit, dicente apostolo ad Timot. Præcipe diuitibus huius seculi, non sperare in incerto diuitiarū, sed in deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum. Non debent igitur diuitiæ apud nos, numinis instar haberi, sed tantum usui esse, cum præsertim breuis mortalium uita doceat, nihil esse, quod huic rei multum operæ detur, qua per citam mortem, nemini homini diu uti, frui licet.

Melius modicum iusto, super diuitias peccatorū multas. CXXXII

Ait Christus de diuite, Amen dico uobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorū. Ex cuius testimonio constat neminem hominem absq; peccato, magnas diuitias posse comparare, item modum nullum possidentibus opes inesse, quando plura habentes plura habere oporteat, plus seruorum, plus uestium, plus in

domo

domo apparatus, plurima præterea inde emergunt incommoda. Vnde propheta uerißime inquit, Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Quia, ut idem Christus ait, Quid prodest homini si mundum uniuersum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Et Solomon: Melior exigua portio, cum requie, quàm plena manus, cum iniquitate. Verum Dauid modicum hoc loco fidem quam quisque deo habet, appellat, quæ ut parua grano sinapis comparatur, at mira tamen operatur, quando sola est, quæ nobis cœlum patefaciat. Hæc prophetæ memorabilis sententia instar prouerbij paßim celebratur, de ijs, qui in candida paupertate uiuentes, innocentiorem uitam ducunt. Aut contrà iactari commode potest, in poßidentes diuitias iniuste partas, quamobrem sexcentis in uita afficiantur molestijs, & post mortem, nihilo plus habituri quietis.

Omnes currunt, sed unus accipit præmium.

CXXXIII

Omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium, siue palmã. Parabola athletarũ est à Paulo usurpata, per quam à minore ad maius argumentatur, in hunc modum: Si enim qui in publicis certaminibus olim contendebant, totis nitebãtur uiribus, ut coronã quæ præmio erat certantibus, periturã acciperent, quã tamen nisi unus consequi poterat, tanto magis nobis Christianis laborandum est, uti non unus unam, sed singuli

singulas coronas & quidem incorruptas adipiscamur. Quoties igitur uoluerimus significare multos ad unã rem inhiare, quæ uni duntaxat danda sit, hac apostolica schema eleganter ac prouerbialiter utemur.

Expectare *aquæ motum.* CXXXIIII

Ille trito iam prouerbio, expectare aquæ motum dicitur, qui aliqua afflictus erumna, alterius sortis uicißitudinem auet. Et *ad illud est allusum, quod ut tradit euangelista* Ioannes, *fuit* Hierosolymæ *piscina, in qua natabatur, ubi loci semper iacebat multitudo languentium, & claudorũ expectantiũ aquæ motum, & angelus certo diei tempore mouere solitus erat aquam, ac qui primus descendisset in piscinam, post turbationem aquæ, sanus ilico fiebat.*

In *domo patris mei, mansiones multæ sunt.*

CXXXV

Iesus adhortatus discipulos, ne turbarentur in hoc mundo, postea docuit de præmio laborũ futuro dicens, In *domo patris mei mansiones, id est, habitacula, multæ sunt.* Per *hanc locorũ multitudinem, teste* Cyrillo, *differentiã gloriæ significauit, quam unusquisq; prout meritus fuerit, assequeretur.* Vnde *natum, ut hoc* Christi *uerbum in ore omniũ hodie sit, cum uolunt innuere apud quempiam ingentem honorum copiam esse, & illos secundum hominum merita, delatum iri.*

Non *est adbreuiata manus domini.* CXXXVI

Vulgò *circunfertur nobilis* Esaiæ *sententia,* Non *est adbreuiata*

adbreuiata manus domini, De homine potente ac liberali, utpote cuius manus dando nunquã contrahatur. Sic propheta benignitatẽ dei aduersus populum Israël declarat, quod nõ aliter eum in perpetuũ seruare possit, quàm antea Aegyptiorũ seruitute liberarat.

Cauere à fermento pharisæorũ. CXXXVII

Cauere quispiam à fermento pharisæorũ, prouerbialiter dicitur, qui uitat malorum commercia, declinatq; peruersorũ doctrinam, ut ei impendio nocituram. Ita Christus admonuit suos discipulos, ut cauerent à fermento, id est, doctrina pharisæorum, & sadducæorũ: Et hoc est fermentũ, de quo apostolus loquitur ad Corinthios, Modicum fermentũ totam massam corrumpit. Perpulchra uidelicet translatio, hanc nimirũ uim fermentum habet, ut si farinæ misceatur, quod parum uidebatur, crescat in maius, & ad saporem suum uniuersam conspersionem trahat, sic & doctrina eorum qui impietatis cauterio sunt inusti, si uel modicã scintillam in tuum pectus iecerint, breui ingens flamma succrescet, ac totã hominis possessionẽ ad se trahet. Vide proinde, quàm uitandum sit hoc præsentaneũ uenenũ, quod & illud propheticum declarat,

Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris. CXXXVIII

Vox prophetæ ad Christum refertur, ad hunc modum, Tu Christe sanctus natura es, Quẽ tu sanctificaueris, ab illo cognosceris, quem tu feceris innocentem,

illi notus eris. Vnde apostolus: Comprehendam, & in quo comprehensus sum. Item cum hæretico qui male intelligendo, peruertit diuina eloquia, peruerteris, hoc est, ut alibi ipse dominus Iudæis ait: Si incesseritis peruerse coram me, incedam & ego peruersus uobis. Sed iam hinc aliter est sermone uulgatum, ut quoties uolumus admonere esse cauendum ab improbis, & ad bonos adhærescendũ, repetamus hoc prophetæ carmen, Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris. Solomon: Qui cum sapiente graditur, sapiens erit. Amicus stultorũ efficietur similis. Item Socrates Platonicus in Menone, ex Theognidis poëtæ præceptis, refert: Hos prope, bibe, & comede, cum ijs unà sedeto, ijs obsequere, quorũ magna potestas, à bonis enim bona perdisces. At si malis adhæseris, quã habes mentem proculdubio perdes. Et illud longe uerißimũ esse, Plato in Timæo tradit, qui probat ibidem neminem sponte malum, sed à malo malum reddi. Eiusdem quoque sensus est,

Corrumpunt bonos mores mala colloquia.

CXXXIX

Quanta uis sit orationis ex eo in primis apparet, quod sola sit, quæ quoquouis hominũ uoluntates uertere queat. Quid enim citius mollit iram tyranni, quàm oratio? quid facilius flectit sublimes animos, quid à uitijs deterret magis, quid ab omni turpitudine efficacius uindicat, & misericordiam uel beneuolentiã conciliat,

quid

quid contrà uehemētius mouet iram, aut inuidiam, & inimicitias conflat, quàm oratio? Item non aliud quicquam fortius expugnat pudorem, tollit rationem, contaminat mores, labefactat omnem deniq; uitam, transfundens in auditoris animũ, si pestilens fuerit, uenenum præsentißimum. Hinc Menandri senarius in salutare abijt prouerbium: Corrumpunt bonos mores mala colloquia. Quo nihil fermè est celebratius, & cũ primis ab apostolo Paulo in epistola ad Corinthios prima citatur, cuius & diuus Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem Romanũ meminit. E diuerso haud minus prouerbialiter dici potest, Corrigunt malos mores bona colloquia. Cum ad utrunq; æque ualeat ipsa oratio. Vnde monemur tam cum improbis nõ habere consuetudinẽ, quàm ad probos semper nos adiungere, ac cum omnibus honeste sermocinari.

Non opus est ualentibus medico. CXL

Non est opus ualentibus medico, sed male habẽtibus. In euangelicis literis adagium est à uulgo sumptum, de ijs, qui cum sint integri, & uitæ inculpatæ, minime indigent aliena ope, uel castigatione. Potest deniq; generatim ad quoscunq; referri, qui per se tales sunt, ut non indigeant aliorum auxilij, ueluti sano nihil est longius, quàm ut medici opera utatur.

Omni habenti dabitur. CXLI

Mos est & quidem uetus, ut medij & infimi dent munera summis uiris, & pauperes diuitibus, ad concilian

dam sibi eorum beneuolentiam, patrociniumq; comparandum, sine quo nusquam tuto uiuere queunt. Item quicquid in ciuitate honorum est, illud ijs cum primis deferunt. Quibus factum est, ut hæc euangelica parabola, Omni habenti dabitur, in tritißimum prouerbiũ iampridem exiuerit. Idem apud uulgus pollet illa allegoria, In mare fluunt flumina, cum opes opibus, ac honores honoribus cumulantur. Sed Christi sermo secus sapit, innuit enim illi qui fidem habet, omnia in primis deberi, adeò magna est fidei prærogatiua.

Ieiuno bis in sabbato. CXLII

Ieiuno bis in sabbato, Formam adagij habet, & pulchre in eum usurpatur, qui superbe ac futiliter sua benefacta iactitat, & gloriatur fucosa sanctitate, ac uanitate gaudet. Id quod pharisæus quidam uentosißimus apud Lucam euangelistam facit, qui se cæteros omnes sanctimonia anteire autumabat, quod quædam seruaret mandata legis plenus ob id arrogantiæ, qua nihil propemodum deo est odiosius. Quod autem bis in sabbato dixit, hebdomadam intelligas, quia Iudæi, ut in opere de inuentoribus rerum docuimus, unumquenq; diem hebdomadæ sabbatum appellabant, ut sabbatorum nomine dies supputarent.

Scientia inflat. CXLIII

Duplex est rerum cognitio, altera sensu quæsita humano, altera à deo est, hæc diuina, illa humana, hæc mitem facit, illa inflat, hæc prope deum, illa procul.

Hac

Hac de causa ferunt Christum elegisse apostolos homines omnino idiotas, qui diuinæ mox sapientiæ asscriberent, quicquid imbibissent doctrinæ, quæ postea ob id, cunctis mortalibus maiori fuit admirationi. Hinc apostolus ad Corinth. scribens ait: Scientia inflat, charitas uero ædificat. Quod uerbum in cõmunem sermonem deductum adagij loco paßim recitatur in eos, qui ex eo, quod alicuius artis scientes sint, citra modum insolentes fiunt, tantumq; sibi sumunt, ut nemini prætereà quicquam relinqui putent, ac contemptim aliorum opera semper inspiciant.

Diuiserunt sibi uestimenta mea. CXLIIII

Diuiserunt sibi uestimenta mea. Oraculum Dauid de exitu paßionis Christi, longo usu iam in prouerbium non uulgare uersum usurpare solet, qui spoliatus sit bonis, quæ postea illi inter se partiti fuerint, qui ea ui aut dolo rapuissent. Sumpta est metaphora à latronibus, qui indumenta eorum quos spoliant, sibi diuidant, quemadmodum illi quatuor milites prout in euãgelica est historia, post Iesum crucifixum, acceperunt uestimenta eius, & inter se partiti sunt.

Super uestem meam miserunt sortem. CXLV

Eiusdem prophetæ uaticinium est, Super uestem meã miserunt sortem. Quod perimpleuere ipsi milites, de quibus proxime memorauimus, qui diuisis summis Iesu uestibus, de tunica quod inconsutilis à summo per totũ contexta esset, sortiti sunt, cuius esset. Ex quo uaticiniũ

uulgi sermone uulgatum in adagium cessit de eo, cuius res ueluti multis prædæ datas postquã diu de possessione est certatum, unus demum, prout sors tulerit, occupat. Refertur passim apud prophetas, & in primis apud Abdiam: Et super Hierusalem, mittebãt sortem. Potest cõmodum eo speciatim uti nostra Italia, de cuius tunica, qua suum duntaxat operit umbilicum, Galli, Hispani, & Germani continenter sortiuntur neutiquam tessaris, sed armis, utpote minime contenti eam reliquis spoliasse exuuijs. Iamdudum enim eius parthenopeium pallium Hispanus superinduit, togam togatam Gallus sibi circũcinxit, caligas sibi Germanus aptauit. Atque eò perduxere Italorum discordiæ, ut isti tres potentissimi populi certatim super eorum uestem, sortem quotidie mittant, cuius denique totius eius terræ possessio sit. Quod haud dubie breui tempore futurum uidetur, seditiosorum hominum studijs maxime iuuantibus. Et hæc corda oblita laborum, hoc est, suorum maiorum uirtutum, ad hunc modum, populum terrarum principem unà secum cedere possessione magnæ fortunæ modis omnibus cogunt.

In salicibus, suspendimus organa nostra.

CXLVI

In salicibus, suspendimus organa nostra. Carmen Dauid è psalmo c. & xxxvi. quo babylonica seruitus futura describitur, in qua Iudæi miserijs omnibus cooperti, & perpetuo mœrori se dantès, organa quibus

canere

canere solebant, in arboribus suspenderunt, hoc est, omnem ab se uoluptatem missam fecerunt. Hinc na*tum, ut hodie uulgari prouerbio dictitent, Suspendere organa, pro eo, quod est nullum amplius lætitiæ locũ relinqui, & ærumnosis tantum hominibus conuenit.* Potest *uenustius ad eos referri, qui artem aliquam desierint, ocium deinceps agitaturi, facta translatione à citharœdis, qui sua instrumenta ita suspendunt, cum à canendo cessant.*

Quomodo cantabimus canticum domini, in terra aliena? CXLVII

Quomodo cantabimus canticũ domini, in terra aliena? Eiusdem *est prophetæ uel hoc problema, quod omnino prouerbij faciem habet, quo ille significauit fore nefas, ut* Iudei *apud idololatras* Babylonios, *captiui hymnos deo canerent, quibus ob id lugendum, non canendum esset.* Verum *iam usu uenit, ut hoc propheticũ carmen usurpemus, cũ uolumus innuere nos in exilio, in hostili solo, in seruitute, aut aliquo casu extra patriã agentes, ratione quadam non posse letari, ac per hoc, ne in diuino quidem cultu acquiescere.*

Qui regis Israël, *intende.* CXLVIII

Qui regis Israël, *intende.* Initium *est psalmi* Asaph *prophetæ deprecantis deum, narrantisq; eius mira opera.* Q*uam periphrasim nunc nullus nõ loco adagij in ore habet, cũ deum inuocat, uotisq; agit, ut aliquod insigne facinus mature uindicet.*

q 4

Induratum est cor Pharaonis. CXLIX

Induratum est cor Pharaonis, passim prouerbio dicitur, de homine duro, crudeli atque inexorabili, cuius non magis incœpto uultus sermone mouetur, Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Allusum est ad Pharaonē illum Aegyptiorū regem, qui renuens missum facere populum Israël, contrà, ac deus mandarat, hoc propositi tenaciorem se reddebat, quo plura uidebat per Mosen prodigia fieri. Historia haud ignota est, in libro Exod. qua monemur, perutile esse, aliquoties mutare consilium, & parêre instanti necessitati, atq; preces admittere rogantiū. Quod Aegyptij plus nimio obstinati, quia facere neglexerunt, ad unum omnes qui Hebræos insecuti fuerant, diuinitus periere. Vnde Solomon uere prædicat: Qui mentis est duræ, corruet in malum. Talis fuit Iudæorū cæcitas, testificante euangelio: Incrassatū est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando uiderent oculis, & auribus audirent, & corde intelligerent. Et Esaias: Auditu audite, & nolite intelligere. &c. Quod testimoniū Christus apud Matthæum ferè ad uerbum citat, cuius uelut in prouerbium iam recepti nos infrà meminerimus.

Illic trepidauerūt timore, ubi nō erat timor. CL

Diuersum à superiore illud est ex psal. xiij. Illic trepidauerūt timore, ubi non erat timor. Qui enim timet, facile credit, & obedit iubenti, & nolens offendere sæpe timet,

pe timet, ubi nihil est timendum. Quo fit, ut eiusmodi timor fidus sit religionis, concordiæ, beneuolentiæ, foederis atque pacis custos. Conueniet hoc propheticum uerbum iam longo usu in adagium adscitum in eos, qui plusquã par sit, scrupulosi & uerecunde superstitiosi, nihil non meticulose agunt, ueriti semper, ut peccent. Hærebit etiam non minus tempestiue in eos, qui ut uecordes ad omnem cuiuslibet rei occursum, aut uulgi rumorem pauent. Atqui propheta hoc loco de uano & pernicioso gentium & Iudæorum timore loquitur. Hi enim metu potentiũ affecti de Christo dicebant, Si dimittimus eum uiuere, uenient Romani, & tollent nostrum regnũ et gentem. Illi uero de eodem nihil audire uolebant, timentes ne suis ob id displicerent idolis, quæ etsi ut uana minime timenda erant.

Modicæ fidei quare dubitasti? CLI

Solet & hæc Christi benigna in Petrum castigatio prouerbio eiusdem propemodum sensus, apud uulgus celebrari. Diuus enim Petrus fide & mentis ardore fretus cum uidisset Iesum super mare ambulantem, petijt, ut sibi liceret ad eum ire. At ille dixit, Veni. & cũ descendisset è naui, iamq; super aquas ambularet, ut uidit uentum protinus inualescere, sui desperans implorauit ab eo auxilium. Cuius timiditatem ac diffidentiam præceptor arguens, inquit: Modicæ fidei quare dubitasti? Longe non ignotißima est historia, apud Matthæum. Atqui diuus Hieronymus inibi salubriter ad-

monet inquiens: Si apostolo Petro qui confidenter rogauerat seruatorem, dicens, Domine, si tu es, iube me uenire ad te, super aquas, quia paululum timuit, dicitur, Modicæ fidei quare dubitasti? quid nobis dicendum est, qui huius modicæ fidei ne minimam quidem habemus portiunculam?

Domine, probasti me, & cognouisti me. CLII

Periculũ fecit Christus de fiducia Petri, uti suprà patet, cui ille prophetæ uerbis utens rectè dicere potuisset, Domine, probasti me, & cognouisti me. Id quod in adagiũ apud uulgus abijt, cum quispiam aliquo tentamẽto petitur, quo eius fides probatior, testatiorq́; fiat. Cæterum Dauid per hoc carmen, testatur se à cunctis ope demũ diuina probari, atq; cum maxime cognosci.

Transiuimus per ignem, & aquam. CLIII

Non abhorret ab hoc illud psalmi lxv. Transiuimus per ignem & aquam, iam olim in prouerbium apud uulgus uersum, cum innuunt negocium aliquod non sine summa difficultate, esse confectum, uel seipsos per pericula, tandem uoti compotes factos, seu compertos esse bonos, ueluti iam expiatos, aut adiuisse discrimina uitæ, & euasisse. Et uidetur allusum ad naturam istorũ duorum elementorũ, quod ignis uoret, & aqua absorbeat, ut sine periculo per ea transiri nequeat. Vel ad modum excoquendi temperandiq́; per aquã metalla. Vnde in eodem psalmo: Quoniam probasti nos deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Et

Zacharias,

Zacharias: Et educam tertiam partem per ignem, & uram eos, sicut uritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum. Aut ad morem purgandi, in sacris priscorũ, qui in purgationibus teda, sulphure, & aqua utebantur, uti in nostro de rerum inuentoribus opere latius diximus. Vsurpat uel hanc loquendi figurã Esaias, apud quem dominus Israël dicit: Cum transieris per aquã, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non exuret te. Cæterum prouerbialis psalmi uersiculus designat martyres, qui per supplicia & mortes, palmam martyrij adepturi essent.

Alius est, qui seminat, & alius est, qui metit.

CLIIII

Vetus fuit apud Hebræos prouerbiũ, quod à Christo apud euangelistã Ioannem refertur, ita dicente: In hoc enim est uerbum uerum, quia alius est, qui seminat, & alius est, qui metit. Et de eo dicitur, qui alienis parta laboribus sibi uindicat, illisq; potitur, ut faciunt illi, qui agros ab alijs satos uel emunt, uel casu aliquo poßidendos accipiunt. Quod olim ab Augusti militibus factum legimus, quibus in distributione Cremonensis agri, Mantuanus quoq; acceßit. Vnde Maronianũ illud:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia ciues
Perduxit miseros? en quîs conseuimus agros?

Verum aliud significat euãgelicũ schema, quippe quo

notatur deum ethnicorũ quoq; bonam uitam recipere, & alio eos habere loco, qui iuste & qui iniuste agant, quiue scriptam negligant legem, quæ principio solis Hebræis data est, si modò illi deum ipsum nouerint, ut diuus Ioan. *Chrysostomus homilia xxxvij. in* Matth. *probat, teste etiam apostolo ad* Romanos *ita scribente:* Gloria, *& honor, & pax omni operanti bonum,* Iu*dæo primum, simul &* Græco. Quamobrem *Christus subiunxit, eisdem apostolis dicens,* Ego *misi uos metere, quod uos non laborastis. Siquidem apostoli erant Christum gentibus prædicaturi, de cuius aduentu prophetæ antea prædixerant.* Et *ita quod hi seuerant, illi postremo collegerunt.*

Semen in petras cecidit. CLV

Semen in petras cecidit. Huius euangelicæ allegoriæ usus erit, cum inaniter laboramus, aut beneficium conferimus in ingratos, quod perinde perire uideatur, ac si supra lapidem sementem faciamus. Quorsum *uero ea* Iesus *usurpauerit, ipsemet apud* Matthæũ, *cap. xiij. affatim exponit.*

Semen in terram bonam cecidit. CLVI

Eadem *prouerbiali figura dicitur, semen in terram bonã incidere, cum dociles docemus, gratos iuuamus, bonos fouemus, siquidem in illis instituendis beneficioq; afficiendis, perinde operam minus ludimus, atque sator, cum in terram fertilem semen iecerit, à quo haud dubie fructus proueniet ubertim.*

Aërem uerberare. CLVII

Aërem uerberare, Eandem uim habet, atque inanis opera, cum enim aër ictum non admittat, frustra proculdubio laborat, qui percutit. Refertur à Paulo apostolo ad Corinth. scribente: Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem uerberans, id est, operam perdens.

Super harenam domum ædificare. CLVIII

Non abhorret à superioribus illud à Christo celebratum simulq; declaratũ dicente: Simlis erit uiro stulto, qui ædificauit domum suam super harenam, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerũt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Atq; huiusmodi sensus complures adagiones in diuinis literis paßim reperiuntur, quibus monemur, stultum esse, negociũ aliquod aggredi, quod non iactis ante fundamentis, futurum sit inutile, ac cito casurum. At ille permansuram domum extruet, qui super fundamentum ædificauerit, quod apostolus uelut peritißimus architectus ponit, ad Corinthios scribens: Nam fundamentũ aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificauerit, super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscuiusq; opus manifestum erit. Hinc proinde æque edocemur, nullum nisi iustum inchoandum esse opus, ac ante inchoationem, diuinum semper implorandum

numen, si uelimus, quæ facimus, stabiliora fore.

Vouete, & reddite. CLIX

Vouete, & reddite, subaudiendum est, ea, quæ uouistis deo. Est hoc carmen apud Asaph prophetam, psal. lxxv. & prouerbij loco, in ore omnium, cum de fide seruanda agitur. Facimus enim uota deo, munera uero hominibus promittimus, ubi aliquid petimus, quæ utrisque sancte persoluenda, hic perspicue docet propheta. Dicente etiam Solomone: Multo melius est non uouere, quàm post uotum, promissa non reddere. At fortasse quidam dicet, Ecquid deum uouendo rogabimus, cum sæpe multa cõmodi causa postulemus, quæ mox perincõmode cadunt, & quæ bono nobis fore du cebamus, malo plurimũ sunt? Proinde cum nesciamus, quæ ex usu nostro futura sint, modice cum deo agendum est, ut ne temere orantes postquã uoti sumus compotes facti, uideamur uti leues ad contraria uota recurrere, & quodãmodo deum accusare. Propterea uidetur rogandum omnibus uotis, iuxta cuiusdam poëtæ precandi modum, quem Plato in suo secundo Alcibiade ponit, qui est talis: Deus opt. max. optima quidem nobis uouentibus, & non uouentibus tribue, mala autem poscentibus quoque abesse, iube.

Quod scripsi, scripsi. CLX

Huc fermè uel pertinet illud Pilati Iudææ præfecti uerbum diuinitus ex eius ore emissum, Quod scripsi, scripsi. Is enim scripserat titulum, Iesus Nazarenus

rex Iudæorũ, illumq́; super crucem posuerat. At pontifices eam uocem Rex abominantes, flagitabant à Pilato, ut è titulo tolleretur, quibus ille uelut uates protinus respondit, Quod scripsi, scripsi, Hoc est, uti diuus ait Heronymus, uelitis, nolitis Iudæi, omnis uobis gentium turba respondit, Iesus rex Iudæorum est, id est, imperator credentium, & confitentium. Hinc itaq; factum, ut cum quis uult significare nolle se mutare sententiam, nec uariare factum, concinne ac prouerbialiter dicat, Quod scripsi, scripsi. Vt ne uelut in psalmo legitur, faciat irrita, quæ de labijs ipsius egrediuntur.

Hic me labijs honorat. CLXI

Honorare labijs prouerbialiter dicitur, qui dissimulanter, ficte, ac blandicule quempiam commendat, utpote, aliud loquens, aliud sentiens, cum ea laus de corde non proficiscatur, ubi sedes est animi, sed in ore orta sit. Vsus est hac figura Esaias, quam & Christus in euangelio suo citat.

Quod intrat in os, non coinquinat hominem. CLXII

Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Hodie uulgò dictitatur in eos, qui in obseruatione sumendorum ciborũ, religionem esse arbitrantur, parum præterea pensi habentes, quid in animo uersent, quidúe loquantur. Quod Iudæi cum primis factitabant, quorum superstitionem Christus coarguens docuit ea duntaxat uæ ex corde egrederentur, impurare hominẽ, cuius-

modi ſunt malæ cogitationes, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, & conuicia. Et iccirco ne more iudaico, de cibarijs, uana religione teneremur, nullum uoluit cibi genus nobis interdici. Id quod in opere noſtro de inuentoribus rerum late explicuimus.

Hic carbones ignis coaceruat, in caput inimici. CLXIII

Apoſtolus Paulus auream mutuatus à Solomone ſententiam, prout liquido patet, in prouerbijs cap. xxv. in epiſtola ad Romanos inquit: Si eſurit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Secundum igitur apoſtoli conſilium, adiungit quis prunas, ad caput inimici, cum ei lædenti tantum abeſt, ut uicem reddat, ut etiam bona præſtet, ac per hoc, illum faciat grauiori pœnæ obnoxium, utpote qui beneficij gratia nihil motus ab odio non diſceſſerit. Porrò iuſta eſt damnatio, ſi arguatur quis, ante dominum, illi intuliſſe mala, à quo accepiſſet bona, uerum non iccirco debes illi benefacere, ut perditionis eius cauſam des. Et in hunc ſenſum, apoſtoli dictum eſt paßim uulgò prouerbij uice receptum, cum uolumus innuere, uelle nos benefaciendo inimicũ ulciſci. Sed feſtiuius ad aliam accõmodari poteſt ſententiam, ut per carbones ſuper caput eius, ardorem charitatis intelligas, fit enim nonnunquam, ut inimicus crebris uictus beneficijs, odiorũ rigore emollito, calorem in mentem charitatis excipiat, ac ſic de inimico, amicus

amicus fieri, & eum quem iniuste oderat, redamare, ut ita dicam, incipiat. Quod Origenes perspicue declarat, inquiens: Dicit enim Hieremias ad peccatricem filiam Babylonis, Habes carbones ignis, sede super eos, & hi erunt tibi in adiutoriũ. Fortaßis isti carbones sic congesti adiumento sunt inimico, potest enim fieri, ut amens, ferus & barbarus inimicus, si humanitatem, si affectũ, si pietatem uideat, cõpunctionẽ cordis capiat, cõmißi pœnitudinẽ gerat, & ex hoc, ignis in eo quidã succendatur, qui eum pro cõmisso consciẽtiæ torqueat, & adurat. Et isti erũt carbones ignis, qui super caput eius, ex nostro misericordiæ & pietatis opere congregantur. Caput uero principale cordis appellatur, & meritò caput dicitur, cuius intellectu & prudẽtia membra reguntur uniuersa. Hactenus ille. Proinde quoties uoluerimus significare quempiã optime mereri, de se peßime merito, nõ utiq; minus prouerbialiter dicemus Hic carbones ignis coaceruat, in caput illius, quod eiusmodi carbones faciant, ut eum pœniteat delictorũ.

Perfecto odio, oderam illam. CLXIIII

Non multum superiori absimile est illud propheticũ oraculum, utpote pietatis plenum, Perfecto odio, oderam illos. Vt enim nihil tam ab homine alienũ constat, quàm odisse hominem, quippe qui à consortio & concordia uitæ homo appellatus esse uidetur, quod græce ὁμόνοος concors, ὁμόνοια concordia & consensus dicitur, sic homini nihil magis consentaneũ, quàm diligere

hominem, cum eoq; amice agere. Qui igitur homini infensus est, secus mehercule facit, ac natura poscit, idq; turpius apparet, quod cæteræ animantes, sicut Plinius tradit, in suo genere probe degunt, & solum contra dißimilia stant. Cæterum quàm hominis hominem diligere, maxime proprium est, tam maxime alienũ esse debet, probare quod in homine est, nisi illud laudabile sit, ita mutua poscente charitate, ut quẽ plus amamus, eius uitia plus culpemus, magisq; emendata uelimus, utpote cupientes id contagij ab amico esse procul. Atq; hoc genus illius odij perfecti est, de quo ipse propheta psal. cxxxviij. agit aduersus inimicos dei, hoc est, hæreticos, concinens: Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Quod quidem carmen non abs re in adagium ceßit, quo uti licet, cum quis uult indicare se non aliquos homines, sed illorum malos mores odisse, ac ea quidem ratione, uti uitã corrigant. Quod scilicet parentes in filios, & fratres in fratres, iure optimo odium præ se ferre possunt, atq; debent.

Nolo mortem peccatoris. CLXV

Nolo mortem peccatoris uel impij, sed ut reuertatur à uia sua, & uiuat. Ezechielis prophetæ oraculũ iam olim apud uulgus, in adagium uersum, quod superiori est cognatum. Docet propheta apud deum, semper locum superesse pœnitentibus, tollitq; per hoc desperationem, qua nihil importunius in uita esse potest. Vide, summa rei christianæ in hoc continetur oraculo, Christus

ſtus enim illud egit, ut ſuis crederemus promiſsis, & ea ſpe ductos mox pœniteret delictorum, ac ita poſtremo uiueremus in perpetuũ. Vſus uero adagij tempeſtiue erit, cum quis eo conſilio punit peccantem, ut à maleficio deinceps manum abſtineat. Atq; ita conueniet eis, qui ſtudio corrigendi, nõ perdendi, ſeuere in delinquentes animaduertunt, quo illi tandem ad bonã frugem ſe reuocent. Et generatim congruet omnibus, qui iniuriarum obliti ſciunt dare ueniam roganti.

De bono opere non lapidamus te. CLXVI

Ob bonũ opus, non lapidamus te. Competit in eum, qui in malam partem accipit caſtigationem, & cum puniendus ſit, ob multa malefacta, conatur illa ipſa obtegere uno, quod forſitan feciſſet, operæprecio. Fuit illud impiorum Iudæorum aduerſus Chriſtum reſponſum, qui & inſulſe & mendaciter ei ſua miracula criminì dabant.

Grex ſaginatur ad uictimam. CLXVII

Hieremias propheta quærit à domino dicens: Quid eſt, quod uia impiorũ proſpera, bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt? & pergit, Plantaſti eos, & radicem miſerunt, et faciunt fructũ, propè es tu ori eorũ. &c. Itidem Aſaph ut homo infirmus miratus pſal. lxxij. fatetur ſe propè lapſum eſſe, ac cupiſſe felicitatẽ, quà uidebat peccatores florere, inquiens: Quàm bonus Iſraël deus ijs, qui recto ſunt corde. Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei.

Quia zelaui super iniquis, pacem peccatorũ uidens. Ferunt item philosophos quosdam ea quoq; de causa, existimasse non esse deos, perinde quicquid bonorũ uel malorum accideret, illud quasi fortuito, non iudicio dei fieret, atq; ita prouidentiã diuinam sustulisse. Cum ijs philosophis haud dubie illi ipsi qui ea hodie accipiunt bona, consentire uidentur, quãdo hoc peius agunt, quo plura eis ex sententia feliciter eueniunt. Verum ne quis propter hæc temere efferatur, oculosq́; ac manus insolenter tollat, pulcherrima prouerbiali figura idem propheta Hieremias docet eiusmodi homines tot bonis iccirco referciri, ut tanquam pingues uictimæ demum immolentur, pro peccatis aliorum, id est, ut alijs documento sint bene uiuendi, qui inquit domino: Congrega eos, quasi gregem ad uictimã, & sanctifica eos, in die occisionis. Speciatim ad hæreticos torquetur allegoria à ritu sacrificandi petita, quod eorum extinctio sit illis saluti, qui decepti fuissent. Proinde si quãdo uiderimus sceleratis cuncta sub manus succedere, & uoluerimus innuere illis exitij diem obrepere, scienter in eos dicemus, Grex saginatur ad uictimam. Facta translatione à pecoribus, quæ iccirco farciuntur, ut mactentur, atq; edantur. Refertur uice prouerbij, à Hieronymo, Pecora saginantur ad uictimã, hoc est, ut immolentur.

In longum differentur dies, & peribit omnis uisio. CLXVIII

Qui audit consilia, uti perhibet Solomon, sapiens est, & qui

& qui seruat mandatū, seruat animam suam. Contrà qui non audit, aliquando iacturam facit. Est omnino sapientis, non facile credere, non item tamen nihil credere, cum quippiā præsertim ex suo usu esse uiderit. Illud cū multis olim populis exitio fuit, ueluti Troianis quibus Cassandra uates frustra Græcorū patefecerat insidias, dicente Vergilio: Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris Ora deûm iussu, nō unquā credita Teucris. Item Romanis, quod non habuissent fidem oraculo, de Gallorū aduentu in Italiam, à quibus ipsa urbs capta est. tum Iudæis in primis malo fuit, non audiuisse prophetas, ijs enim deus per Hieremiam, & Ezechielem prædixerat fore, ut à Babylonijs in seruitutem assererentur, nisi errata sedulò corrigerent. Verum illi nihil fidei dictis habentes irridebant prophetas, atque cum nihil de proximo appareret periculi, in tritum prouerbium uaticinia uertentes dicebāt, In longū differentur dies, & peribit omnis uisio. Autor Ezechiel. Conueniet in sero credulos, ac cōminationum seu mandatorū dei & hominū negligentes iuxta ac sugillantes.

Non omnes capiunt uerbum istud. CLXIX

Cum aliquid uerbis innuetur, quod mysticum, id est, figuratū habeat sensum, cuius admodū aliquot, nō item omnes capaces sint, faciet illud euangelicū, Non omnes capiunt uerbū istud. Cæterū oraculū Christi ad donū uirginitatis refertur, quod illud duntaxat qui merētur, abstinendo, laborando, rogando consequantur.

Montes transferre. CLXX

Hyperbole prouerbialis, ad indicandam uim fidei. Verum Christus, teste Hieronymo, montem appellat dæmonem eiectu difficilem, ueluti opus non credentibus omnino desperandum. Igitur homo innocens qui deo recte fidit, item ualens & qui non exigua est potentia & autoritate, haud indecenter montes posse transferre dicetur.

Triturare montes. CLXXI

Alia prouerbialis hyperbole, ad significandum montes, id est, superbos, qui pectus habent instar montis tumidum, posse conteri, hoc est deprimi, qua Esaias scienter utitur dicens: Israël, triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones. Fit translatio à triturantibus frugum. Et illud totum ad euangelicam prædicationē est referendum, qua aduersæ potestates quæ per metaphoram, in sacris literis, montes dicuntur, prorsum sunt infractæ.

Portauimus pondus diei, & æstus. CLXXII

Vbi prouerbialiter significamus nos habita laboris ratione, plus alijs meruisse, tempestiue illud euangelicum subijcimus, Portauimus pondus diei, & æstus. Ab operarijs hominibus facta translatio, qui à mane ad uesperum, in aliquo opere hærent.

Dignus est operarius cibo suo. CLXXIII

Cum quis mereri dicetur præmiū, apte applicabitur illud Christi scitum, Dignus est operarius cibo suo.

Receperunt

Receperunt mercedem suam. CLXXIIII

In eos qui tandem cōmissorum pœnas luunt, non intempestiue competet illud euangelicum, si cum ironia efferatur, Amen dico uobis, receperūt mercedem suā. Ita de hypocritarum præmio decernitur, quibus omni uirtute exutis, ut hominibus probentur, id mercedis tantum debetur.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur. CLXXV

Omnis arbor quæ non facit fructum bonū, exciditur & in ignem mittitur. Conuenit hæc allegoria, in pestiferos homines, qui more syluestrium arborum, nihil in uita præstantes quamobrē prodesse poßint, ad ultimū male pereunt, uel nullo unquā habentur numero.

Sagena ex omni genere piscium congregat. CLXXVI

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quid sibi uelit allegoria hæc, præceptor ipse noster Christus apud Matthæū, perspicue docet. Verum apud uulgus, iam pridem in prouerbium abijt, haudquaquam inconcinnum, siquando enim libuerit significare quempiam ordinem affluere deformi ac incondita hominum turba, tum prouerbialiter dicemus, Sagena ex omni genere piscium congregat, Hoc est, indifferenter ex omni mortalium colluuione admittit. Id quod de nostro sacerdotio, nimis uere uulgò dicitur, porrò indignißimi quiq;

quos, ut in prouerbio est, non abs re, abortiuos uocāt, in singulos dies in eiusmodi sacrosanctum collegiū per episcopos nostros ueniunt. Vnde fit, ut hoc minus honoris accedat dignitati, quo plus sacerdotum augetur numerus, quod ne fiat, lex abunde excipit. Sed prò dolor, minime animaduertitur, sanè si hæc ianua idoneis tantum ad munia sacerdotalia obeunda, à nostris patefieret episcopis, præclarus honor non ita uilesceret. Verum qui ingrediuntur, si bene Christi parabolam attenderint, certo scient, se postremo missum iri, in caminum ignis. Quare ijs bono fuisset, si sacerdotiū non petissent, quo fungi minus sciunt, imò nequeunt, cum enim bona eorū pars literarū ferè expers sit, quî fieri poterit, ut officiū faciat, cuius caput est, docere euangelium? Refertur item adagiū ab Ezechiele, non uno in loco. Est deducta allegoria à piscatoribus, qui sagena utuntur, quæ est retis genus, quod teste Lauren. Valla, Latine uerriculū à uerrendo mari dicitur, quod ingens longißimis funibus circunducitur, & quicquid piscium obuium est, late contrahit.

Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. CLXXVII

Cohæret superiori illud Esaiæ uulgo iam celebre, Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Cui perappositus erit locus, cum significabitur familiam inutiliter crescere, utpote quæ nullius uoluptatis materia esse poßit, item ciuitatem uel ordinem quempiam ex

piam ex fece hominũ augeri, unde nihil splendoris aut nominis queat ciuibus uel eiusdem ordinis uiris accedere. Verum prophetæ oraculum de ijs fuit, qui post adauctum Christianorum numerum, non sine religionis incommodo, ab instituto desciuere, quippe qui multos secum in errorem traxerunt. Quod etiã hodie faciunt qui alicuius flagitij ædunt exempla.

Domus mea, domus orationis. CLXXVIII

Domus mea, domus orationis uocabitur, cunctis populis. Oraculum Esaiæ prophetæ, quo significatũ est, unam omniũ gentium futuram sectam. Christus tamen illud applicuit, ad hierosolymitanũ templum, quod sacerdotes quos tantum auaritiæ studium tenebat, turpiter polluebant, institorum cõmercio. Hi enim ne copia munerum quæ festis præsertim diebus offerebantur, cuiquã abesset, numularios qui mutuarent pecuniam, item & qui tragemata, id est, bellaria uenderent, in templum introducebant, quo sic à populo prædam facerent, nam quæ prius oblata accepissent, rursum uendebant, atque more latronum, homines spoliabant, in temploq; dei negociabantur. Christus igitur ad indignæ huiusce rei aspectum, spiritus ardore còncitatus, turbã illam de templo eiecit dicens sacerdotibus, Scriptum est, Domus mea, domus orationis uocabitur, uos autem fecistis illam speluncam latronũ. Hoc ultimũ à Hieremia desumptũ uidetur, apud quem dominus ait: Nunquid spelunca latronũ facta est domus ista, in qua

inuocatũ est nomen meum in oculis uestris? In eiusmodi item sacerdotes, uel in nostros potius, qui bene norunt imagunculas cereas cereosq́; oblatos in templo reuendi tare, audi dominũ dicentem apud Ezechielem: *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea.* Inter *sanctum & prophanũ, non habuerunt distantiã, & inter pollutum & mundum, non intellexerunt.* Hinc Esaiæ *uaticiniũ iam olim in prouerbium cessit in eos, qui sacras ædes uoluptatis uel lucri faciendi, contrahendiq́; seu procandi causa, non item orandi, perambulant, frequentantúe.* Rursum *et in eos præfectos, qui haud secum cogitantes magnos iccirco esse datos sacerdotio prouentus, ut uicissim cuncta gratuito darent, unà cum pharisæis auaritiæ studen, sic, ut illud* Malachiæ *iam usurpare liceat:* Quis *est in uobis, qui claudat ostia, & incendat altare meũ gratuito?* Quare Hieronymus *hunc differens locũ,* Domus *mea domus orationis, in cõmentario suo in* Matthæum, *nõ iniuria inquit:* Cæterũ *secundum mysticos intellectus, quotidie* Iesus *ingreditur templum patris, & eijcit omnes tam episcopos et presbyteros, & diaconos, quàm laicos, & uniuersam turbam, de ecclesia sua, & unius criminis habet uendentes & ementes. Scriptũ est enim,* Gratis *accepistis, gratis date.*

Templum domini, templum domini, templum domini est. CLXXIX

Iudæi *cum magnificum* Hierosolymæ *haberent templum,*

plum, & illud frequentarent, se ob id longe religiosissimos esse existimabant, gloriabanturq; dictitantes, Templum domini, templum domini, templum domini est. Perinde quasi illius ædificij magnificentiæ confidendum esset. At dominus per Hieremiam, docet illud suum esse templum, in quo uera colitur religio, dicens: Si direxeritis uias uestras, & feceritis iudiciũ, & post deos alienos non ambulaueritis, habitabo uobiscum in loco isto, à seculo usque in seculum. Vnde Iudæorum præconium iampridem in adagium uersum est, in eos, qui ex rapina sacras ædificant ædes, arbitrantes magnifico operis apparatu, satis se deo fecisse, qui omnino id non admittit muneris apud Esaiam, inquiens: Quia ego dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto. Item in eos aptabitur, qui ex suo quidem iusto lucro condunt, sed ad propagandam sui generis memoriam, uel ad ipsa templa adeunt, in aperto orant, parietes, uasa sacra, item indumenta, simulacrorum pedes pie exosculantur, ut religiosi habeantur, cæterum à uera omnino pietate uacui, quo sic incallidius crimina obtegant.

Illotis manibus capere cibum. CLXXX

Lex apud Iudæos excipiebat, ne quis illotis manibus cibum caperet. Cuius rei crimen scribæ & pharisæi discipulis Christi adscribebant. At ille demonstrans, oportere potius purgare animos, quàm manus abluere, omnia animi uitia simul retulit, uti in euãgelio est,

atq; Hæc sunt, inquit, quæ coinquinant hominem, non lotis autem manducare manibus, non coinquinat hominem. & reliqua. Atqui uetus est prouerbium à sacrorum puritate deductum, quo uetamur irreuerenter, indecenterq; ad sacra adire. Sed ante omnes, sacerdotes qui rem diuinam faciunt, caste, pie, sancte, lotisq; manibus, ambrosiam illam, id est, dominicum corpus attrectare, capere, & illud alijs dare iubētur. Id quod ethnici factitabāt, apud quos, ut in opere nostro de rerum inuentorib. docuimus, uetitū erat, ne quis manibus illotis, mane Ioui uinum libaret, ut nostros meritò pudere posit, si qui sint, qui secus faciāt, quibus & Esaias dicit, Lauamini, mundi estote.

Beati mundo corde. CLXXXI

Beati mundo corde, quoniā ipsi deum uidebunt. Ecce præmiū integritatis, qui enim sceleris omnis est purus, is deo propinquior, is sancta sanctorū ingredi potest, quæ pollui nequeūt. Competet ei, quē nullius facinoris conscientia mordet, qui meritò præ cunctis, secundum Christi uerbum, est ac dici debet beatus.

Beati pacifici. CLXXXII

Beati pacifici, quoniā filij dei uocabuntur. Nota hominis salutē in manu hominis esse, appellantur à Christo filij dei pacis amatores, ut qui iam futuri sint salui, cuiusmodi sunt, qui affectus animi ratione moderātur, qui nullam uitiorū luctam intus sentiunt, et foris studiū pacis colunt, ad quam ipse præceptor nos magnopere hortatur

hortatur dicens, Beati pacifici. Vnde hoc uerbũ prouerbij titulo paßim à cunctis citatur, cum uolunt ostendere ad humanã felicitatem in primis pacem facere.

Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.

CLXXXIII

Si quando ostenderimus quippiam remotis arbitris, hoc est, secretò agendum, conueniet illud ualde prouerbiale, quod in eroganda eleemosyna, Christus obseruandum mandat, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Hinc & illud ortum adagium,

Nescit quid sit inter dexteram & sinistram suam. CLXXXIIII

Quoties libuerit significare quempiã aut præ ætate, aut præ stultitia, nullius esse iudicij, rectè usurpabimus illud Ionæ prophetæ uerbũ iam uulgò celebre, Nescit quid sit inter dexteram & sinistram suam. Quando dextera manus plurimum ualentior est sinistra, quod qui ignorat, planè fatuus est. Consimile est illud Iuuenalis uulgò tritum: Quid enim Venus ebria curat? Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit. Verum quod manus dextera est ualentior, aptiorq́; , hoc, si Platoni credimus, usu fit, non item natura, quæ, ut ille in vij. de legibus docet, se ad utranque corporis partem, æquam præbet, id quod Scytharũ exemplo perspicue probatur, qui dextera pariter manu, ac sinistra utebantur arcu, propterea quod ita se à pueris exercuissent.

Non est potestas, nisi à deo. CLXXXVI

Non est potestas, nisi à deo. Apostoli Pauli sententia ualde prouerbialis nostris paßim usurpatur, quoties innuere uolunt, esse indifferenter omnibus parendum præsulibus, utpote quibus perinde sit data à deo potestas, ac cuncti ab eodem donamur sensibus, uisu, auditu, qui cum in nostra sint manu, possumus illis uel ad bona uel ad mala ministeria uti, quemadmodũ faciunt, qui potestate, imperio, autoritate abutuntur. Sed æqua ob id, pœna ita agentes haud dubitanter manet, Dicente Origene cum hunc epistolæ Pauli ad Romanos edisserit locum: Erit autem iustum iudiciũ dei aduersus eos, qui acceptã potestatem secundum suas impietates, non secundum diuinas temperant leges.

Non est, qui faciat bonum, usque ad unum.
CLXXXVII

Non est, qui faciat bonum; non est usque ad unum. Hæc propheta Dauid psal. xiij. de paßione Christi, prout Hieronymus sentit, refert, quod omnes discipuli illum relicturi essent. Nunc uero ista prophetica hyperbole ualde prouerbialis, tam uere quàm turpiter in nos Christianos paßim detorquetur, cum bona pars nostrûm male uiuendo, alios atque alios subinde contaminet.

Iam securis ad radicem arboris posita est.
CLXXXVII

Iam securis ad radicem arboris posita esse prouerbio

bio dicitur, cum significatur, periculum supra caput esse. Alluditur ad casum inutilium arborũ, quas agricolæ extirpare uolentes, solent circumfossa terra, earum radices amputare securi, quæ ubi admota est ipsis radicibus, iam iam futurum est, ut arbor funditus excidatur. Citauit Ioannes Baptista hoc adagium, quo demonstraret seueritatem diuinæ iustitiæ imminere, ad puniendos peccatores, nisi quamprimum pœniteret. Ab hoc & illud est,

Si in uiridi ligno, quid in arido?

CLXXXVIII

Argumentatio Christi est à maiore, ad minus, prædicentis mulieribus Hierosolymitanis, dolentibus quod ipse immerito suo morti dederetur, uenturum tempus, cum à Romanis Iudæorũ regnum deleretur, & tunc maioris causa luctus esset, quàm ob alterius interitum. Vulgatior est historia, quàm ut hoc loco sit referenda. Et ne illud difficile factu uideretur, exemplo sui docuit, siquidem se arbori fructiferæ, Iudæos uero inutili ac putridæ cõparauit, inquiens: Si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Hoc est, si Iudæi me qui instar uirentis arboris bonos fructus fero, supplicio afficiunt, quid fiet in arido, id est, quid illi uelut iam aridæ arbores incendij patientur? Hac prouerbiali allegoria uti solemus, quoties uolumus significare, ex euentu difficilioris rei, quippiam mox facilius esse futurum.

Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. CLXXXIX

Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. In *iugiter inuidos, in ſemper maleuolos hoc prophetæ Aſaph carmen ſcienter accõmodabitur.* Tracta *metaphora ab arboribus, quæ quandiu uiuunt, ſemper creſcunt.* Quapropter recte Solomon *admonet,* Non *credas inimico in æternum.* Et *ſic inimicum quamuis humilem docti eſt timere.*

Abyſſus abyſſum inuocat. CXC

Abyſſus græca uox, Latine *uoraginem ſignificat, et quia uorago immenſæ eſt altitudinis, hinc apparet in pſal. xli. utrunque inſtrumentum, interpretatore* Hieronymo, *non ineleganter propter profunditatem intelligentiæ, abyſſum appellari.* Verum *ſecus non nemo ſentiens de babylonica ſeruitute eo in loco agi mauult, ut enim barathrum continẽter uorando circum uicina loca pedetentim deſidente terra, admodum cauernoſa reddit, ſic* Iudæis *calamitas quæ ſubegit eos* Babylonem *in exilium demigrare, alteram mox in ſeruitutẽ afflictionem inuexit.* Vnde *uulgò receptum prouerbium,* Abyſſus *abyſſum inuocat,* Hoc *eſt, unum incommodum inuitat alterum, & calamitas calamitatem parit.* Et *illud etiam nunc tritiſsimũ,* Malum *nunquã incomitatum uenit, ſeu ingruit.* Eſt *& huius alius uſus, ubi aliquis ſceleratus ut uitiorum uorago alterius ſcelerati auxiliũ implorat.* Eſt *item alius, cum error errorem,*

& obſcuritas

& obscuritas obscuritatem sequitur. In hanc sententiã usurpatur ab eodem diuo Hieronymo in proœmio libri secundi cõmentariorum in Zachariam.

Ait latro, ad latronem. CXCI

Ait latro, ad latronem. Dici solitum est, ubi sermo rixosus incidit inter duos crimine pares, seu cum alter alterum paris delicti reprehẽdit. Facta allusio ad illos duos latrones, quos cum Iesu crucifixos fuisse Lucas testatur, isti enim ambo scelesti primo maledixerunt, sed postea signorum magnitudine alter exterritus se Iesu commendauit, & alterum adhuc maledicere non cessantem pie coarguit.

Facti sunt amici Herodes & Pilatus. CXCII

Pilatus Tiberio principe, Iudææ præfectus cum inimicitias gereret cum Herode magni Herodis filio Galilææ tetracha, nactus occasionem ineundi cum eo gratiam, per scelus, remisit Iesum captiuum ad illum, eo quod audiuisset percupidum esse sanctitatem tanti prophetæ experiendi. Ex qua re secuta est inter eos reconciliatio. autor Lucas. Hinc igitur uulgò factum prouerbium, ut quoties cuiuspiã flagitij causa, conciliatur inter aliquos amicitia, uel ex inimicis amici fiunt, perbelle de eis dicamus, Facti sunt amici Herodes & Pilatus. Sed illud planum faciam, Herodes ille magnus fuit, quo regnãte, Christus natus est. alter eius filius, de quo hic sermo est, qui Galilææ tetrarcha Ioannem Baptistam morte affecit. tertius filius Aristoboli magni Herodis

filij, quem Caius Cæsar Herode tetrarcha in exilium acto, regem Iudææ fecerat, etiam si Iosephus eum Agrippam semper appellat, quod illi forte non nomen sed cognomen Herodes fuerit.

Ille Vriæ literas defert. CXCIII

Literas Vriæ uulgato iam adagio ille deferre perhibetur, qui cōmendatitias esse credit, quæ contra ipsum scriptæ sint, sicut fecit Vrias Etthæus. Dauid enim rex captus amore Bethsabeæ uti in secundo regnorū libro legitur, remisit Vriam eius uirum ad exercitum, datis literis ad Ioab ducem, uelut illius cōmendandi causa, quibus mandabat, ut quoquo modo hominem è medio tolleret, ita ut fecit, nam cōgressus cū hostibus, Vriam in prima acie collocauit, ubi pugnando interijt. Qua re cognita, rex Bethsabeam in matrimonium duxit, ex qua mox Solomonem suscepit.

Amice, ad quid uenisti? CXCIIII

Amice, ad quid uenisti? Sic Iesus notauit Iudam proditione, per antiphrasim amicum appellans. Quadrabit in eum, qui minime amicus per speciem beneuolentiæ, insidias alicui facit.

Dominus dedit, dominus abstulit. CXCV

Cum Iob uiro iusto cuncta prospera essent, illa ipsa deo accepta referebat, dicēs, Dominus dedit. E diuerso cum peßime caderent, eidem perinde gratias agebat, inquiens, Dominus abstulit, ac si fateretur dominū gratuito contulisse beneficia, & eadem iuste reuocasse, ab

se,

ſe, quippe qui nihil meritus eſſet. Quo nempe exemplo iam uice prouerbij ab omnibus concelebrato monemur, ut ſi quid ſub manus ſucceſſerit, neutiquã illud ut arrogantes noſtræ induſtriæ, ſed diuinæ bonitati tribuamus, ſin uero caſu quopiam ea ſubito felicitate ceciderimus, putemus id eſſe factum ex diuina iuſtitia, ita noſtris poſcentibus cõmißis. Atq; ſic conuenit & præſtat, dicente eodem Iob: Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala quare non ſuſtineamus? Et alibi: Beatus homo, qui corripitur à domino.

Facite uobis amicos, de mammona iniquitatis. CXCVI

Malus œconomus cum diſpenſationis rationem reddere cogeretur, uti eſt apud Lucam, & uictũ manibus quærere nollet, ac erubeſceret emendicare, conciliauit ſibi amicos ex mammona iniquitatis, quo ab illis deinceps mutuo iuuaretur, ubi eo miniſterio priuatus eſſet. Eſt autem mammona uox ſyriaca ſingularis numeri, & maſculini generis, ſignificatq; diuitias malo modo partas. Hinc itaque in prouerbium abijt, Facite uobis amicos, de mammona iniquitatis, Cum præcipitur, ut ex male acquiſitis, fiat largitio, utpote quæ peccatum leuat. Aut in eos apte accõmodabitur, qui de alieno ſibi parant amicos. Vnde uel illud eſt,

Fodere non ualeo, mendicare erubeſco, CXCVII

De ualde anxijs de uictu, paßim in ore uulgi eſt, Fo-

dere non ualeo, mendicare erubesco. Etenim perdiffi-cile admodum est capere consilium, quomodo uiuas, si laborare nequeas, & mendicabulo circumforaneo cibum quærere pudeat.

Nouißimus error peior priore. CXCVIII

Nouißimus error peior priore. Prouerbialiter dicitur, cum malefactum nouo maleficio, & scelus scelere cumulatur, uelut factitatū est à Iudæis, qui non contenti dedisse Christum morti, etiam conabantur eius corpus occultare, arbitrantes futurum errorem peiorem priore, si discipuli essent illud suffurati, ac postea nunciassent plebi, eum resurrexisse à mortuis, quod illis tamen inuitis, diuinitus est factum.

Vox populi, uox dei. CXCIX

Vox populi, uox dei, in uulgarem ob id iactatū est sermonem, quod populus interdum aliquid temere ac intempestiue fundere soleat, quod perinde quasi diuinasset, euenit. Cuiusmodi uaticiniū fuit illud populi Iudaici supplicium Christi affectantis, cum repente exclamarit, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Id quod imprecationis planè contigit, & usque nunc durat, nam haud ita multo post insigni affecti calamitate à Vespasiano & Tito, tanti sceleris pœnas digno impietatis precio, ut Egesippus ait, persoluentes ferè omnes cum patria perire. Vnde est cunctis seculis obseruatum, non usquequaq; uanum euadere, quicquid si erit uulgi rumore iactatum, perinde deus in mortaliū ora

quasi

quasi antè immittat, quod breui tempore sit futurum.

Homo ad laborem nascitur. CC

Homo ad laborem nascitur, & auis ad uolatum. Sententia est Iob prouerbialis, ac humanæ seruitutis certum signum, siquidem hinc apparet, perinde hominis proprium esse laborare, ac auis uolitare, quod qui facere recusarit, dubio procul quod hominis est, non præstabit, ac per hoc, temere contra dei præscriptum nitetur dictis homini primo parenti, In sudore uultus tui, uesceris pane tuo. Conueniet autem in desides & socordes, qui quodlibet mallent pati, quàm aliqua uti industria, aut manibus uictum quærere.

Bonum est uiro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. CCI

Bonum est uiro, cum portauerit iugũ ab adolescentia sua. Oraculum Hieremiæ prophetæ iam olim adscitũ in prouerbiũ, quo liquet plurimũ salutare esse, si quis à puero sese assuefecerit perferendis laboribus. Nimirum ea ætas suapte natura admodum lasciua ac in uoluptates prona, nisi bonis quamprimũ artibus exerceatur, haud dubie reliquã ætatem deteriorem faciet.

Iugum meum suaue est, & onus meum leue. CCII

Hoc christianæ legis elogium paßim instar adagij usurpatur, cum institutum aliquod & salutare ac non difficile seruatu significatur. Sanè christiana lex mosaicam alioqui intolerabilem corrigens, animorum in

primis affectus coërcet, quod facere principio est oneri, postea uero suauitatem, id est, commodum adfert. Vel leue iugum, quia uti Theophylacto placet, quicquid lex Christiana iubet, præ magnitudine præmiorum, facile factu esse debet. Deducta metaphora à iuuencis, qui iugo domantur.

Bonum est, nos hic esse. CCIII

Bonū est, nos hic esse, si uis, faciamus hic tria tabernacula. Petri apostoli uerba sunt imprudenter credentis iam ad locum peruenisse se beatitudinis, quod Christum transformatū uidisset, quæ adagij uice uulgus in ore habet, ubi uult significare uoluptuarium locum, ac ibi quasi partam esse quietem, uitæq; felicitatem.

Animæ esurienti etiam amara dulcia uidentur. CCIIII

Animæ esurienti etiam amara dulcia uidentur, Est à Iob prouerbialiter dictitatū, de bonæ frugi ac sobrijs hominibus, quibus quatinus nunquam sine fame edant, nec sine site bibant, etiam uiliora cibaria sapiunt, gratioraq; fiunt. Rursus ediuerso bifariam referri potest, aut in luxuriosos uoracesq;, qui quoniam famem semper ac sitim anteueniunt, omnia fastidiunt, præter delicatiora, utputa ganeata edulia. Aut in assuetos malis, quippe qui minora incommoda pro cōmodis ferunt. Adstipulatur huic sententiæ Solomon dicens: Anima saturata calcat fauum, anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

Requiesce,

Requiesce, comede, bibe, epulare. CCV

Christus apud Lucam, parabolam ponit de eo, qui sibi soli tantum se natum arbitrans, nihil alicui impertiebatur, & quia bonis abundabat, statuit indulgendum per omnia Genio, *cum ecce, subito è medio tollitur, atque sic spe frustratus inani alijs fruendas reliquit opes. Quo quidem documento simul uetamur rebus partis abuti, simul nobis uitæ spacium longius polliceri. Cæterũ titulus iste egregius,* Requiesce, comede, *bibe, epulare, iam paßim uulgi sermone prouerbialis effectus recte quadrabit in quosdam, quos modis omnibus adeo delectat, et capit, ut inter eos & belluas, uiuendo parum omnino intersit, cum secundum deum, in primis* Sardanapalum *colant.*

De ore tuo, te iudico serue nequam. CCVI

Refertur à Luca euangelista parabola de decem minis datis à quodam nobili uiro seruis, qui cum illis mercaturæ operam darent, quorũ unus ut ignauior ac rei familiaris negligentior minime est negociatus, satis lucri se fecisse ratus, si minam acceptam reddere domino posset, ut qui ueritus esset eius seueritatẽ, si eam, uti negociando fit, perdidisset. Quamobrẽ immemor officij dum huiusmodi timorẽ imprudens excusat, se peccasse fatetur, inquiens, Domine, *ecce, mina tua, quã habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es, & dominus ei dicit,* De ore tuo, *te iudico serue nequam. &c.* Hinc *in prouerbium fluxit in illum, qui*

temere loquendo, aliquid nolens fundit, quod ipsi postea uitio ac noxæ meritò uertatur. Potest nihilo inuenustius et in eum quadrare, qui alicuius criminis reus alterum eiusdem damnat, pœnamq; illi irrogandam pronunciat, quā ipse cum primis meruisset, cui recte à iudice dicetur, De ore tuo te iudico. Tale iudicium fecit Dauid interrogatus à Nathan, qua pœna afficiēdus foret diues ouium, qui unicā ouem à paupere abstulisset, nihil attendens, quod æque semetipsum condemnaret, quia Bethsabeā rapuisset. Nota est historia in secundo regnorū. Illud insuper monebo, mna in literis euangelicis legi, quā nos minam interposita i litera uocamus, & numum esse libralem, habereq; drachmas lxxv. At seruus ille inutilis qui negociari noluit, eos refert Christianos, & præsertim sacerdotes, quorū partes nimiū desiderantur, in quos illud uulgatum est,

Canes muti. CCVII

Canes muti. Columella trifariam canum genera diuidit, unum uillaticū, quod uillam & quæ iuncta sunt uillæ, custodit, & debet conspectu terrere, ac uasti esse latratus, atque sonori. Alterum pastorale, quod domi stabulū obseruat, foris pecora pascentia. Tertium uenaticū. Probantur canes, qui in exteros excandescunt. Si bene tecum cogites, non aliud officij onus sacerdotibus incumbit, debēt enim custodire templum dei, quod sumus nos, item præ se ferre grauitatem, atq; seueritatem, qua à maleficiendo cunctos deterreant, & libera

uoce

uoce uitia reprehēdere, ac ita inuigilare, ut nulla labes per ciuitatem dei poßit peruadere. At si qui ut ignaui ijs rebus indormierint, aut aliquo laborarint morbo, hoc est, crimine, ita ut in delinquentes non ausi fuerint hiare, neq; exteros, id est, inimicos religionis ritu canū impugnare, in eos hoc Esaiæ prophetæ recte aptabitur, Canes muti non ualentes latrare. Atqui generatim in omnes accōmodari potest, qui cum pro re, pro tempore loqui debeant, metu aut gratia uicti tacent.

Filius abortiuus. CCVIII

Abortiuus sacerdotij filius iam prouerbialiter is dicitur, qui non rite ad id ordinis peruenit, ut est partus, qui intempestiue æditur. Respexit ad illud apostolus Paulus, cum ad Corinth. scripsit. Postremo autem omnium tanquam abortiuo Christus uisus est & mihi. Vide, apostoli summißionē, appellat se abortiuū, quod ad cognitionē ueræ religionis nullō suo merito, nec sua sponte uenisset, ac extra ordinem in apostolorū collegium adscitus fuisset. Bone deus, quot hodie abortiuos filios nutrit christiana religio nulla ex parte Paulum referentes, utpote qui ad eiusmodi decora occupanda malo modo sibi ianuam patefecere? Sed dij meliora.

Canis reuertitur ad uomitum. CCIX

Canis animal uoracißimū cum cibi onere premitur, solet illum eijcere per uomitum, quo etiam medicamento sui purgandi causa utitur, iuuante ad id herba quadam, quam cum grauedine tentatur, edit, sed uelut in-

ſatiabilis cum uorando ad uomitum ſæpe reuertat, quo leuatus fuerat, rurſus oneratur. Hinc natum prouerbium in eos, qui noxiam iterant. Meminerunt huius Solomon, & diuus Petrus in epiſt. ij.

Sus lota, in uolutabro cœni. CCX

Eiuſdem propè ſenſus eſt, de eo, qui haud uitiorum inſolens ad flagitia ab ſe antea expiata redit, & dum rurſus oblectatur illis, perinde turpior fit, ac ſus cum in luto lauatur, multo redditur ſordidior. Refertur & hoc à diuo Petro in epiſtolis ſuis.

Hic perierat, & inuentus eſt. CCXI

Hic mortuus erat, et reuixit, perierat et inuentus eſt. Ex parabola euãgelica, dicitur de eo, qui repente comparet iam antè pro perdito habitus. Facta alluſione ad illum filiũ decoctorẽ, qui inopia adactus ex inſperato domũ reuertiſſet, ſeq; patri nihil tale ſuſpicãti ſtitiſſet.

Amice, aſcende ſuperius. CCXII

Documentũ modeſtiæ ex præcepto Chriſti, in adagium iam olim ſcienter uerſum dicẽtis, Cum inuitatus fueris ad nuptias, nõ diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus ab illo, & ueniens is, qui te & illum uocauit, dicat tibi, Da huic locum, et tunc incipias cum rubore, nouiſſimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe, in nouiſſimo loco, ut cum uenerit, qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria corã ſimul diſcumbentibus. Sic conſtat uſu uenire, ut quo quiſque eſt minus

ambitioſus,

ambitiosus, hoc plus consequatur honoris.

A Nazareth, potest aliquid boni esse? CCXIII

Philippus apostolus cognita Christi diuinitate, Nathanaëli fratri retulit, uti est apud Ioannem, se demum inuenisse, quem prophetæ futurũ prædixissent ex Nazareth oppido Galilææ. At ille ut diuinæ scripturæ peritior ironice respondit, A Nazareth, potest aliquid boni esse? Quod perinde est, ac si dixisset, nihil magni fore, quod à Nazareth ortũ haberet, utpote non ignarus oraculi, quo liquidò liquebat futurum, ut Christus Bethleem nasceretur, atq; dein Nazareth nutriretur. Vnde factũ, ut quoties uolumus significare nihil modis omnibus laudabile aut admiratione dignum ab aliquo loco proficisci posse, per ironiam, uice prouerbij concinne dicamus, A Nazareth potest aliquid boni eße?

Cecinimus uobis, & non saltastis. CCXIIII

Cecinimus uobis, & non saltastis, Lamentati sumus uobis, & non planxistis. Videtur fuisse hæc cantilena, quam pueri in foro cum æqualibus canere inter ludendum solerent. Vsus est hac allegoria Christus ad ostendendum, quantũ Iudaicus populus mali propositi esset pertinax, quippe qui neque eo hortante ad lætitiam, hoc est, ad bene agendũ, ea enim sola res est, quæ mox plurimum uoluptatis afferat, neque inuitante Ioanne Baptista ad luctum, id est, ad pœnitendum, excitari potuerit, Etiam si isti duo affectus partim harmonijs, partim miseratione mutua, solent plurimũ cõmoueri.

Hinc igitur cantio in prouerbium iam olim uersa est, quo in homines omnino inhumanißimos uti apte possumus, quando nolünt neque gaudere, uti apostolus ait, cum gaudentibus, neq; flere, cum flentibus.

Qui habet aures ad audiendum, audiat.

CCXV

Qui habet aures ad audiendum, audiat. Color est *Christi concionantis rhetoricus uulgò iam paßim in adagionē uersus.* Et perinde est, ac si dicatur, *Audiat, qui ad audiendum habet aures, id est, attendat, sileat, animaduertat, ille cuius interest, quia concio ut silentium, ita aures attentas postulat.*

Finxit se longius ire. CCXVI

Finxit se longius ire. Hoc euangelicum uerbum in *prouerbij consuetudinem iam uenit, in eum, qui de industria conniuet ad aliquid, ualdeq; dißimulat, quod minime eo clàm est.*

Precium sanguinis. CCXVII

Precium sanguinis iam paßim prouerbialiter uulgus appellat, quod pro quopiam insigni facinore perpetrato, datur, uelut paulò post recipienti perniciem allaturum, id quod Iudæ proditori contigit, unde hæc allusio petita est. Historia apud Matthæum, cap. xxvij. est longe notißima, quæ prouerbij occasionem dedit, ita ut superuacaneum sit, eam hoc loco referre.

Lucerna corporis est oculus. CCXVIII

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Oculus pars corporis

poris precioſißima, qui lucis uſu, ut ait Plinius, uitam diſtinguit à morte, reliqua membra ita dirigit, ut pro ſe quodq; ſuum multo melius officiũ faciat, item animi indicia præfert, dicente Cicer. de Oratore: *Oculi ſunt, quorum intentione, tum remißione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorũ ſignificamus. Sed hic totum illud ad mentem transfertur, quæ inſtar lucernæ ardentis omnes illuſtrat ſenſus, qui ſine ea, perinde obſcurantur, atq; corpus ſine oculi lumine, totũ uerſatur in tenebris, inutileq́; manet.* Hac *proinde prouerbiali metaphora monemur debere nos habere mentem purã, & bene uti corporis ſenſibus, ac corpus ipſum ita exercere, ut ne uideamur illud more cæcorũ, per deuia, hoc eſt, per uitia ad turpitudinem aliquam ducere.*

N*ouum uinum non eſt mittendum, in utres ueteres.* CCXIX

Q*uàm diſpar ſit euangelicum dogma cõmiſceri iudaico, quamúe neceſſe ſit, ut quis prius per fidem renaſcatur, quàm nouæ doctrinæ præcepta queat imbibere, Chriſtus duplici rerum exemplo docet, inquiens,* N*emo autem immittit cõmiſſuram panni rudis, in ueſtimento ueteri, tollit enim plenitudinẽ eius à ueſtimento, & peior ſciſſura ſit.* N*eq; mittunt uinum nouum, in utres ueteres,* Alioqui *rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereũt.* Erit *igitur locus huic prouerbiali figuræ perappoſitus, cum uoluerimus ſignificaré alijs alias res, aliudúe ſtudium pro ætate, uel di-*

gnitate, minime conuenire.

Lux in tenebris lucet. CCXX

Lux olim uera Christus fuit, qui tenebricoso orbi tempestiue illuxit. Hinc factum, ut quispiam prouerbialiter dici posit, lucere in tenebris, cum locum obscurum, patriam non celebrem colit, ubi sua uirtute uelut inter rudiores, imperitioresq; nihil splendoris referat. Vel contrà eo plus niteat, quod solus inter idiotas sit doctus, quemadmodum lux in tenebris longe magis fulget. Eiusdem quoq; sensus uulgò circunfertur, Inter Pygmæos, regnat nanus, Quod illi populi sint statura admodum breui.

Qualis pater, talis filius. CCXXI

Qualis pater, talis filius. Ex Athanasij symbolo desumptum, & hodie paßim uulgò accommodatur, ubi quorundam similitudo morum notatur, atque id plurimum in malam partem capitur, Etiam si poßit bonæ frugi hominibus apte competere, cum uita unius bona cum alterius uita consentit.

Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? CCXXII

Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Cum quis ea quæ in primis profitetur, minime tenet. Istiusmodi imperitiæ Nicodemus à Christo est reprehensus, quod præceptor esset apud Iudæos, et nesciret quid mysterij inesset in lege, quippe quæ aliud nihil erat, quàm christiani dogmatis futuri exemplar.

Tu solus

Tu solus peregrinus es, in Hierusalem?
CCXXIII

Tu solus peregrinus es, in Hierusalem? De eo prouerbialiter dictũ, qui ita stultus est, ut etiam manifesta & publica ignoret, quando illum qui alienã peragrat patriã, facile fugere potest, si quid in ea uel publicitus actum fuerit. Euangelica historia apud Lucam longe notißima est.

Propheta es tu? CCXXIIII

Propheta es tu? In eum usurpare solemus, qui nobis facta nostra occultiora, ac si prius nouisset, extemplo refert. Vel qui aliquid futurum uaticinatur, quod mox euenit, ut planè diuinare uideatur. Sumptũ ex eo, quod mulier Samaritana apud Ioannem, Christo diuinanti dixit, Domine uideo, quia propheta es tu.

Spiritus ubi uult, spirat. CCXXV

Spiritus ubi uult, spirat. Iam hoc euangelicum uerbum loco adagij paßim iactatur, cum notatur, eò suo rem hominis efficacius se inclinare, quò uoluntas ducit. Exempli gratia, Si quis negaret amico aliquid rogãti posse se præstare, & is uellet innuere illũ posse, si uellet, rectè diceret, Spiritus ubi uult, spirat. Hoc est, si adesset uoluntas, faueres. Sed usus frequentior est, cum innuimus boni aliquid cuipiam subitò et præter omniũ opinionem accidere, perinde illud quasi diuina afflarit aura. Facta translatio à uento, qui est inuisibilis, cæterum efficax, et spirat, ubi uult, id est, naturæ impulsu.

huc uel illuc fertur. Ita Christus rei inuisibilis similitudine, uim docet spiritus sancti.

Quod natum est ex carne, caro est.

CCXXVI

Quod natum est ex carne, caro est. Quadrabit, cum uolumus innuere perdifficile esse, carnem non obedire uentri, ac cæteris corporis uoluptatibus seruire, quando ita titillat.

Quod natum est ex spiritu, spiritus est.

CCXXVII

Contra illud est, Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Et eius usus peropportunus erit, quoties significare uoluerimus debere nos ipsos animi uirtutibus duntaxat exercere.

Mulier cum parit, tristitiam habet.

CCXXVIII

Mulier cum parit, tristitiam habet. Erit locus huic euangelicæ sententiæ perappositus, cum innuerimus aliquod opus esse laboriosum, sed mox perfectum, iucundum atque utile futurum. Sic mulier nato iam puero, omnis immemor doloris gaudet, & delectatur fructu uentris sui.

Labores manuum tuarum manducabis.

CCXXIX

Labores fructuum tuorũ manducabis. Hoc scienter usurpamus, quoties uolumus edocere quempiam nequaquam frustra in re aliqua laboraturũ, nec item sine labore,

labore uicturum. Desumptum est ex psal. cxxvij.

Arcta est uia, quæ ducit ad uitam. CCXXX

Consentit cum superiore illud euangelicũ, Arcta est uia, quæ ducit ad uitam. Vt enim ad uitam agendam, exercendum est corpus, ita ad beatitudinem consequendam, modis omnibus animus à uoluptatibus abducendus est, quod haud dubie factu difficile uidetur. Vnde carmen illud de litera Pythagoræ, quo per formã Y, utraque uia bona & mala ostenditur.

Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in uertice summo.

Id quod Christus pollicetur hanc uiam aggrediẽtibus dicẽs, Intrate per angustã portam, quoniã angusta est porta, et arcta uia, quæ ducit ad uitã, subaudias æternã. Sic laboriose per has dei uias inceditur. Hac autẽ prouerbiali metaphora salubriter uetamur, uoluptates sequi, atq; duros uitæ subterfugere labores, cum dubium nõ sit, quin illorũ postremo magnos capiamus fructus.

Spatiosa est uia, quæ ducit ad perditionem.

CCXXXI

Spatiosa est uia, quæ ducit ad perditionẽ. Via errantiũ hæc est, & gradientem præcipitans, dicente carmine:

Molle ostentat iter uia lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitq; per ardua saxa.

Hinc igitur discimus, quàm facile sit à uitijs pessundari. Vnde aliud carmen utiliter admonet,

Quisquis enim duros casus uirtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit,
At qui desidiam luxumq; sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inops simul & miserabile transigit æuum.

Iter impiorum peribit. CCXXXII

Iter impiorũ peribit. Hoc propheticũ dictum instar prouerbij passim in ore uulgi est, cum uult significare quempiam sceleſtum hominem esse male periturũ, aut eius res male omnino casuras.

In cathedra pestilentiæ sedere. CCXXXIII

Ille doctor in cathedra pestilentiæ, hoc est, ipse pestilens homo, ut sit continens pro contento, sedere prouerbio dicebatur, qui malam docebat doctrinã, quæ uelut morbus quidam per hominũ pectora peruadebat. Sed prouerbialius in eos accommodari potest, qui cum ex officio, alijs bono debeãt esse exemplo, male uiuendo, sunt impedimento, cur minus bene agant.

Ecclesia malignantium. CCXXXIIII

Ecclesia malignorũ dicitur cœtus eiusmodi pestilentis doctrinæ hominũ, qui sine modo, dirum uirus effundentes, mortalium animos maxime corrumpunt. Congruet in sectam aliquam pseudoprophetarũ hæresim disseminantium. Tractum ex oraculo Dauid dicentis: Non sedi cum consilio uanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Oderam ecclesiam malignantium, subaudias, Iudæorum.

Opprobrium

Opprobrium hominum. CCXXXV

Opprobrium hominum. Et hoc adagij formam habet, & in eum hærebit, qui nihili est, nihilq; habet in se, quod hominem redolcat, ita ut deniq; cunctis sit dedecori, quod homo appelletur, ut infamiæ nõ insolens, atq; in nulla laude uersatus. In eũ item apte conueniet, qui ob aliquod æditum scelus, suæ genti, suæ patriæ est in perpetuũ probro. Cæterum propheta Dauid Christum uocat opprobrium hominũ, & abiectionem plebis, quod afficiendus eßet supplicio crucis, quo tunc nihil erat aspernabilius, & à Iudæis publice habendus contemptui.

Fex, uel amurca hominũ. CCXXXVI

Eadem figura prouerbiali quis fex, aut amurca, uel, absit reuerentia uerbo, merda hominum uocitari potest, quod nullo perinde inter homines habeatur numero, nihilq; illo neglectius sit, ac fex, quæ cuiuscunq; rei est excrementum, & amurca olei sordes floccifiant, utpote quæ nulli rei nisi spurcæ usui esse queant. Ad id allusit Paulus ad Corinth. de se ac alijs apostolis scribens: Vsque ad hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, male audientes benedicimus, persecutionẽ patimur & sustinemus, uituperamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omniũ peripsema &c. περίψημα est reiectamentum quoddam, uelut apud

nos puluis pedum, & quisquiliæ & amurca atque fex. Non nemo hoc loquendi schemate hodie etiam urbaniter paßim utitur.

Ad quid perditio hæc? CCXXXVII

Ad quid perditio hæc? Iam in adagionis consuetudinem uenit, cum significatur sumptus fieri magnos, cæterum minime necessarios. Allusum est ad Iudæ proditoris facinus, qui ita iudicarat unguentũ perditum esse, quod bona mulier in caput Christi effudisset.

Capillus de capite uestro, non peribit.
CCXXXVIII

Solet illud euangelicum uerbum, Capillus de capite uestro nõ peribit, recte usurpari, quoties quis uult innuere aliquos bene agentes nihil inde damni esse facturos, nam si ne pilus quidem qui deciduus ac uilißima hominis pars est, perire potest illis, qui deo seruiunt, eo minus corporis uel animæ detrimentum accipient. Sic præceptor hortatur suos discipulos, ad perferendas afflictiones, eos consolans spe præmiorum.

Vnus passer non cadet super terram,
sine patre uestro. CCXXXIX

Vnus passer non cadet super terram, sine patre uestro. Prouerbialis figura prouidentiam dei arguit, si etiam tam pusilla auis absque eius nutu, non poßit perire. Rem hanc inculcauit Christus discipulorũ auribus, quo probe scirent soli deo cuncta esse curæ, cui omnia sua illi demandare deberent.

Prædicare

Prædicare in tectis. CCXL

Prædicare super tecta, ille prouerbialiter dicetur, qui in apertũ profert, quod secretius erat. Tractum à concionatoribus, qui in pulpitis palàm loquũtur, uel à præconibus, qui magistratuũ mandata uel aliquid simile apud populũ, in aliquo loco eminenti uoce promulgare solent. Respexit ad illud Christus discipulis suis dicens, Quod in aurem auditis, prædicate super tecta, id est, mysterium nouæ religionis publice declarate.

Excutere puluerem pedum. CCXLI

Excutite puluerem de pedibus uestris. Hoc euangelicum ænigma bifariam capi solet, est enim indiciũ confecti itineris, quod proprium est gradientiũ, qui si multus fuerit in calceis puluis ex itinere, ante urbis ingressum excutiunt. In hanc sententiam igitur uidetur Christus apostolos admonuisse, inquiens, Et quicunque non receperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes foras de domo, uel ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris. Hæc præceptor. Illud itaq; uoluit testimonium laboris esse, quo constaret prædicationẽ euangelicam ad eos usq; populos peruenisse. Item & exprobratio impietatis esse potest, ut discipuli ne pulueris quidem aliquid ex ea terra secum uelle ferre testificarentur, quæ euangelium spreuisset. Proinde quoties uolumus prouerbiali figura innuere quempiam perficere incœptum iter, uel ne tantillum quidem mercedis ob susceptum laborem accipere, cõmodum dicimus illum

excutere puluerem pedum.

Socij paßionũ, socij & consolationis. CCXLII

Sicut socij paßionũ, sic & consolationis. Hanc Pauli *sententiam ex iustitiæ penetralibus depromptam, uul gus hodie in ore paßim habet, cum designat aliquos esse debere participes præmij, in quo acquirendo, unà cum alijs laborarint.*

Non inueni tantam fidem, in Israël.

CCXLIII

Dici solitũ est de eo, qui præter spem, à quopiam re- peritur fidelis. Alluditur ad illum centurionẽ alienige nam, qui Christi diuinitatẽ ita probe intellexit, ut solo illius nutu, filiũ suum paralyticũ sanari posse credide- rit. Quamobrẽ Iesus testatus est, ne in Iudæa quidem, id est, in aliquo Iudæorũ inuenisse se tantum fidei.

Ipse dixit, & facta sunt. CCXLIIII

Cum liberam cuiuspiã potestatem significare uolueri mus, illud psalmi cxlviij. usurpare licebit, Ipse dixit, & facta sunt. Item uel Esaiæ oraculũ faciet ad rem, Et dabo clauem domus Dauid, & aperiet, & nõ erit, qui claudat, et claudet, et nõ erit qui aperiat. Verũ utrun- que ad uim potestatis solius dei refertur à prophetis.

Ventilabrum, in manu illius. CCXLV

Ventilabrum, in manu illius. Prouerbialis metapho ra à uentilatoribus frugum sumpta, nihil à sensu supe rioris dissonat, & illi competit, in cuius manu est pur gare prouinciã, purgare ciuitates maleficijs. Est enim

uentilabrum,

uentilabrum, teste Columella, instrumentum, quo aliquid uentilatur, hoc est, in uentum iacitur, ueluti fruges, cum in area purgantur.

Sagittæ, in manu potentis. CCXLVI

Sagittæ, in manu potentis. In eum, qui quando uult, lædere potest. Sumptum è psalmo cxxvi. & à sagittarijs facta translatio, qui cum tetenderint arcum, iam iam percussuri sunt.

Sagittæ potentis acutæ. CCXLVII

Sagittæ potentis acutæ. De eo, qui funditus perdere hominem potest, utpote qui si feriat, letale inferat uulnus, cum acutas habeat sagittas. Peculiariter de regibus dictitatur, quibus ad nocendum, bene longæ sunt manus, testificante uersiculo, An nescis longas regibus esse manus?

Inimici hominis, domestici eius. CCXLVIII

Inimici hominis domestici eius. Congruet in familiares inimicos, quibus nihil nobis perniciosius esse potest, quando illi ut clancularij hostes nō facile cauentur. Simile huius est illud, quod suprà posuimus, Totidem nobis hostes esse, quot seruos.

Iudas non dormit. CCXLIX

Iudas non dormit. Vulgò passim iactatur in eum, qui alicui mortem uel fraudem machinatur. Et ad id alluditur, quod Iudas Iscariotes dum alij discipuli præ tristitia dormiebant, cum Iudæis agebat, quomodo latenter præceptori Iesu manus intentarentur.

Reddere pro bono, malum. CCL

Reddere pro bono, malum, uel pro malo, bonum. Primum quod inhumanißimũ est, ex Genesis historia desumptũ, ubi cap. xliiij. minister Ioseph fratribus eius inquit: Quare reddidistis malum pro bono? & à Hieremia usurpatur cap. xviij. Alterũ ex præcepto Christi est, dicentis: Benefacite ijs, qui oderũt uos. Nec item malum pro malo reddendum, neq; unquam scelus scelere uindicandum est. Eiusmodi modi loquendi paßim prouerbiales apud autores reperiuntur.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es, in iniquitate? CCLI

Quid gloriaris in malitia, qui potens es, in iniquitate? Initium est psal. li. uulgi sermone in prouerbium iam olim uersum, in eum, qui abutens potestate, sua iactat malefacta, atque illis delectatur. Quod impudentißimorum hominum proprium est.

Reges eos uirga ferrea. CCLII

Reges eos uirga ferrea: uel, Visitabo uirga ferrea iniquitates eorum. Iam penè in adagij consuetudinem ista carmina ex psal. ij. & lxxxviij. sic uenerunt, ut quoties quis uelit innuere se acriter uindicaturum commissa quorundam, dicat, Visitabo uirga ferrea peccata eorũ, uel regam illos uirga ferrea, Hoc est, dure dominabor. A domitore iumentorum facta translatio, qui solet ferociora animalia ferrato uerbere coërcere, uel tardiora urgere.

Inebriabo sagittas meas sanguine. CCLIII

Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. Ex cantico Mosis hyperbole prouerbialis, ad ostendendam magnam uim uindictæ, & cædis sæuitudinem, sed prouerbialior fit, si cum ironia misceatur. Verbi gratia, Si aliquis nebulo minetur cuipiam crucem, uel necem, tum apte in eum dicere possumus, Hic inebriabit sagittas suas sanguine, et gladius eius deuorabit carnes.

Crucifige, crucifige. CCLIIII

Crucifige, crucifige. Hæc funesta populi Iudaici conclamatio & in prouerbium uenit, cum quis publicitus ad mortem petitur, uel cum à quopiam iudicium præcipitanter fieri innuitur, quod priùs condemnet, quàm causam rei cognoscat. Id quod ipsi Iudæi petentes Christum ad supplicium, fieri rogitabant, ita ut ab impio iudice et impetrarunt. Hieronymus in procœmio xvij. libri cōmentariorum in Esaiam, consimiliter uice prouerbij usurpat.

Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. CCLV

Quæ procedunt de labijs meis, nō faciam irrita. De eo, qui uerax est, & modis omnibus quæ promittit, seruat. Desumptum est è psal. lxxxviij.

Os habent, & non loquentur. CCLVI

Os habent, & non loquentur, oculos habent & non uidebunt, ex psal. cxiij. De magnopere silentiosis &

ſtupidis, qui ut imagines nihil mouentur. Vel in eos quadrabit, qui conſulto, pro tempore, & loco, tacent, conniuentúe.

Paſtor bonus animam ſuam dat, pro ouibus.
CCLVII

Paſtor bonus animam ſuam dat, pro ouibus. Hinc *princeps, hinc pontifex, officij memor reddi poteſt, cũ pro tutela populi, pro tutanda religione, nõ modò res ſed uitã exponere debeat.* Cuius *rei primus documentũ dedit ipſe* Ieſus, *qui pro ſalute omnium, mortem obijt.* Poteſt *generatim ad omnes referri, qui alicuius rei curam habent, non iccirco tamen ut uitam poſthabeant, ſed ut modis omnibus ſuum officium faciant.*

Anima pro anima, oculus pro oculo. CCLVIII

Anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, ex Exod. *ca.* xxi. De *pœna talionis à* Moſe *introducta eſt dictum, quã* Chriſtus *ſuſtulit, & nunc in prouerbij conſuetudinẽ uenit, cum quis uult innuere ſe uicem redditurũ offendenti ſe.* Aliter Par *pari referre, dicitur.*

Hic *dæmonium habet, ille uorax homo eſt.*
CCLIX

Hic *dæmonium habet, ille uorax homo eſt.* In *eum apte dicetur, cui ſatisfacere perdifficile eſt, utpote qui nihil ſatis probat, nihil æqui boniq; facit, hoc eſt, rem hanc ſtomachatur, illam neutiquã laudat.* Hoc *genere morbi laborabãt cum primis* Iud*æi, quos* Chriſt*us coarguit, inquiens:* Venit *enim* Ioannes *neq; manducans,*

neq;

neq; bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis, de se loquitur, manducãs & bibens, & dicũt, Ecce homo uorax, & potator uini.

Dum tempus habemus, operemur bonum.

CCLX

Dum tempus habemus, operemur bonum, erga omnes, maxime uero erga domesticos fidei. Istud apostoli uerbum ueluti prouerbiale uulgus paßim in ore habet, quo præcipitur, nobis continenter esse bene agendum, atque de omnibus præsertim religiosis uiris bene merendum, dum tempus habemus, hoc est, dum per tempus licet.

Nisi dominus custodierit ciuitatẽ, frustra uigilat, qui custodit eam. CCLXI

Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam. Iam uulgò inualuit cõsuetudo, ut hoc Solomonis canticum loco prouerbij usurpemus, cum uolumus innuere, opem humanam sine diuina, non posse se sustentare.

Laui manus. CCLXII

Laui manus, ille prouerbialiter dicit, qui uult significare, non immiscere se cuipiam negocio gerendo, ac per hoc diluere, hoc est, cauere omnem culpam, quam incurrere posset. Tractum est à more purgandi, apud ueteres, qui per aquam quoque purgabantur, prout in nostra de rerum inuentoribus opere docuimus. Ad illud respexit Pilatus, cum accepta aqua, lauit manus,

coram populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine huius iusti. Vnde propheta: Lauabo inter innocentes, manus meas.

Ab Herode, ad Pilatum. CCLXIII

Ab Herode, ad Pilatũ. Scomma est ualde prouerbiale in corruptos magistratus, si quis enim suæ rei procurans à iudice iniquo ad iniquiorem remittatur, uel ab uno auxilium petens ad alterum ire iubeatur, quo sic ludificetur, recte dicet, ab Herode ad Pilatum, subaudias, remittor. Et ad id respicitur, quod ad eum modũ, Herodes & Pilatus Christum collusissent.

In generatione una, deleatur nomen eius.
CCLXIIII

In generatione una, deleatur nomen eius. Prouerbialis modus imprecandi infortuniũ alicui homini malo, & è psal. cviij. desumptus est, ubi propheta prædixit fore, ut post unam ætatem, hoc est, quadragesimũ annum, eo enim fermè tẽporis spacio, ut ait Hieronymus, uenit perfecta ætas, quàm Christus esse cruci affixus, Hierosolyma à Romanis deletur, nam anno xlij. post, id excidiũ accidit. Vere ita usu quotidie uenit, ut praui patris filij perraro boni euadant, uel diu felices sint.

Coruus nuncius. CCLXV

Coruus nuncius. De eo, qui aliquò terrarũ missus nõ reuertitur. Allusum est ad coruũ illum, quem legimus Noë misisse uisum, an uspiam terra appareret, quæ diluuio obruebatur, qui minime redijt.

Columba

Columba nuncia. CCLXVI

Columba nuncia. Non minus prouerbialiter dici potest, Columba nuncia, qui ad eum celeriter reuertit, à quo missus ad aliquem locum fuerat, prout fecerat columba, quæ post coruum, arca exierat. Vulgatissima est historia in Geneseos libro. Potest item ille dici columba nuncia, qui felicem affert nuncium, facta allusione ad id, quod soleat hoc innoxiũ animal spiritus sancti speciem repræsentare.

Ecce agnus dei. CCLXVII

Ecce agnus dei. Metaphora prouerbialis de longe innocentissimo homine, qui sua animi simplicitate non absimilis sit agno animali pro natura & ætate, minime astuto. Ea quoque ratione in sacris literis quis leo appellatur, quod fortis & asper sit, item serpens, draco, aquila, tutur, passer, quia eiusmodi animalium mores uel naturam parte ex aliqua oleat. Atqui idem prouerbiale schema & ad inanimata transfertur, & quis dicitur oliua, lilium, rosa, uitis, flos, arbor, fons, flumen, mare, lapis, & generatim homo cuilibet rei cuius ipse uim sapiat, comparari prouerbialiter potest. Id quod passim faciunt prophetæ. Ita Christus à Ioanne Baptista uocitatur agnus dei, quod homo sine peccato, pro peccatis nostris immolandus esset, uelut ille paschalis agnus, quem Iudæi quotannis in memoriam adeptæ olim libertatis, mactabant. Non latet historia in libro Exodi cap. xij.

Ab aquilone, pandetur omne malum.

CCLXVIII

Ab aquilone, pandetur omne malum. Oraculum *est* Hieremi*æ prophetæ, quo futurum edocuit, ut duæ reliquæ tribus* Iuda *&* Beniamin*, hæc* Hierosolymam *habebat, à* Babylonijs *caperentur, quia decem aliæ iam in seruitutem asſertæ erant.* Quod *uerum esse testatur diuus* Hieronymus*, de* Hieremia *ita scribẽs:* Hic *uaticinari exorsus est puer, & captiuitatem urbis atq; Iudæ nõ solum spiritu, sed & oculis carnis intuitus est.* Iam *decẽ tribus* Israël Assyrij *in* Medos *transtulerãt, iam terras earũ coloni gentium poßidebant. Vnde in* Iuda *tantum &* Beniamin *prophetauit. Et quia* Hierosolyma Babylonios *ab æstiua & solstitiali* Orientis *plaga habet, unde uentus aquilo, quem* Græci *boream uocãt, uenit, ideo Ab aquilone, ait, pandetur omne malum, siue, uti* Hieron. *legit, aperientur seu exardescent mala, super omnes habitatores terræ.* Est *&* Esaias *huiusmodi loquendi schemate usus: Ab aquilone enim fumus uenit, & nõ est qui effugiat agmen eius.* Hoc *scriptũ leges in calce capitis xiiij. Atqui propterea quod populi aquilonares, uti sunt* Hyperborei*,* Sarmatæ*,* Scythæ*, ac pleriq; alij ad boream uergentes, feris moribus præditi, habentur cum primis facinorosi, quia, ut idem* Hieronymus *ait, aquilo uentus durißimus, durißima habitatorũ suorum corda facit, hinc factum, ut boreales omnes minus boni minusq; iusti wulgò censeantur,*

antur, & dictum prophetæ iam olim in malā partem uersum in prouerbium cesserit, quo paßim utuntur, cum uolunt eiusmodi populorum mores notare, atque per iocum, carpere.

Vltra octoginta annos, labor & dolor.

CCLXIX

Psalmo lxxxix. tristis humanæ uitæ exitus pulcherrime describitur, ubi legimus: Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum, labor & dolor. Quæ sententia ut uerißima ac ualde salutaris non utique intempestiue locum fecit prouerbio in eos, qui diutius uiuere cupiunt. Porrò si illis qui robusto sunt corpore, qui hic potentatus uocantur, ultra eam ætatem uiuere, pro supplicio est, quando tunc facto agmine, subeunt morbi, quid apparebit in debilioribus? quamuis raro inueneris septuagenarium, uel octogenarium & sanum. Id quod Syra anus id ætatis apud Plautum, onus uocitat, inquiens: Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero, annos octoginta & quatuor. Quapropter eiusmodi sententia iam quondam in adagium uulgò recepta est, quo monemur, non appetere ad illam aspirare infirmam atq; effœtam ætatem, quæ uitio non temere uacat. Vnde poëta:

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi tristisq; senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Refert tamen Plinius complures centum ac ducentos

& amplius annos corpore & integris uiribus uixisse. Sed quotus nunc quisq; est, qui tam longã uiuat ætatẽ?

Audiens sapiens, sapientior erit. CCLXX.

Sunt apud Hebræos adagia innumerabilia, sparsim sacris literis inserta, sed in primis Solomonis scita instar oraculorũ celebrata, ita ut nullum propè illorum sit, quin paulatim in communem sermonem deductum cesserit in prouerbium. Quapropter non grauabimur quæpiam superioribus adiungere, ac allegorias eruendo docere, in quot usus concinne queant accommodari. Atqui illud iure optimo primũ tenebit locum. Audiens sapiens, sapientior erit. Sapientia enim cunctis philosophis diffinitoribus, diuinarum pariter est atque humanarũ rerum scientia, quam nemo unquam assecutus est, nisi multis operam dederit præceptoribus, quandoquidem omnes sciunt omnia, at non singuli omnia. Ita igitur fit, ut oporteat plures audire, si uelimus plura discere, & id citra cuiuscunque personæ discrimen, nobis faciendum est, sic, ut dominus utile consilium serui, omnino nõ debeat despicere. Atq; ita quis suopte ingenio non insipiens per hæc, fieri in dies singulos sapientior potest. Vnde monemur, ne efferamur animo, propter scientiam aliquam, neque arbitremur, sat unquam scire, dicente eodem Solomone: Ne innitaris prudentiæ tuæ, néue sis sapiens apud temetipsum. Expedit igitur semper usque ad extremum uitæ diem, etiam à quouis addiscere.

Plus

Plus ualet bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.

CCLXXI

Plus ualet bonũ nomen, quàm diuitiæ multæ. Benefactorum præmium uberrimũ est nominis existimatio, quod tanti æstimatur, ut qui illud amiserit, nihil inde uideatur habere, quod perdere queat, utpote sine quo, nec imperator recte imperare, nec senator consulere, nec miles militare, nec mercator negociari, nec deniq; quisquam honeste uiuere potest. Vide igitur quàm sit unicuiq; insudandum, quo sibi bonam colligat famam, quæ homini tutior est pecunia. Ceterũ nos hac prouerbiali sententia, tam ad bene agendum maxime incitamur, quàm à male agendo plurimũ deterremur.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.

CCLXXII

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Recti iustiq; titulus est, in regiæ aulæ, in cubiculi parietibus, in sella, in solio, in foro, in tribunali circunscribendus, ut quocunque princeps, prætor, ac quisquis est iudex, se uerterit, illũ ob oculos habeat, periturus haud dubie, si mandatum uiolarit.

Potentes potenter tormenta patientur.

CCLXXIII

Potentes potenter tormenta patientur. De iniquis orbis rectoribus dicitur, quorum ruina ingentem mortalium numerum ad tartara ducit. Heu quàm multi decipientur, qui hodie gratiæ ineundæ causa, à poten-

tibus, fas omne abrumpunt, quasi arbitrantes, etiam apud iustum iudicem, magnæ olim hominũ potestatis rationem omnino esse habendam.

Septies in die cadit iustus. CCLXXIIII

Septies in die cadit iustus. Dices, Quomodo erit iustus, si ceciderit? Erit, inquam, iustus, qui per fragilitatem naturæ lapsus fuerit, & resurget, statim pœnitendo. *Sunt enim leuiora quædam peccata, sine quibus, nec iustorũ quisquam esse potest, quippe quæ per obliuionem, per ignorantiam, per sermonem, per cogitantiam, per imbecillitatem carnis, uel inuiti uel uolentes, quotidie incurrimus, dicente diuo Ioan. Si dixerimus, Peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et tamen *iustus resurgit, quia iustus est, nec iustitiæ eius officit casus humanæ fragilitatis.* At *impius si ceciderit, quia inhæret malo, quod facit, non datur, ut resurgat.* Notatur *autem per hoc, humanũ esse peccare, & locum ueniæ pœnitenti apud deum non deesse.*

Mors *& uita in manibus linguæ.* CCLXXV

Mors & uita in manibus linguæ. Magna uis linguæ, ut secum uitã & bella manu letumq; ferat, porrò nihil in homine melius lingua, nihilq; lingua peius, si enim bene loquatur, plurimũ semper affert utilitatis, sin maledicat, plurimũ inuehit damni. Quamobrem *beatus Iacobus nõ incongrue illam gubernaculo nauis comparat, quod cum pars sit minima, totam tamen nauem uel seruat, uel perdit. Vnde propheta nõ iniuria à deo postulat.*

stulat, Pone custodiã ori meo. Et Seneca: Tene semper uocis ac silentij temperamentũ. Hinc docemur debere nos linguam ut frugiferũ membrũ bene exercere, ac è diuerso uelut pestiferũ in primis cõpescere, cum præsertim simus sicut monet Iesus, de omni ocioso uerbo quod locuti fuerimus, reddituri rationem, in die iudicij.

Frustra iacitur rete, ante oculos pennatorum.
CCLXXVI

Frustra iacitur rete, ante oculos pennatorũ. Adagiũ ex eo natũ uidetur, quod qui aucupantur, aut retia tendunt, aut iaciunt. Hoc autem in terrestribus, illud uero in sublimibus capiendis auibus, & præcipue coturnicibus fit, solet enim canis ad id optime doctus, cum coturnicem errando uiderit, in uestigio consistere, soloq; intuitu auem pauefactam remorari, interim aßiduo caudæ motu significãs prædam adesse. Quo conspecto, auceps pedetentim accedens rete superiacit, atq; sic præda potitur. Verum si auis retiam semel uiderit, nequicq̃ expectet, ut eam tegat, uel sua sponte in illam incidat. Quæ res dubio procul locũ prouerbio fecit perappositum, quo uti licet, ubi quis aggreditur rem factu difficilem, aut bene oculatos & prudẽtes uiros conatur aucupantium more, fallere, decipere, circumuenire.

Væ soli. CCLXXVII

Væ soli. Est nempe uita iucundior, si nõ solus agas, sed cum amicis consuetudinẽ habeas. At contrà ille uitam uiuit tristẽ, cui propinquorũ amicorumq; est paucitas,

qui aut peregrinus aut hospes in aliena ciuitate agit, & neminē habet, à quo iuuetur. In hunc igitur adagiū quadrabit, quo perdiscere licet, quantum habeat boni amicorū contubernium, & cōmune solatium, quando alterius calamitas alterius auxilio leuatur, & ut curæ domesticæ diminuuntur, sic gaudium semper augetur.

Funiculus triplex non facile rumpitur.

CCLXXVIII

Eiusdem generis est illud, Funiculus triplex nō facile rumpitur. Sensum huius prouerbij perbelle declarat, memorabile cōmentum Canguistæ Tartarorū regis, quod eiusmodi est: Is enim moriens duodecim filijs regnum reliquit, quos cum prius ad concordiam hortaretur, iußit, ut duodecim sagittas quisq; suam in unum conferrent, fascemq; ex ijs facerent, inde singuli in orbem experiri iußi sunt, possent'ne fascem frangere. Verum cum res ab omnibus frustra tentata esset, Tam firmum, inquit, erit uestrū imperium filij, si in eo tuendo concordes eritis, contrà fragile, & hostium iniuriæ obnoxium, soluto animorum consensu, ut si fasciculus iste aut casu, aut consilio soluatur, infirma erit sagittarum quælibet, ac cuiq; uestrum facile friabilis. Ad hunc modum funiculus triplici filo confectus non potest rumpi, at si resoluatur, quodlibet filum frangere nequaquam difficile est. Hac autē prouerbiali allegoria haud quidem inepta, perspicue patet, res hominum concordia augeri, auctas discordia labefactari.

Væ terræ, cuius rex puer est. CCLXXIX

Væ tibi terra, cuius rex puer est, & principes tui mane comedunt. Hic reprobatur iuuenis principatus, & luxuriosi iudices damnantur, quod in altero per ætatem, sit infirma sapientia, in alijs matura ætas delicijs eneruetur, E contrario iudices illi probantur, qui suis cõmoditatibus etiam necessarijs publica negocia anteponunt, & ille cõmendatur princeps, qui ita uitam suã instituit, ut alijs poßit documento esse, & ob id, de populi tantum commodo cogitans, ne digitum quidem à legibus discedat. Ista à puero per ætatem præstari minime possunt, unde necesse est, ut ei sint uicarij, & hij cum priuatum quoq; negocium suum plurimũ gerant, plus calamitatis quàm salutis sæpenumero solent populo afferre. Hinc igitur prouerbium fluxit de ea regione, quæ ob imprudentiam principis, male se habet, uel in ipsos principes, qui diu pueri sunt, quos Seneca perquàm eleganter pupillos trigenarios, aut quadragenarios uocat, utpote qui consiliarijs uti tutoribus confidentes nullas officij partes agant, unde sexcenta regno oboriantur incommoda. Quod omnino non fieret, si rex ipse respiceret, quippe qui solo intuitu, ut idem Solomon perhibet, dißipat omne malum. Atq; sic sapientißimus princeps unicum est populi stabilimentũ. Cæterum prouerbium ad cunctos præpositos accõmodari recte potest, quorum officium desideretur, non absque populi ac reipub. iactura.

Facies hominis, facies leonis. CCLXXX

Cōmiſcebimus cum ſuperiore tempeſtiue hoc Ezechielis uerbū, Facies hominis, facies leonis. Cum enim princeps ſolo aſpectu ſicut proxime eſt demonſtratū, mala expellat, inde ſanè apparet, quanta uis inſit in hominis facie, quæ perinde cunctis animantibus formidabilis eſt, ac reliquæ animantes ad leonis occurſum, maxime pauent. Ex quo prophetæ uerbum in adagiū exijt, quo ſignificatur, multū ualere, ac urgere apud quemlibet, hominis præſentiam. Vnde illud dauidicū: Vultus autem domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

Sapientia hominis lucet, in uultu. CCLXXXI

Facies homini tantum, uelut alibi diximus, data omnem in ſe formæ dignitatem continet, eſtq; plurimū ſapientiæ aut ſtultitiæ certiſsima index. Vnde adagiū ortum, Sapientia hominis lucet, in uultu, Hoc eſt, in facie, nam uultus pro uoluntate in facie uariatur. Conueniet in eos, qui ſui ſenſus grauitatem uel leuitatem ipſa fronte, præ ſe ferunt.

Doctrina ſua noſcitur uir. CCLXXXII

Doctrina ſua noſcitur uir. Quia nimirum cum recta docet, & illa ipſe cum primis ſeruat, non dubium eſt, quin doctrinæ ſuæ rite reſpondeat, ac pro iuſto cenſeatur. Contrà ſi praua ſuggerat, prauus meritò malusq; habetur, quando à cœnoſo fonte nunquam pura manat aqua.

Fugit

Fugit impius, nemine persequente.

CCLXXXIII

Fugit impius, nemine persequente. Suetum est de eo dici, quem scelerum conscientia mordet, facitq; , ut censuræ metuens in publico non audeat uersari, uel mutet patriam. Verum hoc oraculum est de minime in religione constante, qui etiam si nullus persecutor insistat, eam sua sponte deserit, utpote qui multijugibus addictus uitijs, se impij similem reddit.

Ceruus ad sagittam properat.

CCLXXXIIII

Ceruus ad sagittam properat. Recte competet impio fugienti, qui dum fuga salutem quærit, urgente fato, in supplicium aliquãdo incidit, sed & unicuiq; congruet, qui imprudens it se perditum, aut dolo ducitur in interitum. Tractũ à more uenandi, solent enim uenatores abdere sagittarios in ferarum saltus, atq; mox ceruos in primis ac damas canibus & clamore agitare, qui in diuersum fugientes & plerunque in ipsos sagittarios recta properantes, ab eis configuntur. In hanc quoque sententiã Solomon alibi ait: Auis festinat ad laqueum, & nescit, de periculo animæ suæ agi.

Melior est mors, quàm uita amara.

CCLXXXV

Melior est mors, quàm uita amara. Est melior mors, utpote quam natura loco remedij unici omnium humanarum calamitatũ, adinuenit, & illud tamen non tam

mori, quàm finire mori est, quoniam toties morimur, quoties angimur, uexamur, disrumpimur, nam dum ita afficimur, omnis decor formæ deflorescit, uires languescunt, sensus item hebescunt. E diuerso iucunditas cordis uita censetur, quod ea sola mentem securam corpusq; uitalius reddat. Vtrunq; alibi idem Solomon testatur inquiens: Animus gaudens ætatẽ floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa. Vnde discere licet, quantũ conducat uitam degere lætam.

Qui altam facit domum, quærit suam ruinam.

CCLXXXVI

Vt ædificia altiora magis fulminibus, imbribus, ac uentis exposita sunt, quæ de cœlo aut tacta, aut corrosa uel continenter quassata citius corruunt, sic summa potestas grauißimis casibus impendiò est obnoxia. Vnde natum prouerbiũ, Qui altam facit domum, suam quærit ruinam. In ualde ambitiosos, superbos ac cupidos, quibus nihil sat est, nisi quod sit immodicum, qui supra uires, alta petentes, dum sine modo, ad honorum aut opum fastigia contendunt, multo magis alterius sortis ictibus hominumq; odijs patent, quo fit, ut sæpe uel medio cursu procumbant, uel è summo repente decidant, de quorum casu si bene multi cogitationem aliquando susciperent, qui in altum quotidie extolluntur, sua fortasse uela uento, ut Horatius ait, nimium secundo turgida mature contraherent, atq; sic sapienter se extra sortis aleam, in tutum reciperent.

Seruantem mandata seruant. CCLXXXVII

Seruantem mandata seruant. Competet ijs, quibus Christus dicit, *Qui ergo soluerit unum de mandatis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum.* Et denique omnibus congruit, qui fideliter mandata digerunt, curant, conficiunt.

Melior est uicinus iuxtà, quàm frater procul. CCLXXXVIII

Melior est uicinus iuxtà, quàm frater procul. Dicitur de eo, qui nõ uerbo, sed re censetur amicus, ille enim uere frater & propinquus est, qui iuuat. Vnde præsens propitius dicitur. Vergilius: *Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos.* Quid enim propinquitas prodest, si nihil opituletur? quam propterea cuiusuis liberalitas etiam exigua merito exuperat, si præsto sit. Id quod Christus in parabola uulnerati à latronibus significantius edocuit, quod solus quidam Samaritanus illius curam habuerit, homo quamuis alienigena.

Argento obediunt omnia. CCLXXXIX

Argento obediunt omnia. Hunc titulum non parum multi scriptum gerunt in corde, quibus nihil pecunia charius honestiusúe est. O quot memoria nostra mortales ea bellua etsi inanimata, subegit falsos fieri? Conueniet in eos, qui uenales habent animas, & nihil pulchrius ducunt, quàm uocari utcunq; diuites.

Ne declines, neque ad sinistram, neque ad dextram. CCXC

Ne declines, neq; ad sinistram, neq; ad dextrã. Vide quàm recte sit incedendum, si cupias aspirare ad summum bonũ, quando si de recta uia paululum declinaueris, non interest utrum ad dexteram uadas, an ad sinistram, cum iter iam amiseris, nam qui ad sinistrã flectit iter, quæ ad malũ ducit, stultitiæ famulatur. Qui uero ad dextram se uertit, quæ licet bene bona sit, is est, qui nimium sibi placet, et assumit. Congruet prouerbiũ in nostros potissimũ monachos, quorũ alij remissioris uitæ; alij multo arctioris sunt, ita ut inter eos nusquã medium sit. Atq; sic docet in medio consistere uirtutem.

Qui nimium emungit, elicit sanguinẽ. CCXCI

Qui nimium emungit, elicit sanguinem. De hoc prouerbio alibi meminimus, sed quia nõ planum fecimus, quid significaret, hic proinde ponere libuit. In eos dici solitum est, qui omnia sine modo agunt, ueluti facit pastor ille, qui nõ contentus lacte, ubera nimiũ premendo lædit. Sic accidit, de rebus diuinis, qui enim plus quàm debeant, in sacris literis, ingeniosi sunt, sæpe in humanum sensum cadũt, hoc est, in hæresim trahuntur. Sed speciatim in tyrannos quadrabit, qui nouas quotidie exigendæ pecuniæ rationes ineundo, populũ miserabiliter opprimunt, coguntq; aliquando ad defectionem.

Qui parcit uirgæ, odit filium. CCXCII

Qui parcit uirgæ, odit filiũ. Congruit cum illo, quod est apud

est apud comicū poëtam, Deteriores omnes sumus licentia. Ille enim pater perdit filium, qui quantū astringit mater, tantum relaxat, ille præceptor discipulum, ille dominus seruū, qui ei nimium indulget. Secundum hanc sententiā & illud est, Qui delicate nutrit seruum, postea sentiet eum contumacem. Sunt igitur castigandi filij, discipuli, ac serui, & delinquentes puniendi, dum præsertim docilis est ætas.

Fouea profunda meretrix. CCXCIII

Fouea profunda meretrix. Ex hac prouerbiali metaphora, liquidò liquet, in hanc foueam cadentibus nullam superesse spem emergendi, cum tam sit alta uorago. Quo certe nihil uerius dici potuerat, mille enim habet artes meretrix, quibus fallat amantem, ac usque eò detineat, dum eum bonis omnibus spoliet, adeò scit dulci inficere ueneno. Proinde hæc fouea cauenda est, in quam qui inciderint, audias, quàm suauiter torqueantur, dicente, qui olim in ea forsitan perijt,

Nil amor est aliud, nisi tristis & ægra uoluptas.
Nil nisi dulce malum, nil nisi triste bonum.
Diminuit famam, factis melioribus obstat.
Exiguo magnas tempore perdit opes.

Homo sapiens tacebit, usque ad tempus.
CCXCIIII

Homo sapiens tacebit, usque ad tempus. Prouerbio dici solet de eo, qui patienter fert omnia, donec occasionem nactus par pari, hoc est, alterum tantum re-

ferre poterit illi, à quo iniuriam acceperit, nam sæpenumero moræ uel iniuriæ impatientibus, maiora mox oboriuntur incommoda.

Ferrum ferro acuitur. CCXCV

Ferrum ferro acuitur, prouerbiali figura dicitur de illis, qui mutuo sibi consulunt, mutuoq; consilio sapientiores euadunt. Ita cum ferrum ferro teritur, utriusque acies redditur acutior.

Qui festinat ditescere, non erit innocens.
CCXCVI

Qui festinat ditescere, nõ erit innocens. Recte in eum torquetur, qui auet, curat, studet augere opes, & unde congerat, nihil pensi habet. Nam perdifficile est, opes pariter acquirere, atq; manus simul à rapinis abstinere. Vnde monemur paruo contenti esse, quando sine maleficio ditescere minime licet.

Leo est foris, Leæna est in itineribus. CCXCVII

Ignauus nihil non ignaue agit, quippe qui non modò non uult laborare, sed ne foras prodeat, uana semper pericula excusat, ad hunc propè modum, ut in prouerbio est, Leo est foris, Leæna est in itineribus, sum occidendus, surgunt uenti, tempus est pluuium. Sic pigrat domi, sic torpescit, sic demum sub asella manus abscondit, mox in egestate periturus. Conueniet adagium in desidiosos, imbelles, effœminatosq; homines, quibus desidiæ cordi, & iuuat indulgere choreis, & Veneri, atque adeò Baccho.

Occasiones

Occasiones quærit, qui uult recedere ab amico. CCXCVIII

Occasiones quærit, qui uult recedere ab amico. Vide quanta uis sit nominis amicitiæ, ut etiam simulatũ amicum pudeat uiolatæ utcunque beneuolentiæ, nam uera necessitudo nunquã seiungitur, quando qui pro amico semel est habitus, nõ audet omnino illud sacrosanctum fœdus palàm prius eludere, quàm habeat, quod excusare possit, posteaquã eluserit. Hinc ortum adagiũ, in eum, qui specie honesti, suas querimonias subdole accõmodat ad ius amicitiæ soluendum, uiolandumq́;.

Omnia tempus habent. CCXCIX

Omnibus tempus est. Admonet uniuscuiusque rei agendæ obseruãdum esse tempus, ut per tempus omnia fiant. Siquidem in qualibet arte, præsertim in agricultura permagni interest, quo tempore hoc uel illud cures. Etenim ut per tempus nata optima sunt, ita quæ post tempus nascuntur, ferè uitiosa atque inutilia existunt, testis Varro.

Noli esse iustus multum. CCC

Noli esse iustus multum. Non cõuenit, ut per omnia iustitia seruetur, cum necesse sit non parum multa condonare ætati, & identidem nonnihil humanæ infirmitati ignoscere, unde fit, ut nemo absque peccato sit. Quamobrem nõ immeritò apud philosophos uirtutes in medio positæ sunt, & omne quod nimium est, siue summũ siue imum sit, uitio datur. Coaptabitur adagiũ

illi iudici, qui ad minima etiã delicta conniuere nescit, quod ut suprà retulimus, summum dicitur ius, & pro summa accipitur iniuria. Sed in uerecunde religiosos recte etiã congruet, qui scrupulosa cura, minima quæque religionis momenta examinare uolunt.

Audientes non audiunt. CCCI

Audientes non audiunt. Hoc Esaiæ uaticinium, etsi alijs uerbis ab eo effertur, quod à Christo apud Matthæum citatur, iampridem in prouerbij consuetudinẽ uenit, in eos, qui quod nõ placet, callenter dißimulant, & si forte per literas officij admoneantur, non admittentes monita, gnauiter negant eas accepisse, ut ne culpam incurrant. Quadrabit uel in eos, qui urgente ut ita dicam, fato, non attendunt, si quid indicetur, quod ad ipsorum faciat salutem, id quod Iulius Cæsar fecit. Is enim, teste Tranquillo, paulò ante cædem, ab aruspice Spurina, à Calphurnia uxore monitus, ut periculum caueret, non solum rem parum curauit, uerum etiam omni admonitione spreta, in curiam se contulit, ubi loci est crudeliter occisus. In hanc sententiam, prophetæ oraculum est accipiendũ, nam misericordia dei, prout attestatur diuus Hieronymus hunc differens locum, factum est, ut Iudæi audientes non audirent, quo reliqui omnes seruarentur populi, dicentibus Paulo & Barnaba ad ipsos Iudæos: Vobis oportebat primum loqui uerbum dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos uos iudicastis, ecce cõuertimur ad gentes. Nota

est

est historia in actis apostolorum. Huc spectat uel illud Symeonis oraculum: Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum, quando illis non uidentibus Christum, nos uidemus, & illis cadentibus, nos resurgimus.

Argentum uersum est in scoriam. CCCII

Argentum uersum est in scoriam. Prouerbialis allegoria apud Esaiam inde deducta, quod si argentum ac cætera metalla nimium excoquantur, facile in scoriam hoc est, in purgamenta & sordes uertuntur. Ea uti licebit, cum innuerimus negocium quippiam male cecidisse, uel omnem conatum euasisse uanum. Sed figura uenustior fiet, in eum, qui ab ineunte ætate, se bonis studijs imbuerat, uerum postremo sensim mutato uitæ instituto, seipsum dederit luxui atque inertiæ corrumpendum. Id quod, teste propheta, fecit ciuitas Sion, quæ à principio iustitiam & doctrinam coluit, quæ argento comparantur, in psal. Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, ac ad ultimum in sordes peccatorum est uersa. Et Ezechiele: Et factum est uerbum domini ad me dicentis, Fili hominis, uersa est mihi domus Israël in scoriam.

Qui seminat uentum, turbinē metet. CCCIII

Qui seminat uentum, turbinem metet. Refertur ab Osee propheta, & concinne in eum aptabitur, qui sibi malo est, hoc est, turbas facit, quibus inde opprimatur. Et ad id alluditur, quod turbo uenti genus maximas

excitet tempestates. Apud Iob itidem, Seminant dolores, & metunt eos. Cæterũ Osee per hoc prouerbiale schema innuit, idola colentes nihil fructus recepturos, quod mala seuissent semina, hoc est, inseruissent diabolo. Ab agricolis sumpta metaphora.

Beatus homo, qui corripitur à domino. CCCIIII

Beatus homo, qui corripitur à domino. Verbum Iob uulgò celebre in eum, qui malorũ insuetus nescit quicquam patienter ferre aduersi, quamuis illud sit ad expiandam culpam immissum, dicente domino: Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam nõ dispergam ab eis. Qui igitur amatur, corripitur, qui negligitur, in peccato relinquitur, & beatus esse non potest, id est, mereri clementiam diuinam ex seueritate, per hunc modum ortam. Vsurpatur loco adagij, ab apostolo Paulo ad Hebræos, & ante eum, à Solomone dicente: Quem diligit dominus, corripit. Hodie nemo non in ore frequenter habet, cum uult consolari mœrentem quapiam calamitate affectum.

Vexatio dat intellectum auditui. CCCV

Fortuna quem nimium fouet, stultũ facit, quippe qui ut malorum expers fit audacior, nec credit posse lædi, quo fit, ut felicitate præsentiũ rerum captus, neminem quamuis bene monentem uelit audire, nihil iam socors effectus de altera sorte cogitare, nihil deniq; consuetis uoluptatibus & ocio adimere, sic, ut omnis officij oblitus,

litus, pecudum more, uitam transigat, at tactus aliquo malo ad se repente redit, errata agnoscit, cupit ignauiamque sarcire industria, ac ita ad extremum resipiscit. Huc igitur pertinet illa Esaiæ prouerbialis sententia, Sola uexatio intellectum dabit auditui. Vide proinde, quàm expediat, ut quandoque uexemur, cum res nimium secundæ nos stolidos faciant, imò perdant, nam si diuturniores fuerint, ita imparatos nos reddent, ut uel pusilla tempestas absorbere deinde quiuerit. Item in eiusmodi fatuos qui malunt perpeti, quàm cauere malum, solet uel illud uulgò iam tritum iactari. Qui matris monita neglexerit, ille nouercæ uerbera sentiet. Facta allusione ad id, quod mater filium amanter moneat, contrà nouerca iure, uel iniuria, in priuignum semper sæuiat.

Expedit, ut mola asinaria alligetur ad collum eius. CCCVI

Expedit, ut mola asinaria alligetur ad collum eius. Modus est cominandi, & iam prouerbialis, cum quis ab aliquo facinore perpetrando deterretur. Et ad id alluditur, quod apud ueteres Iudæos, uti perhibet Hieronymus, maiorum criminum damnati, ligato ad collum saxo, in profundum demergebantur. Quadrabit item cum innuerimus cuipiam expedire prius perire, quàm postremo male perire. In hanc sententiam usurpatur à Christo apud Matthæum. Vsurpatur & ab eodem Hieronymo uice prouerbij, in Ezechielem, libro comen xi. Mola uero asinaria dicta, quia ab asinis uolueretur, ut

ingens ſaxum hoc loco ponitur, quo nullam pereuntibus ſpem euadendi ſupereſſe intelligatur.

Offendiculum ponere. CCCVII

Offendiculum ponere, eſt aliqua plaga reddere peccantem memorē delicti, quo ſic pœniteat, prodeſt enim cuiuis & præſertim iuſto, intelligere culpam, qua uelut conſcientiæ tormento mox urgeatur, & abſtineat. Tractum à pedum offenſionibus, nam ſi gradiens offenſo pede, nouerit uiam non eſſe planam, cautius incedet, ne rurſus offendat. Reſpexit ad hoc dominus apud Ezechielem, cum uellet reuocare iuſtum ad ſe, dicens: Ponam offendiculū coram eo. Id eſt, ut Theodotio interpretatur, tormentū, quo cruciatus purgetur. Vnde apoſtolus ad Corinthios ait: Ideo infirmantur multi apud uos, & dormiunt multi. Offendiculū autem dicitur id, quod ponitur, ut quis incurrat in illud. Si quādo igitur curabimus, ut quiſpiam agnoſcat errores, & cognitos deponat, prouerbialiter ac eleganter dicemur offendiculum ponere, quod facit pater aduerſus filium, & præceptor aduerſus diſcipulū, quo ſeſe corrigant. At apud uulgus in malam quoq; partem capi ſolet, in eum, qui alteri imponere ſtudet, ut eſt illud moſaicum: Nec coram cæco, pones offendiculum.

Cæcus parietem palpat. CCCVIII

Cæcus parietem palpat. Eſt Eſaiæ ſcitum, quo uti licebit, cum uoluerimus notare cuiuſpiam negligentiam ac incuriam, quod improſpicienter cuncta agat, uelut

illc

ille præcipue facit, qui sacros lectitat libros, sed in ijs quid contineatur, non attendit, ritu cæci, qui parietem quidem attingit, cæterũ qualis sit, minime uidet, unde allegoria orta est longe prouerbialißima.

Perijt fides. CCCIX

Perijt fides. Versiculus Hieremiæ prophetæ nullius non hodie in ore est, cum tempora aut hominum mores damnãtur. Quale uergilianũ illud: Nusquã tuta fides.

Dolus in dolo est. CCCX

Non abhorret ab hoc uel illud eiusdem prophetæ, Dolus in dolo est. Quod tempestiue fecerit, cum significabitur res nostras in singulos dies peius habere, ac mortalium malitiam semper augeri, uel decipientem ab altero decipi.

Hæc sunt initia dolorum. CCCXI

Cum quæpiam res mediocriter bona, alicuius magni mali indicium facere dicetur, applicabitur illud euangelicum, Hæc omnia initia sunt dolorum. Ita Christus apostolos admonuit, per quædam signa, de pseudoprophetarum aduentu.

Segregare oues, ab hœdis. CCCXII

Quispiam prouerbiali figura dicitur segregare oues ab hœdis, qui domum, ciuitatem, prouinciã sceleratis hominibus purgatam reddit. Ad illud alluditur, quod ouis animal sit simplex, & utile, hœdus uero petulcum ac libidinosum, quod apud Iudæos, ob id, pro peccato semper offerebatur. Vnde ut huic recte peccator, sic

illi innocens cõparatur. A pastore metaphora sumpta qua Christus utitur dicens: Cum uenerit filius hominis, congregabũtur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.

Multi sunt uocati, pauci uero electi.

CCCXIII

Multi sunt uocati, pauci uero electi. Solet & hoc Christi oraculum instar adagij paßim iactari, cum significatur paucis admodum mortalibus contingere doctrinam, sapientiam, honores, opes ac cætera, quæ homines mirantur, & felicitatem prædicant. Et à militũ delectu deductum uidetur, in quo ex magno hominum numero, non nisi pauci, id est, præstantißimi quiq; eliguntur. Cæterum sensus mysticus est, multos Iudæorũ ad christianam religionem complectendam esse inuitatos, at paucos recepisse. Citatur prouerbij nomine à diuo Hieronymo in Ezechielem cap. xxxi.

Duo in agro, unus assumitur, unus relinquitur. CCCXIIII

Duo in agro, unus assumitur, unus relinquitur. Hoc prouerbiale schema ab agricolis motum, quod duo sementem iuxtà facientes, unus ut euangelicæ doctrinæ cultor uberiores fructus capit, alter uelut hæreseos seminator non item. Quadrabit, cum significabitur inter pares, non absque causa, aliquid apparere discriminis, & æque laborantes non esse eiusdem præmij participes.

Nouißimi

Nouißimi primi, & primi nouißimi. CCCXV

Quid, quod uel illud eiusdem præceptoris nostri oraculũ iam prouerbio locum dedit, Nouißimi primi, & primi nouißimi? Quo uti licebit, si quando innueri mus nouos homines, id est, loco haud claro natos magistratus in ciuitate supremos, summos honores, summũ deniq; imperium assecutos, contrà nobilitatẽ et eos qui rempublicam antea geßissent, in ordinẽ esse redactos, nulliusq; autoritatis iam habitos, adeò ut uerißime ultimi in priorum successisse locum dici quiuerint. At hæc operariorũ parabola congruit ad ostendendum, esse uenturum tempus, cum externæ gentes aliquoties fide præstarent Iudæos, qui dei populus uocabantur.

Paxillus infractus est. CCCXVI

Paxillus infractus est. Metaphora prouerbialis tracta à palis, ad quos uites alligãtur, illisq; sustentantur, qui si frangantur, uel aliquo pacto cadant, uites ipsæ iaceant, simulq; fructus pereat, necesse est. Conueniet in eum, qui munere quopiam precario fungitur, et confestim præsidio patrocinioq; illo destitutus, ea autoritate exuitur, ac instar uitis, amißis sustentaculis, humi deiectus marcescit. Videant proinde, qui tali gaudent aura, quàm tenui filo pendeant, quamúe sibi metito gressu sit incedendum, quando alterius nutu, atque renutu, aut stant, aut cadunt. Est in hanc sententiã ea usus Esaias, inquiens: Auferetur paxillus qui fixus fuerat in

loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit, quod pe penderat in eo. Est autem paxillus diminutiuũ à palo, si Prisciano credimus, si uero alijs, à paxillo deriuatur palus. Ceterũ propheta hoc loco paxillum appellat Christum, idq; Hieronymus luculenter planum facit, prope finem septimi libri cõmentariorum, in eundem Esaiam cap. xxij. quod ille auferetur ab eis, qui postremo refrixerint in fide, ac ita cadent qui ab ipso Christo sustentabantur.

Fermentũ in farina absconditum. CCCXVII

Fermentũ in farinæ satis tribus absconditũ. Aenigma hoc euãgelicum diuus Hieronymus in cõmentario suo in Matthæum, cum primis soluere conatus, tandem ad mysterium trinitatis quam uocamus, referri uoluit, ut religio per fermentũ, id est, fidem induxerit mortales ad unitatem patris & filij & spiritus sancti credendũ. Contrà Chrisostomus homilia xlvij. in Matth. nihil de ea re laborat, ut qui simplicem comparationem nil mysterij in se habere opinatur, nisi ut declaretur perinde apostolos esse multas gentes ad christianam religionem adiuncturos, ac fermentũ solet magnam farinæ copiam in suam uertere substantiã. Et ait tria pro multis posita. Quæ sanè omnia recte quadrant. Satum uero cuius hic fit mentio, uox syra est, & mensuræ genus sesquimodium capiens. At allegoria prouerbialis esse uidetur, & dici potest de eo, qui astu, atq; cura, hominum studijs in rem suam tractis, ciuitatis aut regionis imperium

Imperium obtinere nititur, uel de homine pestilente, quando fermentum in malam quoq; partem capi solet, ut est illud, Cauete à fermento pharisæorū, qui suis ma lis moribus & artibus sensim sit familiam, sacerdotum cœtum, populum deniq; totum corrupturus, more fer menti, quod quamuis paulum, totam tamen farinā affi cit, in suamq; trahit substantiam.

Concepit dolorem, peperit iniquitatem.

CCCXVIII

Concepit dolorem, peperit iniquitatem. Carmen est Dauid prophetæ psalmo vij. quod adagij faciem præ se fert, & de eo dici potest, qui meditatum scelus ædit, qui nihil boni animo concipiens male auguratur, qui malis moribus imbutus, neq; dicit, nec facit, quod uir tutis quicquam redoleat, qui deniq; liuore plenus intus dolet, & foris dolos ac fraudes cunctis struit. Refertur itidem ab Esaia cap. lix. in eos, qui Antichristi præsto lantur aduentum. Facta translatio à muliere, uel qua libet animante, quæ concipiat, & pariat.

Consuere puluillos, sub cubito. CCCXIX

Qui ocio uacanti delicias facit, & instrumenta libi dinis affert, ac male agenti opitulatur, blanditurq;, is uulgato iam olim prouerbio, dicitur puluillos cōsuere sub cubito, id quippe causæ est, cur sub cubito puluil lus aut ceruical sub capite iacentis ponatur, ut molli ter quiescatur. Quo fit, ut ea quiete titillante carnem, turpe inde facile ferueat Veneris opus. Vsurpatur ab

Ezechiele dicente: Væ his, qui consuunt puluillos, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia, sub capite uniuersæ ætatis, ad capiendas animas. Atqui sensus adagij à diuo Gregorio in moralibus multo luculentius explicatur, qui inquit: Quisquis ergo male agentibus adulatur, puluillum sub cubito, uel ceruical sub capite iacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Et Hieronymus ait: Voluptatum libidinisq; doctores meritò dicuntur consuere puluillos. &c. Item in eum recte aptabitur, qui sese socordiæ atq; luxui dat, rebus suis alte indormiturus. At propheta eam doctrinam qualis Epicureorum erat, hoc loco damnat, quæ per hunc modum, mortalibus damno semper fuit.

Cibus sine sale. CCCXX

Cibus sine sale. Dici solet, cum quippiam fit, aut dicitur, quod careat gratia, quod non magnopere probetur, uelut inops, inane, ieiunum, ac neutiquã exactum, cui perinde nihil omnino utilitatis, nihil momenti insit, ac est cibus insipidus, & minime gratus, si non condiatur sale. Refertur ab Aquila in interpretatione capitis xiij. eiusdem prophetæ.

Linire parietem luto. CCCXXI

Ab hoc haud multũ abludit illud ex eodem propheta, Linire parietem luto, absq; paleis. Quemadmodum enim luteus paries nihil habet roboris, nisi obfirmetur paleis, quæ luto admistæ tenacius stringunt, sic illi frustra

stra laborant, qui una duntaxat uirtute non item alijs nituntur. Exempli gratia. Quispiam uictus continentiam colit, at animũ corruptum habet, is nimirũ nihil agit, quippe qui hoc intrinsecus peius habet, quo extrinsecus speciem uirtutis præ se ferre impendiò studet. Hinc prouerbium increbuit in fallaces, in uaniloquos, qui hoc pacto decipiunt, operamq; ludunt. Et in hanc sententiam ab Ezechiele capite prænotato torquetur, in eos, qui Hebræis uana promittebãt dicente: Væ prophetis insipientibus, qui nihil uident. & subdit: Deceperunt populum meum dicentes. Pax, & non est pax, & ipse ædificabat parietẽ, illi autẽ liniebant eum luto, absq; paleis. Sed aptius congruet nostris hæreticis, qui dogmatũ suorum uirtutem falsitate prædicant.

Caro & sanguis reuelauit. CCCXXII

Caro & sanguis reuelauit. Iam in tritum uulgi sermone prouerbium cessit, quo hodie nullus non utitur, cum uult taxare quempiam, qui plus cognationi quàm pietati tribuat, sed speciatim in eos sacerdotes passim dictitatur, qui sibi genere propinquos magnis undecunque congestis referciunt opibus, item illis honores, sacerdotia, principatus in primis deferunt, nihil pensi habentes, quàm interim bona ordinis dilapident, quamúe parum suæ dignitati consulant, cum carnis & sanguinis amore ducti non attendant, utrum, priusquã dent, appareat in eiusmodi suis propinquis indicium aliquod bonæ indolis, quamobrem parte ex aliqua ui-

deantur idonei, ut iure præ illis, alios forte longe probißimos præterire debeãt. Quod nempe malum, cum rem sacerdotalem iampridem labefactare cœpisset, unus postremo extitit Romanus pontifex, qui exemplum post homines natos, sanctißimum ædidit, quo illud auerteretur. Fuit ille Clemens quartus, qui bonis sacerdotalis ordinis recte dispensandis intentus, nepotem qui tres præbendas, quas uocant, adeptus fuerat, increpuisse, duasq; ex illis relinquere coëgisse fertur, & cum amici instarent, ut nepotis facultates augeret potius, quàm minueret, respondisse, Ego per omnia deo optimo maximo, non carni aut sanguini debeo obtemperare, putoq; nequaquam esse dignum apostolica sede, qui plus cognationi quàm Christo dat. Vtinam uox hæc tandem aliquando in quorundam pontificum nostrorum pectus alte descendat, nec caro & sanguis diutius reuelet. Potest uel apte adagium in eos competere, qui extrinsecus tantum aut bene aut male uiuendi rationes habent, hoc est, nihil spiritale sapiunt, sed ex bonis externis pendentes carnis & sanguinis, id est, corporis duntaxat uoluptatibus impense uacant. Cæterum uerba Christi ad Petrum, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est, eò pertinent, ut doceat, se ei non per hominum doctrinam, sed per diuinam gratiam, reuelatũ esse filium dei. Patet historia apud Matthæum cap. xvi.

Omnes quæ sua sunt, quærunt.

CCCXXIII

Omnes quæ ipsorum sunt, quærunt, non quæ Christi Iesu. Huc & Paulina hyperbole spectat, quæ iam olim in adagij consuetudinem uenit in eos principes, in prouinciarum præsides, in diocœsum præpositos, ac in cunctos magistratus, qui suorum negociorum gerentes cōmoditatumq́; biantes, nihil suarum partium magnopere agunt. Verum peculiariter in quosdam sacerdotes effertur, qui cum maxime omnium debeant ouium Christi curam suscipere, illud tamen minime omnium facientes, populum non docent, parum in diuinis rebus hærent, & deniq; tantum sua quærunt commoda. Quorum numerus cum iam inde ab initio non exiguus esse cœpisset, iccirco apostolus ad Philippenses, id uitij omnibus aßignauit, hoc est, bonæ hominum parti, quæ suæ inuigilaret causæ, at Christiani gregis curæ penitus indormiret. Sed ecquid diceret Paulus, si uideret etiam nunc episcopos ac sacerdotes alios impigre sacerdotiorum prouentus capere, quibus laute uictitant, & pauxillum uicißim ex officio præstare? Haud dubie simul cū Hieremia, uociferaretur: Omnes auaritiæ student, à propheta, usque ad sacerdotem. Ad hoc uel illud facit,

Pastores pascunt semetipsos. CCCXXIIII

Pastoris officium est, alere cum primis oues, & earum habere curā, quo fœtus poßint in singulos annos

ædere grandiores, at uero si suæ utilitati incumbens, lac aßidue exprimat, lanam continenter uellat, non pascit is gregem, quem aperte corrumpit, sed seipsum, atq; ita pastoris officiũ minime facit. In eiusmodi igitur corruptores peßima auaritiæ exempla ædentes, Ezechiel clamat dicens: Nunquid pascunt pastores semetipsos? Quod sanè scomma in adagium exijt, in eos omnes, de quibus suprà meminimus, qui uti apud Dauid est, deuorant plebem, ut escam panis. In hos ipse dominus dicit: Ecce, ego ipse requiram gregem meum, de manu eorum, ut ultrà nõ pascant gregem meum. Atq; hæc erit pœna malorũ præsulum haudquaquam parua, cum cedere poßeßione tam magnæ fortunæ & sarcire damna, necesse habuerint.

Omnia munda mundis. CCCXXV

Omnia munda mundis. Sententia paulina ad Titum longe prouerbialißima, qua significatur hominem bonæ frugi haud quicquam immundi uel inquinati admittere, quod eius mens & conscientia admodum casta sit. Conuenit ijs, qui nullius rei contagio se corruptum iri sinunt. Verum apostolus per hæc, uetat Iudaicas fabulas, putabant enim Iudæi inter cibos esse differentiam, ut alij mundi, alij immundi essent, id à nobis obseruari modis omnibus non uult docens, nihil abijciendum esse, quod cum gratiarum actione sumatur, quia Christum colentibus nullà non bonà est res ad usum uitæ data.

Gallina

Gallina congregat pullos suos sub alas.
CCCXXVI

Gallina congregat pullos suos sub alas. Hæc prouer bialis allegoria facile nobis modum diligēdi iuuandiq; nostros ante alios, præscribit. Debemus parentibus cum primis, sicut suprà diximus, ut in pietate illis respondeamus, quod bruta animalia præstare minime norunt, præter ciconias, quæ, autore Aeliano, parentum senectutem nutriunt. Allegoria faciet ad ostendendum uim pietatis ac beneuolentiæ cuiuspiam erga suos. In quam sententiam usurpatur à Christo dicente, Hierusalem quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Nam ita gallina fouet & tuetur pullos suos, aduersus miluiorum rapacitatem.

Pullus de nido auolat. CCCXXVII

Iam ille qui opus aliquod pauide aggreditur, ac errabundus quid agat, præ timore nescit, prouerbio dicitur pullus de nido auolare. Translatio à pullis facta, qui cum primū nido exeunt, trepiduli atq; huc atq; illuc uolitantes circūstrepunt. Vtitur ea Esaias cap. xvi. cum uaticinatur de fuga Moabitarū, id est, Arabum, qui ab Asyrijs & Babylonijs postea deuastati sunt, & ait: Et erit Moab sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes. Conueniet uel apte in fugientem, qui tremebundus quorsum tendat, minime sibi constat, & in quencunque de quauis re hallucinantem.

Granum frumenti mortuum multum
affert fructum. CCCXXVIII

Allegoria prouerbialis, apud euangelistam Ioannem, qua Christus docuit se proprio sanguine esse inter omnes gentes, propagaturũ nouam religionem, more grani frumentacei, quod ubi terra est conditum, multum affert fructus. Quod nauiter factum est, nam apostoli nomine Iesu crucifixi, paßim postmodum miracula ædentes, totum ferè orbem ad ueræ pietatis cultum traxere. Erit itaque usus allegoriæ perappositus, si quando significabimus cuiuspiam interitum saluti esse multis, quemadmodũ apud Liuium, legimus P. Decios patrem & filium duas nobiles per mortem peperisse uictorias suis Romanis, pater enim, bello Latino Consul collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluuium castris, cum utrique Consuli immolando obuenisset, eos futuros uictores, quorum dux in prælio cecidisset, inclinante parte Romanorum, sese dijs manibus deuouens, hostibus obiecit, ac uictoriam suis reliquit. P. Decius filius patris secutus exemplũ itidem fecit in eo bello, quod Galli, Samnites & Vmbri cum Tuscis, aduersus Romanos gesserunt. Sed ne alienis innitamur exemplis, præsertim maleficæ superstitionis plenis, granum illud frumenti post Christũ, apostoli, sanctiq; martyres fuere, quod terræ demandatũ nobis fructum uitæ attulit. Conueniet præterea, cum ob mortem tyranni, libertas alicui ciuitati reddita fuerit, cum item

cuipiam morte suorũ, aliorumúe hæreditas ampla uenerit, aut aliquis honos obtigerit. Verum festiuius in auarum aptabitur, utpote qui uiuus nulli prodest, at defunctus multum emolumenti multis, res mira certe, affert, partitis inter gaudentes hæredes opibus, quibus ille demens uti nesciebat. Et demũ ad omnia generatim applicari commode potest, si quando ex corruptione unius, alterum inde gignitur, uti in primis de Phœnice Plinius refert, quam iam senescentem tradit surculis thuris casiæq; nidũ replere odoribus, ac super emori, ex eiusq; cinere aliam nasci.

Somniat sitiens, & bibit. CCCXXIX

Cum quispiam magna sibi frustra pollicetur, eáque iamiam ex desiderio, manu capere uidetur, ita ut si à quopiam consilij gnaro illudatur, non modò non animaduertat, sed sic palpatus tum maxime in spem quasi certam potiundi ueniens sibi placeat, et blandiatur, ueluti faciunt, qui amant, uel ambiunt, in eum illud Esaiæ non infacete iactabitur, Somniat sitiens, & bibit. Nam perinde cupidus, impẽse in eo quod cupit, dies noctesq; uersando uane delectatur, & gaudet, atque siticulosus facile somniat bibere, & ut hic mox experrectus nihil se bibisse comperit, sic ille spe quã animo ingentem conceperat, frustratus discedit. Ad illud etiam psal. lxxij. alluditur, Velut somnium surgentium. Quod autem soleant ea nobis per somnium occurrere, quæ desideramus, id attestatur cum primis Aristoteles.

Comedes, & non saturaberis. CCCXXX

Apud Micheam dominus Samariam metropolim decem tribuum, quæ eo uaticinante, ab Assyrijs capta est, arguit idolatriæ, & sumpta metaphora ab ijs, qui leuissimis cibis minimeq; nutrientibus uescuntur, ait: Comedes, & non saturaberis. Ita significat eam inter edendum, id est, inter legendum sacra scripta, esse passuram ueritatis inopiam, hoc est, nõ intellecturã, quid ad suam fecerit salutem. Quadrabit in hominem auaritia inexplebili, uel in eum, qui rebus illis intentissima cura uacat, unde nihil futurum sit utilitatis.

Seminabis, & non metes. CCCXXXI

Eiusdem prophetæ uerbum uulgò celebre. Seminabis, & non metes. Calcabis oliuam, & non ungêris oleo. In eum, qui aliquid molitur, quod non ipsi sed alijs in rem est futurũ, quemadmodum facit agricola, unde est mota translatio, qui fruges seminat, quas alij postmodum colligunt.

Telas aranearum texere. CCCXXXII

Telas aranearum texere dicitur, qui sine modo laborat, & parum proficit, ut rei minimi momenti uacans ritu aranei, qui ut muscam capiat, telas anxie texit, ita tamen tenues, uti etiam leuissimo uenti flatu frangantur. Vsurpatur loco prouerbij ab Esaia capite lix. dicente: Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, & oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.

Expectauimus pacem, & ecce turbatio.

CCCXXXIII

Cum aliquid nobis inopinate contigerit, quod tantũ aberat, ut timeremus, ut etiam in ſpem cuiuſpiam boni aſſequendi erecti eſſemus, conueniet illud Hieremiæ, Expectauimus pacem, & ecce turbatio. Et ante eum, idem ab Eſaia refertur: Expectauimus lucem, & ecce tenebræ. Et Iob: Expectabã bona, uenerũt mihi mala.

Cibus alienis dentibus molitus nauſcoſus eſt.

CCCXXXIIII

Diuus Hieronymus in procemio libri ſeptimi commentariorũ, in Ezechielem, uſurpat elegans adagiũ, Cibus alienis dentibus molitus nauſcoſus eſt, quo docet hebeteſcentibus iam oculis ob ſenectutem, ſibi perinuito opus eſſe lectore, qui uoce referat, quod è codicibus græcis ſit hauriendum. Congruet, quoties quis aliena opera parum grata uti cogetur. Translatio à nutriculis petita, quæ ſolent cibum ab ſe manſum ori infantiũ admouere, quod ſanè grandioribus nauſeam facile mouet. Vel eis recte aptabitur, quos omnino pudet aliena mutuari ſcripta, uti faciunt, qui ſuum experiri uolunt ingenium, ut ſibi tantum fidentes præterea nemini.

Loqui, alijs linguis. CCCXXXV

Cœperũt loqui, alijs linguis. Audio hoc quod in actis refertur, de ſubita apoſtolorum linguarum uarietate, poſt acceptum ſuperne ſpiritum, à uulgo inſtar adagij paßim dictitari, cum uult ſignificare quoſpiam ſenten

tia desistere, nec stare conuentis, sed huc aut illuc more uacuarũ nauium leuitate uacillare, hoc est, modo dicere, modo negare. Et *ex eo fit allusio, quod qui alias cal lent linguas, facile personã uariare poßint, ut si uspiam italico sermone aliquid promittãt, & alibi gallicis uer bis illud ipsum negent.* Vel *simpliciter ad uerba referri potest, quæ si diuersa sint, nihil certi affirmant.*

Gladij in uomeres conflantur.

CCCXXXVI

Prouerbiali *figura* Esaias *demonstrans futurum, ut bellandi studium sub aduentũ* Christi, *in pacem demũ uerteretur, quod principe* Augusto *accidit, inquit:* Et *conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces.* Est *enim placidæ quietis indiciũ, si agricolæ ex gladijs uomeres quibus proscinditur terrá, conficiant, aruoq; colendo tantũ uacent.* Nos *eadem figura scienter utemur, cum significauerimus discordiam concordia, & bellum pace mutari.* Econtrario *illud* Iobelis *faciet,* Concidite *aratra uestra in gladios, & ligones uestros in lanceas, cum pacem excluserit bellum.*

Habitat lupus cum agno. CCCXXXVII

Habitat *lupus cum agno.* Hyperbole *nõ sine adagij nomine citanda, qua uti licebit, si quando innuerimus quosdam male copulatos, ut alter innocẽtißimus alter nocentißimus sit.* Accõmodatur *ab eodem propheta ad pacem & concordiam christiani populi futurã.* In *quã nos quoq; sententiam recte usurpare quimus.*

Qui

Qui ambulat in tenebris, nescit quò uadat.
CCCXXXVIII

Qui eò audaciæ uel cæcitatis potius deuenit, ut negocium aliquod non dubitanter aggrediatur, quod minime noscit gerere, uel id artis profiteri audeat, cuius sit penitus ignarus, is ambulare in tenebris, ac nescire quô uadat, prouerbiali figura recte dicitur. Est ea usus Christus, *cum significaret* Iudæos *hallucinari, quod se non nossent.* Et *ab ijs petita esse uidetur tranlatio, qui facile aberrant, si dum luna silet, noctu iter faciant.*

Stylo ferreo scribere. CCCXXXIX

Qui quod ait, mutare non uult, stylo ferreo scribere prouerbialiter dici potest, quod literæ quæ scalpello ferreo inciduntur, non facile deleantur. Refertur *à* Hieremia *cap. xvij. & ante eum, à* Iob.

Tuba canit ante se. CCCXL

In *eum qui ad ostentationē cuncta fecerit, recte dicetur,* Tuba *canit ante se.* Quod *à* Christo *in hypocritas est usurpatum, quippe quos plus spectator delectaret, quàm benefacti conscientia. Sumpta metaphora ab ouantibus uel triumphātibus, ante quos tuba cani solet, ut eorum gloria longe omnibus notißima fiat.*

Calamū quassatū siue fractū conterere, uel linum fumigans extinguere. CCCXLI

Adagium fuit apud Hebræos *de eo, qui tantum aberat, ut miserum hominē humi quasi iacentem & breui moriturū subleuaret, ut etiam insultaret, illiq́; manus*

intentaret, non ſine tamen ſua ſuggillatione, et ſæuitiæ nota, unde non eſſet habitura uictoria laudem. Ex eo ducta figura, quod calamū iam confractum tam facile ſit conterere, quàm fauillā in lino, id eſt, in fune ut fit, uel in quouis fomento ſeruatam extinguere. Contrà nō minus prouerbialiter quis dicitur calamum quaſſatum non conterere, & linum fumigans nō extinguere, cum mitis, manſuetus, ac placabilis ſit, utpote qui neminem lædere, ſed cunctos ſine diſcrimine, fouere uelit, quod fecit Chriſtus, cui adagium in primis competit, peccatoribus enim qui inſtar fractorum calamorum iamiam in ignem æternū conijciendi erant, manum clementer porrexit, ueniam dedit, & modicam fidem uelut ignis fauillam in mortalium pectoribus micantem adauxit, non autem extinxit, hoc eſt, illos nō abijciendos, ſed in fide retinendos iudicauit. Vtrunq; Eſaias eiuſmodi prouerbio uſus, futurū expreſsit dicens: Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Rerfertur itidem à Matthæo euangeliſta cap. x.

Torris de igne erutus. CCCXLII

Torris de igne erutus. De eo dici ſolitum, qui perdiu in aliquo uerſatus malo, tandem è periculo uitæ eripitur, uelut torris cum ſemiuſtus de igne extrahitur, eſt enim torris lignum ignitum. Rerfertur adagium à Zacharia propheta, qui Ieſum ſacerdotem à Cyro Perſarum rege cum Zerobabel duce, è ſeruitute babylonica, in Iudæam miſſum, torrem de igne erutum appellat,

lat, quod nõ esset babylonio igne consumptus, nec flamma uitiorum inustus.

Nolite soliciti esse in crastinũ. CCCXLIII

Nolite soliciti esse in crastinum. Fuerit hoc euangelicum oraculum usui, cum significabitur, nõ esse anxie in rerum futurarũ curam incumbendum, quãdo unusquisq; nescius est, utrũ crastinũ uisurus sit diem, nec ne. Horatius in iiij. carm. Quis scit, an adijciant hodiernæ crastina uitæ Tempora dij superi?

Nunquid aufertur laqueus de terra, antequam quid ceperit? CCCXLIIII

Nunquid aufertur laqueus de terra, antequam quid ceperit? Ex Amos est prouerbialis allegoria, qua tempestiue utemur, si quando innuerimus à quopiam incepto non esse desistendum, absque lucro.

Plenus sum. CCCXLV

Vbi quispiã tædio affectus iam fastidire omnia, uel ex aliquo dicto factóue offensus stomachari cœperit, recte ac prouerbialiter dicet, Plenus sum. Mota est metaphora ab eo, qui cibo potuq; refertus ne cibaria quidem uult intueri. Ea dominus apud Esaiam est usus, dicens: Plenus sum. Ita significauit se respuere Iudæorũ cærimonias, per quas illi & si sexcentis flagitijs contaminati, satis deo facere putabant.

Zelus domus tuæ comedit me. CCCXLVI

Zelus domus tuæ comedit me. Ita propheta psalmo lxviij. prouerbiali figura expreßit negocium Christo

datum, qui zelo, id est, ut uocatur, amore fundandæ religionis, passus est crudelem mortem. Conueniet quoties quis uoluerit significare negocium quippiam maxime sibi esse curæ, sed peculiarius competet sacerdoti, cui nihil prius esse debet, quàm curare, & pascere oues dominicas, ac cultum religionis per omnia ad unguem seruare. Inde facta translatio, quod amor sit semper plenus curæ, quæ urit, & mordet, atque sic animum quodammodo comest.

Serra gloriatur contra trahentem.

CCCXLVII

Si quis per se nihil ualens, laudem eius rei quam alieno auxilio cōfecisset, conatus fuerit sibi soli uindicare, quadrabit in eum illud Esaiæ *prophetæ,* Nunquid gloriabitur securis, contra eum, qui secat in ea? aut extolletur serra, contra eum, à quo trahitur?

Torcular calcaui solus. CCCXLVIII

Contrarium huic illud ex eodem propheta est, Torcular calcaui solus. *De eo dici solet, qui aliquod egregium facinus, cæterum laboriosum nullis adminiculis, sed proprijs uiribus fecit. Quod præstitit* Christus *seruator noster, qui solus torcular crucis unde nostra manauit salus, calcauit. Sumpta metaphora ab ijs, qui in lacu uuas premunt pedibusue. Est autē torcular seu torculum locus, in quo uuæ calcatæ premuntur, siue instrumentū, quo premuntur, & continens pro contento id est, pro uua, ponitur à propheta. Vsurpat &* Hieremias

remias hoc loquendi schema: Torcular calcauit dominus uirgini filiæ Iuda. Ita pœnas & tormēta explicuit, quibus affecta est Hierusalem à Babylonijs.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. CCCXLIX

Omnibus æque animantibus uita adeò dulcis est, ut pro ea tuenda, ui quadam naturali, ultro digladientur, ac reliqua omnia posthabeant, uermiculus enim parum irritatus statim remordet, serpens impendente periculo, caput uelut arcem uitæ occulit, neglecta cætera corporis parte. Nos in mille discrimina uitæ ob uitam quotidie ruimus, & ut pugnando, ne letale accipiamus uulnus, uenienti ictui manum uel totum brachium subito obijcimus. Huc igitur pertinet illa apud Iob, prouerbialis figura, Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Qua uti licet, cum significatur, salutis causa, nullum reformidandum periculū, nihilq; tam charum, quin sit eius rei gratia, sponte profundendum, uelut pellis pro pelle, id est, uita pro uita, sæpe ut iubet prouerbium, ad aleam exponitur, ut ad pœnam talionis uideatur allusum.

Væ ei, qui multiplicat non sua. CCCL

Fuit apud Hebræos, teste Habacuc propheta, prouerbium, Væ ei, qui multiplicat nō sua. In anxie & per fas, atq; nefas, congerētes diuitias, utpote ex alieno rapientes. Id fecit ante omnes Nabuchodonosor Babylonius rex, qui omnia bona Hierosolymorū spoliauit,

quibus postea ut male partis Persæ potiti sunt. Ita alijs quod alijs ademerat, postremo cōgregauit, ut est illud prophetæ oraculum, Thesaurizat, id est, colligit thesauros, & ignorat cui congregabit ea. At adagiū uel ex eo natū uidetur, quod quicquid aut dari, aut auferri potest, neq; meum neq; tuum, sicut tradit Cicero, dici debeat, atque iccirco bona fortunæ iure nuncupantur, non autem hominis, cuius tantum bona censentur, quæ spiritalia sunt, hoc est, animi, quia auferri nequeunt. Vtrunq; Christus apud Lucam demonstrat, dicens discipulis: Si in alieno non fuistis fideles, quod uestrū est, subaudias, bona spiritalia, quis dabit uobis? Quoties proinde libuerit quempiam notare, quod augendis diuitijs breui perituris ut male acquisitis frustra inuigilet, ac in rem spiritalem nihil incumbat, apposite dicemus, Væ ei, qui multiplicat non sua.

Domos luteas habitare. CCCLI

Apud Iob, corpora nostra prouerbiali metaphora, domus luteæ appellantur, quod re uera non nisi lutum sint, si enim rem recte expenderimus, iam satis cōstabit primū parentem è terra sumpsisse corpus, & nobis illud tradidisse, quod et terræ quotidie reddimus. Quapropter ipsa terra cōmunis omnium parens antiquitati habita est. Hoc igitur lutum spiritus noster colit, unde metaphora deducta est, quæ generatim cunctis mortalibus documento esse debet, ne superbia efferātur, cum tam bruto elemento se circundatos esse nouerint.

Non

Non rugit onager, cum herbam habet.

CCCLII

Cum uoluerimus carpere quempiam utputa uirum aliâs popularem nõ reclamare ad aliquod facinus, uel nouum institutũ, propterea quod id ei lucro sit, aut reticere de cõmodo aliorum, dum suo seruit, illud ex eodem Iob usurpabimus, Non rugit onager, dum herbã habet. Est enim onager ferus asinus, qui rudere nõ cessat, si pabulo careat, unde petita est allusio.

Malum bonum, & bonum malum dicere.

CCCLIII

Si notaueris quempiam dare uerba auribus mali hominis, propter potentiam, et bono detrahere, propter inopiam, recte intorquebis in eum hoc Esaiæ uerbum, Væ, qui dicunt malo, Bonus es, & bono, Malus es, seu ut alij legunt, Væ, qui dicitis malum bonum, & bonũ malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarũ. Et Solomon: Qui iudicat iustum iniustum, et iniustũ iustum, abominabilis est uterque apud deum.

Factus sum illis in parabolam. CCCLIIII

Seruator noster Christus quo diligentius semper studuit Iudæos miraculorum beneficiorumq; magnitudine, in officio pietatis continere, hoc maiori est ab illis ludibrio habitus, dicentibus, Vah qui destruis templũ dei, & in triduo illud ædificas? serua temetipsum, si filius dei es, descende de cruce. Alij uero aiebant, Ecce

quomodo amabat eum? Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur? Et id genus plura conuicia in eum iactabant, sic, ut eiusmodi illusiones in prouerbium, id est, in commune omnium uerbum abiuerint, dicente ipso domino apud prophetam, Factus sum illis in parabolā. Quadrabit in eum, qui passim ludibrio habetur, uel alicuius publice iniustus infamiæ cauterio apud uulgus notatur, ita ut de eo fabula iam orta late spargatur. Ante prophetam, usurpauit hunc loquendi modum Iob dicens: Posuit me quasi in prouerbium uulgi. Et in Deuteronomio: Et eris perditus in prouerbium.

Pallium breue utrunque operire non potest.

CCCLV

Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, & pallium breue utrunque operire non potest. Metaphora prouerbialis sumpta à marito pudico uxorem adulteram increpante, ac arguente torum coniugalem nō posse duos capere uiros, qua usus est propheta Esaias in eam sententiam, in quam apostolus ad Corinthios dicit: Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. & alibi: Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? ut doceret oportere Hierusalē abijcere idola, si uellet dominicis complexibus copulari. At nos eandem apte usurpabimus, cum innuerimus unam rem non satis esse duobus.

Lucerna

Lucerna ſub modio. CCCLVI

Egregia uirtus ſi diſsimuletur, ita ut nihil ex ea ſplendoris aut utilitatis appareat, decenter ac prouerbialiter dicetur, Lucerna ſubter modio. Quod lumen ita occultatũ perinde ſit, ac ſi extinguatur, quod fit, ſi quando lucerna cooperiatur modio, quod eſt menſuræ genus. Eſt ea metaphora uſus Chriſtus apud Matthæum cap. v. Virtus autem meritò lucernæ cõparatur, quod ea quis ſoleat reliquis mortalibus prælucere, hoc eſt, antelucere, ne in uitiorum tenebras incidant.

Lucerna ſuper candelabrum. CCCLVII

Contra hoc, illud pugnat. Lucerna ſuper candelabrum. Hærebit ei, cuius uirtus procul eminet, & ex ipſo oris habitu, non aliter perſpicitur, atque lucernæ ardentis ſuper candelabrum poſitæ procul flamma relucet. Vel in eum concinne accõmodabitur, qui, ut Horatius ait, quod uenale habet, oſtendit, id eſt, ſua omnia uelut gloriabundus oſtentat, quod præcipue faciũt mulieres, quibus quicquid eſt ornamenti, parum eſt gratum, ſi occultetur.

Theſaurus in agro abſconditus. CCCLVIII

Theſaurus in agro abſconditus. Parabola à Chriſto uſurpata, qua deſignatur cognitionem dei ſupremum eſſe theſaurum, & illum abditum in agro, id eſt, in penetralibus ſacrorum librorum, quos qui probe uerterit, theſaurum uitæ æternæ haud dubie inueniet, ac in eo cunctis poſthabitis rebus, recte acquieſcet. Cæterũ

audio paßim à uulgo hanc parabolã citari prouerbij nomine, si quando uult innuere uirtutem non esse cuiquam obuiam, nec cuiuis eam facile contingere, sed ut rem multo labore comparandam, esse absconditam in agro, hoc est, in multa bonorum autorum lectione. Item & alius est usus. Dicitur thesaurus absconditus in agro, cum significatur optimum quod est hominis, non apparere, sed in penitiore animi sede latere. Vnde illud Christi, Beati mundo corde, beati pauperes spiritu. Preciosa quippe res est integrum habere animum, quo tamen uelut in adyto pectoris clauso nihil perspici est difficilius.

Fici cadunt in os comedentis. CCCLIX

Fici cadunt in os comedentis. Absimilis est superiori hæc prouerbialis figura, qua Nahum propheta utitur, quantum enim ibi industriæ & diligentiæ, tantum hic ignauiæ, cæterum plus felicitatis. Et de eo concinne dici potest, cui res relicta, nõ parta labore est, ueluti sunt illi, quibus magnæ ueniunt hæreditates. Vel in eũ perbelle conueniet, quem notamus ob copiam rerum, ignauißimã ducere uitã, ut cui perinde cibus sua quasi sponte in os labatur. Et ad illud alluditur, quod si quis cõcussa ficu, hiatu oris cadentes ficos excipiat, nihil est quod laboret ex arbore, uel è terra colligere.

Vinum potantem decipit. CCCLX

Vinũ potantem decipit. Scomma Habacuc prophetæ prouerbiale in eũ, qui ebrietate laborat, dum enim

quis

quis auide bibit, latenter capitur, sic, ut postquam surrexerit, atq; pes atq; caput nequaquã faciat suum officium, ac demum ab ea delectatione quam bibendo habuerat, repente in furorem aut somnũ conuersa, reddatur belluæ persimilis. Ac istud est ebrietatis monstrũ, ut quis ex homine protinus brutum fiat animal. Potest *uel in quoscunq; commodum aptari, qui uoluptatibus submerguntur, utpote quæ tum mortales maxime perdunt, cum maxime oblectant.*

Sicut mater, ita & filia eius. CCCLXI

Sicut mater, ita & filia eius. Vetus fuit apud Hebræos *adagium, & ab* Ezechiele *citatur:* Ecce *omnis qui dicit uulgò prouerbium in te, de* Hierosolyma *loquitur, assumet illud dicens, Sicut mater, ita & filia eius.* Hoc *etiam uulgò sic dictitatur,* Qui *nascitur ex gallina, scalpit.* Sensus *non discrepat ab eo, quod alio loco ex* Athanasij *symbolo retulimus,* Qualis *pater, talis filius.* Nam *impudicam matrem non rarenter solet filia imitari.* Aptabitur *commode illis, quorum mores germani sunt.*

Spinæ se inuicem complectuntur. CCCLXII

Spinæ se inuicem complectuntur. Scomma prouerbiale apud Nahum *prophetam, in hæreticos, id est, in malos homines, qui ueluti spinæ semper pungunt, hoc est, nocent, & alius ad alium more spinarum adhærescunt, seq; inuicem defensitant, quod indicat illud* Iuuenalis, *Magna inter molles concordia.*

Expandere rete. CCCLXIII

Eum qui rem aggreditur, ut ex ea lucrum faciat, aut quempiam dolis petit, ut turba aliqua intricet, seu spoliet, perdatúe, apte dicemus expandere rete, à piscatoribus sumpta metaphora. Vsurpatur ab Ezechiele, *apud quē dominus ait:* Expandam *super eum, de Pharaone intelligit, rete meum, ut eum puniat.* Respexit *& ad illud* Osee *propheta cum de malis sacerdotibus dixit: Quoniā laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super* Thabor.

Ad fabulas conuertuntur. CCCLXIIII

Ad fabulas conuertuntur. Dici *consueuit de ijs, qui facile peruertuntur, & mox mali propositi tenaces, ne bene monentes audiāt, de industria fabulas interponūt, de quibus apostolus ad* Timotheum *scribit:* A *ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uero conuertentur.* Sed *in eos aptius hærebit, quibus leuitas innata est, ita ut si quid extra iocum dicatur, seriò non accipiant, sed in iocum uertant, in cachinnos resoluantur, dicteria dicant, ut nihil planè cum eis graue sit agendum.*

Fatuus fatua loquetur. CCCLXV.

Fatuus fatua loquetur. E*saiæ oraculū cognatū superiori, quo expreßit futurā pharisæorū fatuitatem, qui dementer* Christū *fraude peterent, cui omnia nuda apertaq́; erant.* Nos *autē eo ueluti ualde prouerbiali monemur à stulto nil nisi stultitiā expectare.* Vsurpatur *loco prouerbij, à diuo* Hieron. *in epist. ad* Euagrium.

Scriba doctus profert de thesauro suo, noua & uetera. CCCLXVI

Parabola scribæ docti à Christo introducta docet, quos apostolica sagena, de qua suprà est facta mentio, debeat capere ad sacerdotium gerendum, ait enim: Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo, noua et uetera. Vt enim paterfamiliâs uetustis ac nouis fructibus familiam pascit, ita futurũ dicit, ut apostoli noua & ueteri doctrina, quam bene imbiberant, populum imbuant, hoc est, prædicent euangelium, illudq; prophetarum testimonijs corroborent. Vnde parabola iam prouerbialis paßim facta indicat episcopos cæterosq; sacerdotes debere ueteris ac noui instrumenti esse scientes, quando illi soli sunt scribæ, quibus hoc munus scribendi, id est, docẽdi obeundum sit. Væ propterea illis, qui è thesauro suo, nil nisi numos, nil nisi delicias, nil nisi uoluptates, nil nisi nugas, depromere queunt, ut omnis doctrinæ ignari. Vnde illud,

Bonus homo de bono thesauro, profert bona.

CCCLXVII

Bonus homo de bono thesauro, profert bona. Sententia huius metaphoræ non abhorret à superiore. Equidem ut doctus doctrinam redolet, sic bonus bonitatem sapit. Refertur à Christo, qui de se tanquam de tertia persona loquitur, qui cum maxime bonus sit, maxime omnium cunctos diligit. Erit usus cum significaueri-

mus probum uirum non posse improbe facere quicquam. Deducta figura ex eo, quod in corde sit animi sedes, eiusq; uirtutes ac uitia illo contineantur, & uelut quis thesaurum in interiorẽ domus partem abdere solet, ita natura cor, ut totius corporis thesaurum intra uiscera penitus reposuerit, unde bona ueluti è quodam penetrali iugiter expromantur.

Malus homo de malo thesauro, profert mala.
CCCLXVIII

Aduersum hoc stat illud, Malus homo de malo thesauro, profert mala. Est dictũ in diabolum, qui diuersum à Iesu studium habet, nam ut hic mortales omnes ducit ad uirtutes, ita ille ad uitia trahit dirum continenter ex se uenenũ depromens. Quadrabit in hominẽ peßimũ, à quo nihil boni proficisci poßit.

Spiritus immundus reuertitur in domum, unde exiuit. CCCLXIX

Spiritus immundus reuertitur in domum, unde exiuit. Dici solitum, ubi fraudes & doli malo sunt autori, in eiusq; caput recidunt. Ita contigit Iudæis, qui uolentes perdere Iesum, inciderunt in manus diaboli. Verum hic de hæreticis agitur, recedit enim ab eis diabolus, dum in fide manent, reuertitur ad eos, cum euangelium repudiant.

Qui non est mecum, contra me est. CCCLXX.

Qui non est mecum, contra me est. Prouerbialis sententia, qua diaboli studium notatur, qui cum deo esse noluit.

noluit. Vnde quantũ Iesus mortalium animas seruare cupit, tantum ille perdere ardet. Hodie uero solet quis ea uti, cum uult quempiam clanculariũ significare inimicum, quod illum qui tecum nõ consentit, meritò tibi aduersari iudices. Et ad ciuium seditionem allusum uidetur, in qua solet alius ad aliũm ire ducem, ac cum eo stare, quod in ciuili Romanorum bello contigit, cum ciuitate bifariam diuisa, pars una ciuium Pompeij, altera Cæsaris partes sit secuta.

Qui non congregat mecum, spargit.
CCCLXXI

Ab hoc non admodum abludit illa euangelica metaphora, Qui non congregat mecum, dispergit. Conueniet in eum, qui neglecto bonorũ commercio, nihil commodi præstat, sed ut inutilis sibi & alijs damno est. Vel in eum, cui aliud ab altero quopiam uitæ institutum est, ut quo hic magis aliquid in unũ congerat, ille impendio spargat. In hanc sententiam refertur à Christo apud Matthæum, qui quantopere studebat mortales in suam religionem aggregare, tantopere diabolus illos disgregare conabatur. Tracta est translatio à pastoribus, quod qui appetente uespero, oues cogunt, bene seruent, qui uero per spacium agunt, & non reducunt ad caulam, facile perdant.

Lutum contra figulũ cogitat. CCCLXXII

Vbi quis conatur illum lædere, quem in se uitæ ac necis ius habere non ignorat, quadrabit illud ex Esaia,

Lutum contra figulum cogitat. Nam figulus pro suo iure, & arbitratu, lutum terit, & uersat.

Non sum medicus. CCCLXXIII

Non sum medicus. Ex eodem propheta est, & speciē prouerbij præ se fert. Si quis enim rogatus fuerit auxilium, & uelut impotēs, aut eius artis cuius ope iuuandū esset, imperitus illud ferre nequiuerit, cōmodum respondebit, Non sum medicus. Et ad id alluditur, quod medicus soleat cunctis corporis morbis æque mederi.

Num & Saul, inter prophetas? CCCLXXIIII

Saul Iudæorū rex cum audiuisset Dauid quem capitali odio insectabatur, contulisse se ad Samuëlem in Ramatha, misit alios super alijs lictores, qui eum caperēt. Verum illi cum appropinquassent, dei numine repente afflati unà cum alijs prophetis, qui eo loci aderant, aderant autem multi, uaticinari cœperunt. Saul de ea re certior factus tantum abfuit, ut miraculo moueretur, à destinatóue facinore desisteret, uti etiā maiore percitus ira eò quamprimū ire pergeret, cum ecce tibi & ipse diuino imbutus spiritu subito uaticinatus est. Historia id facti noscere uolentibus haud clàm esse potest, in primo enim regum libro, in uno uel altero loco tangitur. Fuit ea res cunctis iuxtà admirationi, ut homo minime mundus diuinitus uaticinaretur. Hinc itaque exiuit in prouerbiū, Num & Saul, inter prophetas? subaudias, receptus, uel annumerandus est? Quippe qui haud ob id, postea errores deposuit. Aptabitur cōmode in eum, qui

qui doctiusculus ilico effectus grandia ex tempore deblaterare cœperit. Vel in quemlibet, qui cuiuspiã artis uix degustatis principijs, proteruiter perinde quasi peritißimus iactarit scientiam. Vel demũ in eum non insãcete torquebitur, qui sanctior statim factus, paulò post sese ad pristinos reuocarit mores.

Percußit Saul mille, & Dauid decem millia.

CCCLXXV

Cum Dauid singulari certamine uti in prænotato libro est, superasset Goliath Philistinorum fortißimũ, eiusq; caput uelut certum adeptæ uictoriæ signum Hierosolymam ferret, quacunq; ibat, mulierum in primis chorus cum symphoniacis pueris, obuiam ei fiebat ut triumphanti dulciter cantillans, Percußit Saul mille, & Dauid decẽ millia. Est ad illud allusum, quod quanquam rex ipse Saul paulò ante Philistinorũ exercitum bene multis illorum interfectis, profligarat, attamen quia casus Goliath ita suos consternauit, ut raptim fugam fecerint, cum præsertim nemo homo in ea gente par Goliath iam superesset, plus omnino nominis acceßisset Dauid. Quæ quidem cantilena uelut uirtutis nobile præconium iam olim apud omnes gentes, in prouerbium abijt, quo uti licet, cum uolumus quempiã ob aliquod insigne facinus, ad cœlum laudibus ferre. Ita enim fit gratius, quod non sine comparatione cõmendatur. Nihil item minus prouerbiale erit, si cum ironia, in uane gloriosum hominem iactaueris.

Vox sanguinis clamat de terra. CCCLXXVI

Vox sanguinis clamat de terra. Metaphora prouerbialis ex eo deducta, quod effusus cruor animum intuentis moueat ad ulciscendum mortem occisi, cui locus appositus erit, cum innuetur quippiam nefariũ scelus esse dignum uindicta. Ad hoc pertinet illud Genesis in Cayn à domino dictum, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, de terra.

Sine sanguinis effusione, non fit remißio.
CCCLXXVII

Vbi callenter significamus non esse condonandam noxiam, sine noxa, hoc est, culpam, sine pœna, recte usurpamus illud apostoli ad Hebræos, Sine sanguinis effusione, non fit remißio. Quod affine est superiori, & eos iudices tempestiue admonet, qui de capitalibus criminibus nullum supplicium sumentes, tantũ ex usu suo peccãtes multant, unde illi mox audaciores effecti, facile maleficia iterant, ad multorũ perniciem. Vel eos ipsos qui talia ædunt scelera, ante omnes deterrere debet, quãdo per hoc, iam satis certũ habent, non leuiter se cõmissa flagitia expiaturos. At Paulus eo in loco agit, de more purgandorũ peccatorũ, apud Hebræos, qui significabat futurum, ut Christus suo proprio sanguine nostra aliquando redimeret peccata.

Ab impijs egredietur impietas.
CCCLXXVIII

Ab impijs egredietur impietas. Prouerbium est Hebreorũ,

bræorũ, quo significatur malum hominem plurimũ à malo, ita uolente iustitia, punitũ iri, quod hodie uulgò ad hunc quoq; modũ dictitatur, Tonsor nouit tondere tonsorem, Quod accidit, cum parricida parricidam necat, fur spoliat furem, sacrilegus sacrilegum mactat, superbus superbum deprimit. Hac de causa, Dauid ut homo minime nocens manum abstinuit à cæde Saul, dicens: Vlciscatur dominus me ex te, manus autem mea non sit in te, sicut & in prouerbio antiquo dicitur, Ab impijs egredietur impietas. Potuit enim regem in spelunca, uti in primo regnorũ traditur, interficere. Sed istud non adagiũ modò, uerumetiam oraculũ dixerim, quia quotidie ita usu uenit, ut homines improbi mutuò sese mucrone conficiant. Quocirca minus interdum mirandum est, si quispiam cuius nullum insigne crimen pateat, crudeliter iuguletur, nam tale quid fortasse antea perpetrarat, unde ipsi uices per hunc modum redditæ. Atq; ita impietas ab impijs proficiscitur.

Adulterinæ plantæ non dabunt radices altas. CCCLXXIX

Adulterinæ plantæ non dabunt radices altas. Ex sapientiæ libro est, ubi perperã scriptũ leges, Spuria uitulamina. Sumpta allegoria ab arboribus adulterinis, hoc est, ab ijs, quæ iam syluestres effectæ sunt, quarum plantaria uel nunquam bonos faciunt fructus, uel male radicata cito arescunt, cui locus apposite erit, cum significabimus malum genus hominũ haud diuturnum

fore. Sed in nothos, id est, ex uxore non legitima natos aptius accōmodabitur, quod illi aut à parentibus ne-glecti, aut inopia preßi raro bene educantur.

Nemroth robuſtus uenator. CCCLXXX

Cum libuerit taxare quempiam uirum fortem, at flagitiosum, quod rapina uiuat, quod opprimat quoſcunq; poßit, tyrannorū more, ueteri prouerbio appellabimus Nemroth *robuſtū uenatorem. Facta alluſione ad* Nemroth *nepotem* Noë Chusi *filiū. Is enim homo audacia præditus,* Babylone *tyrannidem exercuit, & uenator nuncupatus eſt, quod regnandi cupiditate actus uenatoris ritu, cunctos ſine diſcrimine, bonis ſpoliare, ſuoq; parêre imperio ſubigere conatus eſſet. Vnde de eo nata eſt apud* Hebræos *parœmia,* Nemroth *robuſtus uenator. Quæ in geneſis libro refertur cap. x.*

Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributū? CCCLXXXI

Nabuchodonoſor rex Babylonius cum deuictis Iudæis tum cæteris quibus imperabat, populis ingens tributum impoſuit, illudq; exigebat crudeliter. Verum eo uita defuncto, Iudæi in primis eiuſmodi onere paulatim ſubleuati ſunt, qui eius rei admiratione moti ac gaudio exultantes cœperunt loco prouerbij iactare, Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributū? Quod ab Eſaia refertur. Congruet, quoties innuerimus ſublato tyranno, uel quouis peſtilente homine uelut malorum capite, populum eſſe oppreßione liberatum.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

CCCLXXXII

Facit uel ad hoc ille eiusdem farinæ uersiculus psal. cxxiij. iam olim uulgò celebris, Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Nam si laqueus qui feris aut auibus tenditur, infractus sit, dubium non est, quin ipsæ feræ iamiam periculum euaserint. Ita auari principes nouis quotidie promulgatis quæstuarijs legibus, populum irretire student, ut qui parum aberrauerint, grauiter multentur.

Canem mortuum, uel pulicem unum persequi.

CCCLXXXIII

Canem mortuum, uel pulicem unum persequi. Idem Dauid hac prouerbiali figura arguit Saul sæuitiæ, simulq; docuit, non esse honori principi humilem oppugnare hominem, & sese præ magnitudine regiæ maiestatis, cani mortuo, quem ne canes quidem tangunt, & pulici quem uel pedibus incautum crebro terimus, pro animi modestia, comparauit. Conueniet, si quando innuerimus turpe esse potenti ac ualenti uiro, diuexare infirmum, uel diuiti debacchari in pauperem.

Offeras primum pacem. CCCLXXXIIII

Præscriptum militare apud Hebræos erat, ut bellando, cum ad aliquod oppidum oppugnandum adirent, quamprimũ oppidanis pacem offerrent, ne iniusta mouere arma uiderentur. Id postea ut aiunt, in prouerbiũ ceßit, cuius Ioab, qui dux fuit belli, principe Dauid,

ab Abelina muliere admonitus abstinuit ab obsidione Abelæ ciuitatis, tantū potitus capite Sibæ aduersarij, qui in eam se cum armatorū manu receperat. Historia gestæ rei est in libro regnorū secundo. Ab hoc autem adagio possunt nonnulli principes Christiani exemplū modestiæ clementiæq; facile mutuari, qui ob minimum delictum, ne dicam, ob cupiditatem explendæ auaritiæ, crudelitatis, ac libidinis regnandi, non pacem sed ignem ciuitatibus offerunt, & ante omnia ciues ad cædem, uniuersa bona ad prædam, mulieres ad stuprum sibi suisq; militibus tam inhumanißime quàm importunißime destināt. Istiusmodi perniciosa ac feralia edicta tempestate etiam nostra ueluti trophæa aliquot nostri christiani orbis ciuitates non utique incelebres & uidere, miserabiliterq; sensere.

Venite in Esebon, & ædificetur ciuitas Seon.

CCCLXXXV

Venite in Esebon, ædificetur & construatur ciuitas Seon. Adagium Hebræis tritißimum de eo loco, qui patebat inimicorū iniurijs, qui sæpe dirutus à nouis possessoribus rursum ædificabatur. Cuiusmodi sunt oppida ad alicuius prouinciæ fines pertinentia, quæ modo unius, modo alterius ditionis fiunt, prout sors belli fert. Refertur adagium & origo sic in Numeris: Vrbs Esebon fuit Seon regis Amorei, qui pugnauit contra regem Moab, & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon. Iccirco dicitur prouerbio,

Venite

Venite in Esebon, ædificetur & cōstruatur ciuitas Seon, & reliqua. Seon enim Amoreorū rex sumpto bello aduersus Moabitas, ciuitatem Esebon penè funditus euertit, quam deinde iure belli partam rursus condidit suis Amoreis in Moabitarū suggillationem paßim canentibus, Venite &c. Hanc urbem postea Israël ipsis Amoreis ademit, ut inibi proditur.

Mercenarius præstolatur finem operis sui.

CCCLXXXVI

Cum notauerimus quempiā non animaduertere quid se deceat, quidúe officij causa facere debeat, sed lucro tantum suo esse intentū, ad illudq́; gnauiter inuigilare, prouerbialiter dicemus, Mercenarius præstolatur finem operis sui. Quoniā mercenarius finito opere, tum demum laboris mercedem accipit, qui nihil aliud expectat. Et in hanc sententiam refertur à Iob. Vel alius est usus, cum significamus aliquem spe præmij non sentire laborem, ac per hoc, illi tempus cito labi. Ad hoc respexit Esaias dicens: Quoniam hæc dicit dominus quasi in anno mercenarij. Ita ostendit omnem gloriam Cædar breui casuram.

Si non fuerint saturati, & murmurabunt.

CCCLXXXVII

Quid, quod ille prophetæ uersus è psalmo lviij. Si non fuerint saturati, & murmurabunt, paßim hodie uice prouerbij uulgò iactatur in homines gulosos, quibus uentris farciendi cura præcipua est? quippe qui ca

num ritu, cœnas ac prandia, & illa quidem opipara hostiatim quæritant, & si usq; ad uomitũ forte non fuerint saturati, per triuia ipsis cõuiuatoribus proteruiter detrahent, perinde quasi precio edissent. Hinc proinde *scitus cõuiuator discat tales cauere uentres ad cõsumendas tantum fruges omnino natos, quibus quod datur, male collocatur, & quod non datur, alijs bene meritis usui esse potest.* At *propheta inibi de ijs sermonẽ habet, qui secundum literã, circuncisione corporis, & pecudum nece, sacrificando nitebantur, qui licet nihil propterea mererentur, attamen murmurabant aduersus deum, quod ob illas cærimonias & si nudas uanasq;, nullo afficerentur cœlesti præmio.*

Vita hominis militia est. CCCLXXXVIII

Vita hominis militia est. Elogium prouerbiale Iob, *quo ille uitam humanam bellißime, ac non sine prouerbij nomine pinxit, cuius profectò neminem unquã meminisse pigebit.* Q*uemadmodum enim in bello nihil tutum, nihil ab insidijs uacuum, ac quietis nihil, interdum famis, interdum sitis, aliquoties frigoris, aliquoties æstus ui maxima urgente, omnia insuper uulnerũ plena, cædis & mortis, timor continuus, pugna perpetua, parum lætitiæ, parum securitatis, quãdo ipsius belli euentu incertius non est aliud quicquam, unde fit, ut uictor à uicto crebro uincatur, & uictoria plurimũ cruentosa.* Ita *humana uita nunquam periculorũ, nunquam laborum expers, semper alterius sortis timens,*

semper

ſemper animi pendens, ſolicita, anxia, miſera, caduca, ſexcentis obnoxia malis, modo læta, modo triſtis, modo ſana, modo ægra, nunc cum animi affectibus, nunc cum corporis uoluptatibus conflictatur, nunc cum inuiſibilibus dimicat aduerſarijs. Vnde apoſtolus ad Ephe ſios: Non eſt nobis colluctatio aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. &c. Item rerum omnium indiga, inconſtans, quæ neque copia ſatiatur, nec inopiæ eſt patiens, ſic, ut mediocritatis modis omnibus nunquam ſit particeps, & ad extremum ſui ipſius exitus penitus ignara. Hæc igitur militaris uita eſt, quam uiuimus, cui ante finem belli triumphare non permittitur, uti illud indicat,

Qui perſeuerauerit uſque ad finem, hic ſaluus erit. CCCLXXXIX

Qui perſeuerauerit uſque ad finem, hic ſaluus erit. Iſtud Chriſti oraculũ hodie paßim prouerbij uice nullius noſtrum in ore non eſt, cum uult innuere debere unumquenque omnibus horis eſſe bonitatis amantem, atq; ne digitum quidem à recto diſcedere, & quicquid aduerſi contingat, illud magno ſuſtinere animo, quo ultimus dies qui de omnibus haud perperam iudicat, reddere præmium laborũ iure queat optimo. Sanè, uti diuus ait Hieronymus, non cœpiſſe, ſed perfeciſſe, uirtutis eſt, quoniam nobis ante exitum uitæ cuncta ſunt

incerta. Quod propheta Ezechiel perspicue demonstrat, inquiens: Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Proinde usque ad finem, ut dominus consulit, pugnandum est, inter eiusmodi mutabiles rerū uices, quas proxime præstrinximus, ac illud sedulo studendum, ut in officio integritatis continenter maneamus, cum mortalium nemo antea ut dictum est, dici queat beatus. Quamobrem Christus ad hunc modum hortatus est suos apostolos ad perferendas afflictiones, quas erant ab impijs idolorum cultoribus passuri, quæ illis postremo certam peperere salutem.

Omnia quæcunq; uultis, ut uobis faciant homines, sic & uos facite illis. CCCXC

Præscriptum Christi in adagium olim apud omnes mortales uersum, Lex enim naturæ hæc est, & omniū regina, qua secundum ipsam naturā, iubemur non lædere, non nocere, non detrahere aliquid cuiquam, quo sic humana seruetur societas, quā dirimere magis contra naturā est, quàm mors, quàm dolor, quàm egestas. Quare scite admodum Cicero in officialibus libris ait: Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut & eadem sit utilitas uniuscuiusque, & uniuersorum, quam si ad se quisquam rapiat, dissoluetur omnis humana societas. Hæc Cicero. At nemo homo in ea re peccabit, si memor prouerbij huius, non fecerit alteri, quod sibi

fieri

fieri non uult. Hæc autem nos quàm maxime hortantur ad liberalitatem, beneficentiã, & popularitatem, tam maxime deterrent ab alieni detractione, offensione, atque omni dolo & fraude.

Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. CCCXCI

Manus eius contra omnes, & manus omniũ contra eum. Ecce præmium uiolatori legis naturæ debitum, qui ab omni humanitate & gratia abhorrens, aduersariorum quos sibi fecit, telis conficitur. Quadrabit in hominem seditiosum, peruersum, rapacem, quietis & pacis inimicum, cui apprime rixæ, discordiæ, simultates, rapinæ, cordi sunt, adeò ut nunquam careat aduersarijs, à quibus dilaceretur, uexetur, perturbetur perpetuò. Sed ad uaticiniũ ueniamus, quod adagij forma, uti ostendimus, non uacat. Ita Agari ancillæ Aegyptij generis diuinitus nunciatum fuit, quandoque futurum, ut Ismaël eius filius, quem ex Abraham genuerat, autor noui generis in terra Arabia esset, quod non potuit fieri, nisi per uim ea loca de Arabibus caperentur. Equidem hinc potißimum discordiæ gignuntur, quia dum pro se quisque sua tueri nititur, necesse habet resistere ijs, qui bona per iniuriam auferre contendunt. Non caruit successu oraculum, nam Ismaël duodecim genuit filios, qui teste Iosepho, omnem eam regionem, quæ ab Euphrate flumine, ad mare Rubrum pertinet, occuparunt. Vnde Ismaëlitarum genus, qui deinde

Agareni dicti sunt, & ut Eusebio placet, postremo Saraceni. De hac historia abunde fit mentio in Genesis libro cap.xvi.

Sensus hominis proni ad malum. CCCXCII

Sensus corporis in homine ratione orbato in malum proni sunt, quod ducant ipsum hominem ad delectationes, quales sunt aurium, oculorum, tactuum, odorationum, & saporum. Istæ autem, teste Cicerone, in Tusculanis, habentur omnes unius generis, ad perfundendũ animũ, qui in eiusmodi delectatiōibus facile marcescit, nisi ratio modum ponat, reuocetq; eum ab assensione. Atque ita intelligentia in sensibus uitiosa esse potest, de qua idem Cic. in Horten. late edisserit. Hinc in adagiũ illud domini oraculum, Sensus hominis proni ad malum, quod in geneseos libro refertur, uersum est in eos, qui more brutorum, eiusmodi sensibus minime sanis ducuntur. At si sani sint, & ratione moderentur, tunc in ijs maxima ueritas atque utilitas existit. Sed quotusquisque est, in quo diu sani esse poßint, cum id per animi affectiones minus omnino fieri liceat? Ex quo in eos, qui ita uincuntur, illud conueniet,

Computruerunt iumenta in stercore suo.

CCCXCIII

Computruerũt iumenta in stercore suo. Metaphora ualde prouerbialis à Ioël propheta usurpata, ad denunciandum tribubus Iudæ & Hierusalem uim futuræ cladis, cum uel iumenta fame peritura essent. Elegãter hærebit

hærebit in homines sceleratos, quibus fœde uiuendo, mors turpis accidit. Ex eo figura deducta, quod iumenta morbo uel fame debilitata iacendo super suum stercus, uitam finire soleant.

Qui soluerit pactum, nunquid effugiet?

CCCXCIIII

Sententia Ezech. prophetæ ualde mehercule prouerbialis, & præsertim memoria nostra, cum fidem fallere, bene multi nihil pensi habeant, perinde quasi in iureiurando quo fides datur, nulla insit religio. Igitur in parœmiarũ numerum duximus meritò referẽdam, quæ dubio procul ex usu legentium erit, cum ex prophetæ oraculo, perfidos tandem aliquãdo daturos pœnas intellexerint, quod sentit Sedechias rex Iudæorũ. Hunc Nabuchodonosor rex Babylonis postquam Hierosolyma potitus est, præfecit suæ genti, exacto ab eo iureiurando. Ille postmodum amicitiam perfidiose aspernatus cum Aegyptijs clandestina consilia contra Babylonium, conferre cœpit, sed re cognita, dum salutem fuga petit, capitur cum filijs, quibus necatis, ipse luminibus priuatur. Historia in regnorũ libris obuia est. Hinc propheta inclamat: Qui soluerit pactum, nunquid effugiet? Teneant memoria eiusmodi oraculum nonnulli principes nostri, qui noua quotidie fœdera inter se faciunt, ueterum semper obliti, quos credere licet, fidem dare, secũdum illud Euripidis, quod Cicero in offic. refert. Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Ex quo sine fine, bellū alij alijs faciunt, dum unusquisq; id quod in rem suam fore iudicat, nō quod liceat, & honestum sit, sequitur, qui tamen non effugiunt. Vidimus principes permultos propter iusiurandum uiolatū, uita nōnullos spoliatos, alios regno deturbatos, alios cladibus affectos. Hinc apparet Ciceronis sententiam longe uerißimā esse, qui in Offic. probat ea quæ honesta nō sunt, ne utilia quidem esse. His exemplis generatim omnes moniti uocem prophetæ uacuo animo audiant, ut eam altius in pectore condant, qui iurare idem atq; peierare ducunt, & utrunq; precio interdum faciunt.

Noli respicere post tergum. CCCXCV

Ad prouerbij formā attinet illud, Noli respicere post tergum, quod euitandi periculi causa, Loth ab angelis præscriptum est. Recte ei accōmodabitur, quem admonuerimus non debere studiosius quærere, quid sit futurum cras, ut ne frustra in re uexetur, quam ut futuram certò scire non poßit. Videtur sumptum à fugientibus, qui sibi timentes soleant respicere, an sint, qui à tergo sequantur, ac ita interdum ea interposita mora, ab insequentibus intercipi.

Bos cognoscit possessorem suum. CCCXCVI

In eum qui agnoscit beneficia, & obseruat illū, à quo acceperit, belle congruet illa prouerbialis metaphora ab Esaia usurpata, Bos cognoscit possessorem suum. Potest non minus concinne in ingratum torqueri, argumento à minore sumpto, si enim bos animal stolidum

suum

ſuum noſcit, noſcit autem recte bubulcum, cum præſertim ille bubulcat, is meritò in brutis habendus, qui à boue intelligentia uincatur, ut de ſe bene meritos nō agnoſcat. In hunc ſenſum propheta aduerſus Iudæos, quod non eſſent cognituri filiū dei, cuius populus dicebātur, uſus eſt. Huc uel pertinet illud ex eodem propheta: Filios genui, & exaltaui, ipſi autē ſpreuerunt me. De eo, qui hominem ingratum, ac aliquando per occaſionem nociturū amore proſequitur, ac fauore, & gratia complectitur. Ita Iudæi deū patrem creatorē neglexerūt, Chriſtum eius filium ſeruatorem occiderunt.

Arare boue & aſino. CCCXCVII

Arare boue & aſino, eleganti atq; prouerbiali allegoria quis dicitur, cum neſcit officia diſtribuere, Verbi gratia, Si quiſpiam adhibeat ad conſiliū de rebus grauioribus habendum, citharœdum, aut muſicū, in quibus ſumma ſemper eſt leuitas, item ſi ad ius dicendum, theologum iuriſconſulto adiungat, uel ad diſputationē diuinitatis habendam, iuriſperitum theologo copulet, aut uirilia munera mandet fœminæ obeunda. Et deniq; ſola diſtantia, atq; ineptitudo locū prouerbio facit. Figura inde ducta, quod aſinus ferendis ſarcinis ualet, nō item aratro trahendo, contrà quàm bos ualentiſsimus ad arandum, tam ineptiſsimus ad onera importanda. Nos autem per eiuſmodi allegoriam monemur uniuſcuiuſq; hominis ea in re opera uti, qua ille ualeat. Refertur in deuteronomio in hanc quoq; ſententiam.

Velamen ante oculos ponere. CCCXCVIII

Sedes princeps pudoris in oculis atque genis existit, quod in his aduentante pudore, rubor repente ostendatur, illi sua sponte se demittant. Ponere igitur uelamen ante oculos, est uelare, ut ne pudeat. Ita Abimelech Gerarae rex Saram Abrahae uxorem quam rapuit, credens esse illius sororem, sic uir ob metum, eam appellabat, posteaquã uiro reddiderat, ac non mediocri pecuniae summa eum donarat, consolatus est, atque ab omni infamia & pudore uacuam facere studuit, dicens: Ecce, mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in uelamen oculorũ ad omnes, qui tecum sunt. Quod perinde fuit, ac si dixisset, Ecce, non affeci te iniuria, sed beneficio, atque haec purgatio tua erit, hoc seruatae pudicitiae testimonium. In geneseos libro nota est historia. Conuenerit quoties significabitur, per aliquod egregium facinus, pudorem procul actum, & quicquid labeculae suspicio aspersisset, illud iam deletum. Vel simpliciter quis dicetur uelamen oculis obduxisse, cum nihil erit, quod pudeat. Aut si libet in malam partem capere, Velamen ob oculos ponere quempiam dicere possumus, qui impudentissimus est, & nescit agnoscere scelus, secundum illud adagium, quod alibi retulimus, Perfricui frontem. Huc alludit Petrus apostolus epistola prima, capite secundo: Charissimi obsecro uos. & subdit: Quia sic est uoluntas dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus ignorantibus tanquam liberi, & non

& non quasi uelamen habentes. Item ponere uelamen teste Origene, quis scienter dicitur, qui non uult intelligere. Ille enim disserens hunc Exodi locum: Moses impletis sermonibus, posuit uelamen super faciem suã, ait: Ille qui abscondit aures suas, ne audiat, & terga in faciem legentis obuertit, dicendus est uelamen habere superpositum cordi. &c. Vel cum uolumus notare hominem iampridem minime insolentem infamiæ, eleganter licet dicere, eum uelamen ante oculos posuisse, ut deinceps non audeat, propter eiusmodi infamiam, tollere oculos, aut circumspicere, Sapientia dicente: Dum putant se latere, in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis uelamẽto dispersi sunt. Leges ista cap. xvij. in libello Sapientiæ.

Cor contritum & humiliatũ, deus non despicit.

CCCXCIX

In eum qui ob peccatum, accipit dolorem, & animũ quamdemissißimũ, subiectißimumq; gerit, adeò ut uenia dignus esse putetur, id enim deus in primis purgationis genus admittit, congruet illud prophetæ è psalmo quinquagesimo, Cor contritum & humiliatũ deus non despicit. Sequitur, ut eo magis homo homini parcere debeat, si pœnitentiæ signum eiusmodi apparuerit. Conterere autem, est affligere sese, dicente uel Hieremia: Contritum est cor meum, in medio mei, & contremuerunt omnia ossa mea. Et humiliare, eo uerbo non nemo & si nescio, quàm bene, utitur, humilem,

hoc est, summissum reddere. Illud pœnitentiā, hoc man suetudinis perseuerantiam indicat. Cæterum cor teste Plinio, unum ex uisceribus, fons est uitæ, in quo habitat mens, omniumq; sensuum ac uenarū receptaculum inest. Hoc proinde ponitur, pro ingenio, prudentia, memoria, intelligentia, sapientia, fortitudine, perspicuitate, concordia, discordia, amore, uoluntate, delectatione, audacia, ferocia, ignauia, stultitia, duritia, grauitate, & crudelitate. Vnde cordatus homo, corculum, concors, recordor, excors, uecors. Hæc autem significata paßim in sacris literis prouerbialia reperiuntur, ita ut tot indidem adagia orta sint, quot eius propè uocabuli usus sunt. Quare operæprecium duximus, ex illis nonnulla colligere digna proculdubio istiusmodi prouerbiorum libello.

Cor obcæcatum. CCCC

Eius cor obcæcatū prouerbialiter habetur, qui continenter in errore uersatur, & non animaduertit, quid sibi expediat. Esaias: Excæca cor populi huius. Quod perinde est, ac si dicat, Aufer intelligentiam. Ad id alluditur, quod si Iudæi ad quos in primis seruandos Christus est missus, intellexissent, reliqui mortales non ueniente Christo, in errore perpetuo fuissent. Marcus de simili cæcitate ait: Erat enim cor eorum obcæcatum. Et apostolus ad Ephesios: Alienati à uita dei, propter ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum.

Væ, qui

Væ, qui profundo sunt corde. CCCCI

Væ, qui profundo sunt corde. Licebit accõmodare, cum innuerimus illos plurimũ decipi, qui sua prudẽtia, uel scientia nimium nituntur. Eo pacto Iudæi præ sua sapientia, dei scientiam nõ magnificiebant. In eos Esaias clamat: Væ, qui profundi estis corde, ut à domino abscondatis consilium. Hinc colligere licet omnem ingenij nostri perspicuitatẽ obtusam esse, & propterea non debere nos nimiũ nobis sumere, ut ne scientia nobis damno sit. Metaphora inde deducta, quod profunditas immensa est, atq; nõ facilis cognitu, quatenus uelit quis eam metiri, ut cor, id est, scientia longe maxima sit.

Væ duplici corde. CCCCII

Simplex si quid sit, id facile undiq; uideri, circũspici, tangi potest, contrà duplex neq; totum cerni, neq; quaquauersum adiri. Vnde factum, ut quis purus, uerus, syncerus, & apertus, dicatur simplex. & duplex, in quo nihil nisi tectum, nihil nisi simulatum sit, quod & deo & hominibus sic inuisum est, ut qui eiusmodi artificijs instructi sunt, uno uel altero tẽpore pœnas scelerũ omnino luant. Ex quo in ecclesiast. libro inclamatur: Væ duplici corde. Id quod iamp ridẽ in prouerbij consuetudinem uenit, in homines fallaces suis se dolis modis omnibus tandem aliquando perdituros.

Elatum cor. CCCCIII

Pars uanitatis summa est, ob res secundas, uel opes, uel quauis alia de causa, efferri, extolli, gloriari, dicẽte

Ciceronc in officialibus libris: Atque etiam in rebus prosperis, & ad uoluptatem nostram fluentibus, superbiam magnopere, fastidium, arrogantiamq; fugiamus, nam ut aduersas res, sic secundas immoderate ferre, leuitatis est. Hæc ille. Nempe ea munera partim temporum, & fortunæ caduca sunt, partim uirtutis & ingenij, nihil habent cõmune cum superbia, quæ uitiũ est, & suos cultores plurimũ perdit, quod Oziæ regi accidit. Is ob multas uictorias de hostibus partas, ac rerum opulentiam, usq; eo factus est superbus, ut uellet in templo adolere thura deo, quod ad sacerdotis officium pertinebat, quamobrem subito lepra correptus ad ultimũ ea lue imputruit. Nota est historia libro Paralipom. secundo, ubi refertur: Ozias cũ roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suũ. Hinc modus iste loquendi in prouerbiũ abijt. Quadrabit autem in eum qui opulentia, potentiáue effertur, altumq; gerit animum, & uanitatis plenus, solũ in opum ostentatione, honorum eminentia, uestituum splendore acquiescit, & deniq; præ se, cunctos mortales contemptui habet. In hunc Cicero in amicitia uerissime ait: Insipiente fortunato intolerabilius neq; quicquã fieri potest. Nimirum id nõ sapientiæ est, sed potius stultitiæ. Atq; hic loquendi modus passim prouerbialis in sacris literis inuenitur. Ezechiel: Et eleuatum est cor tuũ, in decore tuo. Item psal. lxiij. Accedet homo ad cor altũ. Et Machabæorum libro primo: Eleuatum cor eius.

Cor

Cor magnum. CCCCIIII

Cor magnum pro fortitudine, & audacia, uulgò capitur. Machabæorũ in fronte libri secundi. Det uobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis eius uoluntatem, corde magno. Nemo non hodie hac prouerbiali figura utitur, cum de homine ualente, magno excelsoq; animo prædito sermonẽ habet. Figura est, ut dixi, quia animalia audaciora existimãtur, quibus est paruũ cor, & pauidiora, quibus prægrande. Cuius rei rationem Aristoteles tradit, quod corda grandiora minus caloris cõtinent, quàm pro sua magnitudine, necessariũ sit, ut enim in paruo, et magno domicilio tantundem ignis nõ æque calefacit, sed minus caloris in magno sentitur, sic in ampliore corde, naturalis calor minus agit quàm in mediocri, quo fit, ut sanguis frigidior sit, ex quo prouenit metus. Ad id etiam propheta Amos respexit inquiens: Et robustus corde inter fortes, nudus fugiet.

Cor leonis. CCCCV

Quid, quod ista prouerbialis comparatio in cognomen iuit fortissimorum hominum? siquidem Ricardus Anglorũ rex eius nominis primus ob excellentem animi magnitudinem, Cor leonis appellatus est, quod in nostra historia anglica fusius exposuimus. Ex secundo regnorũ libro schema desumptũ, ubi scribitur: Et fortissimus quisq; cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur. Ad id alluditur, quod leo sit animaliũ fortissimus, & cor audaciam ac ferociam designet.

Habere cor, Non habere cor. CCCCVI

Ille trito iam sermone prouerbio dicitur habere cor, qui firmißimus est, contra periculũ, metum, atq; mortem. Non habere cor, aptatur ei, qui minus intelligit, qui minus considerat, qui minus sapit, & qui denique desidiæ deditus omnia effœminate, ignauiterq; facit. Declarat id Hieremias: Audi popule stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non uidetis, & aures, & non auditis. Habere cor mulieris. Effertur etiam hoc modo ad socordiam, atque infirmitatem denotandam, testis Hieremias. Speciatim in eos congruit, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorũ apparet.

Vnum cor. CCCCVII

Vnum cor locũ prouerbio facit, cum magna animorũ cõsensio significatur. Hieremias: Et dabo eis cor unũ. Idem Ezechiel cap. xi. refert. Et in actis: Multitudinis autem credentiũ erat cor unum, & anima una.

Cor diuisum. CCCCVIII

A superiore illud discrepat, Cor diuisum, cum studiũ unius non consentit cum alterius studio. Ab Osee usurpatur dicente: Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Hinc disce omnis labis qua mortales inter se digladiantes afficiuntur, caput existere.

Prauum cor. CCCCIX

Prauum cor. De ijs, quibus fraudes, & doli cordi sunt, atque nihil est prius, quàm callida, & malitiosa interpretatione, astutiáue, sæpius mendaciũ ueritate, & menda-

& mendacio ueritatem colorare. Hinc Hieremias clamat, Prauum cor hominis.

Cor hominis immutat faciem. CCCCX

Cor hominis immutat faciem. Ex ecclesiastici libro, dictum prouerbio celebratum, cuius usus peropportunus erit, cum innuerimus ex uarietate uultus, qui in facie apparet, omne elucere cordis arcanũ. Porrò licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu cõmoti sunt, aut uoluptate nimia gestiunt, quorum omnium uultus, gestus, uoces, motus, statusq; mutantur. Allusio inde deducta, quod cor mentis, & sensuum uti suprà est dictum, sedes sit. Atque ita facies certa existit cordis index.

Cor regum inscrutabile. CCCCXI

Cor regum aliud sit ab aliorũ cordibus, necesse est, quãdo hæc per faciem indicem, sicut suprà patet, perspici possunt, illud uero incomprehensibile est, quoniã regibus quicquid lubet, licet. Quapropter eorum uoluntates, uti præclare ait Sallust. plerunq; ut uehementes, sic mobiles, & sæpe sibi aduersæ sunt. A Solomone refertur, & hærebit in eos principes, qui fidem, qui rectum, qui honestũ utilitate metiũtur. Vel in alios, quando eiusmodi rei infimus quisq; pro se facile studet.

Secundum cor. CCCCXII

Quicquid sub manus succedit, hoc est, ad optatũ contingit, id secundum cor, trito iam uulgi sermone, fieri dicitur. Per hoc prouerbiale schema, in actis, deus de

Dauid loquitur: Inueni Dauid filiũ Iessæ uirum secundum cor meum. Accõmodabitur unicuiq;, qui ex animi sententia, factus fuerit uoti cõpos. Sed quatenus id factũ iri speres, audi prophetã ipsum docentem: Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Ego dormio, cor meum uigilat. CCCCXIII.

Cantica prouerbiali specie canunt, Ego dormio, cor meum uigilat. Pro eo habendum est, atque si dixisset, Ad peccata populi conniueo, mox de eo suppliciũ sumpturus dei persona agitur. Cæterũ competet, cum quis innuerit se artificio agere, ac studio suæ causæ indormire, quã est deinde strenue acturus. Vel simpliciter quando aliquis pro loco & tẽpore tacet, sed interim quid sit facturus, secũ grauiter cogitat, meditatur, deliberat.

Vinum & musica lætificat cor. CCCCXIIII

Vinum hominis mentẽ, teste Plinio, exhilarat. Hinc Vergilius: Adsit lætitiæ Bacchus dator. Musicæ uero dici uix potest, quanta sit uis, cum ad incitandos animos, tum ad delectandos, ac contrahendos, quod declarat Plato, cuius testimonium Cicero de legibus citat, inquiens: Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quàm uarios canendi sonos, quorũ magna uis est, in utranq; partem, nanq; incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Hinc prouerbium natum, Vinum & musica lætificat cor. Extat in ecclesiastici libro, & propheta psalmo centesimo tertio:

Vinum

Vinũ lætificat cor hominis. & alibi: Cantate, & exultate, psallite. Adagium usui erit, cum significauerimus uino, & cantu pellendas esse curas, quibus animus occupatus, facile tristitiam concipit.

Deus scrutator cordis. CCCCXV

Quoties quis innuit humana consilia posse cunctos mortales latêre, non item deum, protinus in ore habet illud Sapientiæ, Scrutator cordis est deus. Sic per id docetur neminem hominẽ debere ex eo minus à scelere abhorrere, quod illud posteaquã ædiderit, putet diutius occultari, qui quemadmodum iam satis constat, in errore est, & aliquando pœnam luet, quoniã eius facta pariter ac consilia deo patent. Atq; hæc sententia non utiq; ab re, in prouerbium cesßit.

In maleuolam animam non intrat sapientia.
CCCCXVI

Non minus & ista Sapientiæ eiusdem sententia loco iampridem adagij recepta in usu frequentißimo est, ubi quis ueterator cæterũ sceleratus quo callidior & uersutior, hoc citius & suijpsius interitus causa est, quod caret prudentia, quæ, teste Cicerone, docet quid expetere, quidúe effugere debeamus. Vel si placet, quod uacat sapientia, quæ est diuinarum humanarumq; rerum scientia, quã fraudibus & flagitijs nemo homo consequitur. Ita sapientia nõ intrat in maleuolam animam, Hoc est, in hominem, quia constat ex anima, qua uiuitur, improbum, maledicum, fraudolentũ, & ad facien

dam iniuriam instructum, cui nihil antiquius sit, quàm omnia studia sua non ad hominũ utilitatem, sed ad maleuolentiã sibi cumulandam conferre. Est in hanc quoq; sententiam apud Græcos elegans prouerbium, Nullus prauus intelligit. Quod Plato in v. de legibus usurpat ita scribens: Atqui quantũ bonum sit, quod præcipitur, suo ordine præparatũ, quantumq; prosit obsequentibus ciuitatibus, secundum antiquũ prouerbium, nullus unquam prauus intelliget, sed expertus duntaxat, & æquis in moribus educatus.

Oculi domini respiciunt fidem. CCCCXVII

In mortaliũ uita, nihil fide præstantius est, hæc enim iustitiæ, ac prudentiæ coniuncta efficit, ut quis iustus ac fidus apud reliquos homines existimetur, & apud deũ charus habeatur, cum nulla alia re cum illis societatẽ seruare, & cum hoc agere poßit. Fides igitur est, per quam nos copulamur deo, & inter nosmetipsos, uitæ quasi cõmunitas continetur, quod Hieremias propheta declarat, inquiens: Domine oculi tui respiciunt fidem. Hinc prouerbio prophetæ uerbum increbuit, quo nobis præcipitur, ut fideliter & deo seruiamus, & inter nos omnia agamus. Ceterũ propheta hoc loco de infidelitate Iudæorũ agit, qui etiam uerberibus corrigi non potuerunt. Vnde illud,

Fides tua te saluam fecit. CCCCXVIII

Quod deus respicit fidem, Mariæ Magdalene ideo exemplum proponam iam prouerbij uice uulgatum.

Ea

Ea peccatrix erat, ut euangelista perhibet, sed plena fidei ueniam à Christo petijt, & obtinuit, cui ille dixit, Fides tua te saluam fecit. Vide proinde, quantũ polleat fides, quam qui perdit, tantum abest, ut ullo habeatur numero, ut iam nihil poßit ultra perdere. Congruit, cum quis ob seruatam fidem, beneficio afficitur.

Aliud uas in honorem, aliud in ignominiam.

CCCCXIX

Ad ostendendam personarũ uarietatem, & liberum alicuius arbitrium, audio paßim istam metaphoram ab apostolo usurpatam adagij nomine iactari. Translatio est à figulo, qui uasa alia fingit, quibus cibaria inferantur, alia in quibus fiat urina. Ita Paulus de misericordia & iustitia dei nos docet, ne quæramus stolide rationem, inquiens: O homo, tu qui es, qui respondes deo? Num dicet figmentum ei, qui se finxit, cur me finxisti ad hunc modum? An nõ habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa, fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uero in ignominiã? Hæc ille. Sic utiliter nos monet, sorte nostra esse contentos. Cæterum pro iure nostro, personã quam agere uelimus, ipsi sumere possumus, itaque se alij ad grammaticam, alij ad medicinam, alij ad ius ciuile, uel pontificium, alij ad philosophiam applicant. Alij uero artificia, & quæstus secuti fiunt mercenarij, mercatores, sarctores, lanij, piscatores, portitores. Cæteri à parentibus instituti agriculturam exercent. Ac ita sua quisque arte quam

ſponte didicit, ſit contentus, perinde ac iſto prouerbio apoſtolico perſpicue docetur.

Non eſt acceptio perſonarum apud deum.

CCCCXX

Non eſt acceptio perſonarũ apud deum. Conſuetudo tenet, ut uel hæc Paulina nobilis ſententia loco prouerbij habeatur, in eos, qui diuini inſtituti obliti, hos amore, quod ciues, illos odio quod peregrini ſint, perſequuntur. Sed in malos iudices aptius torquetur, qui iudicando hominũ perſonas, non iuſtitiam reſpiciunt. In impietate omnia iſta habenda ſunt, eodem apoſtolo ad Ephesios docente: Hortor itaque uos ego uinctus in domino, ut ambuletis. Et ſubijcit: Vnus dominus, una fides, unũ baptiſma, unus deus, & pater omniũ. &c. Hinc intelligitur homini Chriſtiano Chriſtianum non eſſe alienum, quemadmodum de hac re in cõmentariolo noſtro in dominicam precem demonſtrauimus, cum deus ſit pater omnium. Quid, quod & Cicero in officijs, perſonarũ reſpectum non habendum iudicat? Male etiam inquit, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosq; exterminant, ut Peneus apud patres noſtros, Papius nuper. Nam eſſe pro ciue, qui ciuis nõ ſit, rectum eſt, non licere, quam tulerunt legem ſapientiſsimi conſules Craſſus, & Scæuola, uſu uero urbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. Et Plato in v. de legibus, de eadem re ita præcipit: Ad peregrinos uero ſanctiſsima eſſe fœdera, quiſque cogitet, ferme enim

omnia contra peregrinos peccata, præ illis quæ inter ciues cõmittuntur, ultori deo curæ sunt. Nam cum peregrinus amicis cognatisq; careat, maiorem & apud deum & homines meretur misericordiam. Hæc Plato. Cæterũ Paulus ita Iudæorũ insolentiam coërcere conabatur, qui se propiores deum, leuiter iactitabant.

Pater flagellis, ego scorpionibus uos cædam.

CCCCXXI

Principes Iudæorũ multis à Solomone affecti incommodis, post illius mortem, adiuerunt ad Roboam filiũ, rogaruntq;, ut se leuaret eo iugo à patre imposito. Iuuenis intra triduum, se ad rogatum responsurũ promisit, ac interim consilij capiendi deliberationi intentus, primo cum suis consiliarijs ætate grauioribus, de ea re agitauit, qui consuluerunt, ut populum indulgentia tractaret, deinde suos æquales ad consilium adhibuit. Hi persuaserũt, ut acriter responderet. Itaq; spreto senum consilio, sic populum, ut in libro regnorum tertio est, fertur allocutus: Pater meus posuit super uos iugum graue, ego autem addam super iugum uestrum, pater meus cæcidit uos flagellis, ego autem cædam uos scorpionibus. Eius rei indignitate permoti principes, Hieroboam sibi regem optarunt, Roboam uero Iudæ regno contentũ esse coëgerunt. Hinc responsum Roboam in prouerbium cessit, cuius usus est, cum significamus cuiuspiam principis sæuitia, publicas res miserrimũ in statum perductas, in multo miseriorem, ac deteriorem

successoris tyrannide peruenisse. Exempli causa. Memoria nostra, bona Italorum pars suorum principum crudelitatem, & auaritiam horrens, ut quæ iam erat capite diminuta, neutiquã inuita Gallorum, & Hispanorũ iugum subijt, at paulò post maioribus pressa malis, amissos principes desiderare cœpit. Atq; ita sæuitudo rectorũ ut populis semper malo est, sic ipsis rectoribus bono perraro est, quando uno uel altero tempore, aut imperio, aut uita spoliantur. Et talis plerunque est tyrannorũ finis, & uita, in qua, ut Cicero ait, nulla nimirum fides, nulla charitas, nulla stabilis beneuolentiæ potest esse fiducia. Sanè quæ natio non sui principis comitatem, non benignitatem, non gratum animum diligit? quæ superbum, quæ crudelem, quæ ingratum non aspernatur, & odit? Quare addiscant, qui alijs præsunt, ut prosint, non obsint, quantum abesse debeat, ut regnando, flagellis aut scorpionibus utantur. Allusio fit ad id, quod scorpio sit genus scuticæ, ut sunt rubi aculeati, habeatq; in summitate glandes plumbeas, quo carnem magis lædat.

Honor regis iudicium diligit. CCCCXXII

Non est, quod princeps scorpionibus, de quibus proxime facta est mentio, utatur, qui ad puniendum, non iracundia, sed æquitate, & ad iudicandum iustitia, & honestate duci debet. Ex quo Plato in xij. de legibus ait: Cauere autem pro uiribus, debet quisquis aliquem iudicaturus est, ne sponte, aut inuitus supplicium, mulctamúe

tamúe falsò aut non meritò inferat, iudiciũ enim uirgo quædam pudica esse uere dicitur. In hanc sententiam uulgus frequenter illum prophetæ uersiculum ut prouerbialem citat, Honor regis iudicium diligit. Cæterũ apud prophetam id agitur, ut quisq; de seipso prius iudicium faciat, atq; inde æternum regem honoret.

Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. CCCCXXIII

Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Vetus fuit apud Hebræos prouerbiũ, ex eo receptum, quod præceptũ erat, uti in Leuitico scriptum legitur, Diliges amicum tuũ, sicut teipsum. Vnde colligebant inimicum odio habendum, quod Christus impugnat, uelut alibi ostendimus. Licebit uti prouerbio, cum propinquitas uicerit humanitatem, amicitia uerecundiam, odium iustitiam. Porrò humanitatis partes sunt, inimicos non insectari, uerecundiæ, homines non offendere, iustitiæ, non uiolare.

Sol oritur super bonos & malos. CCCCXXIIII

Sol oritur super bonos & malos. Si placuerit aliquando omnia ostendere, ad usum hominis in terra creari, & similiter opes atque honores cõmunia omnibus esse, recte hac euangelica allegoria utemur. Sed uenustius hærebit, cum significauerimus, iuxtà dignis ac indignis honoribus honores deferri, citra omnem morum, ac personarum delectum.

Si oculus tuus scandalizat te, erue illum, & abijce abs te. CCCCXXV

Figura euangelica est, quæ ualet ad ostendendũ, nullius ne quidem amici causa esse peccandum, cum lex in amicitia quã non uno in loco Cicero docet omnem propinquorũ colligationem superare, sit, ut neq; rogemus turpia, nec faciamus rogati. Igitur quicquid nobis impedimento est, cur minus recte agamus, quamuis charum, quamuis iucundum abijciendũ est. Ab oculis facta trãslatio, quod pars sint corporis preciosissima. Vnde ille adagio, Pupilla oculi charior, & Ferre in oculis, pro ualde diligere. Vel quod nuncij cordis habeantur, in quibus insideat animus, & maxima amoris, & odij indicia appareant. Quod attestatur Cicero de Orat. Oculi sunt, inquiens, quorũ intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorũ significamus. Plautus oculos pro animo itidem ponit. Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris. Itẽ pro indicio, Cicero in sermone de amicitia usurpat. Ex quo ista significata in uarios loquendi modos recepta sunt, qui penè omnes apud sacros autores, impense prouerbiales inueniuntur. Quare nonnullos apposite referre, & in adagiorum numerum adscribere placuit. Cæterũ ad prouerbij explanationem redeo. Christus per istiusmodi præscriptum, de oculi impedimento, iubet uoluptatem huius sensus uidendi si uitiosa sit, exterminandam, quia oculi sunt in ea plurimum principes duces.

duces, non autem quemadmodum uulgus insulse suspicatur, ut quis sibi oculos fodiat.

Aperire oculos. CCCCXXVI

Aperire oculos ille dicitur, qui cognoscere, intelligere, item cauere, considerare, attendere, prouidere, prospicere, animaduertere nititur. Ita primi parentes post peccatũ, uti in Genesis libro est, oculos aperuerunt. Ita cum quis admonetur, ut caueat, uulgò subditur, Aperi oculos. Ille præterea aperit alteri oculos, qui si nõ esset nõ uideret, secundũ illud in numeris: Protinus aperuit dominus oculos Balaã. Translatione facta ab oculorũ intentione. Ad priorẽ sensum alludit Cic. cum in paradoxis ait: Nam nos quoq; oculos eruditos habemus.

Claudere oculos. CCCCXXVII

Esaias cap. vi. Et oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, Id est, ne doceas, ne instituas. Idem alibi: Et claudit oculos suos, ne uideat malum. Vtraque prouerbialis figura est, in eum, qui alterum dementat, & qui de industria ad aliquid conniuet.

Auferre oculos. CCCCXXVIII

Non auferet deus à iusto oculos, dixit Iob, Id est, nõ intelligentiam, non cognitionem abripiet. Ducta metaphora ab hostibus, qui plerunque captiuos tantum luminibus priuant, uel à carnificibus, qui iussu magistratuũ, damnatis oculos effodiũt. Quadrabit in eum, qui alterum suo arbitratu, quo uult, uti cæcum ducit, regit, ac infatuat.

Auertere oculos. CCCCXXIX

Auertere oculos dicebatur, cũ quis sensus refrenabat, ut ne per eos peccaret. Ita in psalmo refertur: Auerte oculos meos, ne uideant uanitatem. Auertit item oculos qui à re quapiam subitò abhorret, uel in alterũ odium præ se fert. Seneca: Odia multorũ sub oculo latent.

Oculos habent, & non uidebunt.

CCCCXXX

Oculos habent, & non uidebunt. Citauimus in priore æditione hunc psalmi uersiculum, sed non explicuimus. Itaque de homine frequentatur, qui in rebus apertis, iisdemq; manifestißimis hallucinatur, perinde ac si non uideat. Vaticinium in Iudæos fuit, qui Christum uidentes non agnouerunt. Hieremias itidem: Habentes oculos non uident.

Inuenire gratiam in oculis domini.

CCCCXXXI

Inuenire gratiam, in oculis domini scienter diceris, cum te apud uirum quempiã principem, in gratia posueris. Contrà ille qui ualde diligit, longe elegãtißimo loquẽdi modo, dicitur ferre in oculis. Cicero ad Quintum fratrem: Balbum in oculis fero. Illud superius usurpatur à Dauid, qui Achi regi ait: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis huius, ut habitem ibi. Nota est historia in primo reg.

Oculi hominũ insatiabiles. CCCCXXXII

Oculos insatiabiles prouerbiali figura illi habere censentur,

ſentur, qui quantum uident, tantum appetunt. Vtitur adagio Solomon. Congruit in longe cupidiſsimos. Poteſt perbelle in uoraces et manducones applicari, quos non uſque eo cibaria, quàm ipſorum cibariorum copia delectat, quaſi uelint etiam oculos paſcere. A uentre figura petitur.

Annuere oculis. CCCCXXXIII

Propheta pſal. xxxiiij. admonet eos eſſe cauendos, qui annuunt oculis, inquiens: Non ſupergaudeāt mihi, qui aduerſantur mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis. Forma loquendi prouerbialis ab impoſtoribus ducta, quod ſoleant oculorū nutibus, inter ſe ſignificationē facere, cum tempus uenit petendi quempiam dolis, quem circūueniendum deſtinaſſent. Refertur etiam ab Eſaia in mulieres laſciuas: Et dixit dominus pro eo, quod eleuatæ ſunt filiæ Syon, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorū ibant.

Fornicatio, id eſt, impudicitia mulieris, in extollentia oculorū. CCCCXXXIIII

De mulierbus tam impudicis, quàm impudentibus, uulgò paſsim iactatur ex libro eccleſiaſtici ſumptum, quod quemadmodum demittere oculos, ſignum eſt honeſtatis, ſic atque huc atque illuc uertere, ac tollere, improbitatis. Alludit ad illud diuus Petrus: Oculos habentes plenos adulterij.

Dona excæcant oculos. CCCCXXXV

Dona excæcant oculos. Eiuſdem autoris ſcitum non

sine prouerbij nomine, tritũ, in eos, quibus nihil est potius, quàm utilitatẽ sequi, ita ut muneribus capti nõ uideant, quid sibi uelit honestũ, quid iustitia, quid ratio.

Lumen oculorum non est cum eo.

CCCCXXXVI

In eum qui uitijs addictus non agnoscit errorem, non attendit, quid expediat, non audit monitorem officij, tam utiliter, quàm tempestiue iactabimus illud psalmi xxxvij. Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum, non est cum eo.

Ardere oculos. CCCCXXXVII

Ardere oculos cuiuspiã prouerbiali figura dicimus, qui ualde irascitur. Hester cumq; eleuasset faciem, de Assuero rege loquitur, & ardentibus oculis furorẽ pectoris indicasset, regina corruit. Indicium autem iræ in oculis fieri, testatur Seneca lib. de ira primo, dicens: Ita irascentiũ eadem signa sunt, flagrãt, emicãt oculi. &c.

Placere oculis. CCCCXXXVIII

Aliquid iam prouerbialiter placere oculis dicitur, quod uni, nõ item alteri probatur. Inde figura deducta quod iste sensus facile decipitur, ita enim fit, ut remi in aqua fracti uideãtur. Quocirca usu uenit, ut mulier minus formosa oculis tuis placeat, at formosissima nõ placeat, & sic quemadmodum ducunt oculi, iudiciũ facias. Eò pertinet iudiciũ Sansonis de uxore ducẽda. Dixitq; Sanson ad patrem suũ, Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Erit locus prouerbio peculiaris, quãdo significabitur,

gnificabitur, id tantũ haberi pulchrũ, quod placet oculis. Sansonis autem historia in iudiciorũ lib. est.

Non rectis aspicere oculis. CCCCXXXIX

Nõ rectis aspicere oculis, uulgò ille dicitur, qui tantũ abest, ut alterũ diligat, ut etiã mirum in modũ oderit, de eoq; male cogitet. Ita Saul rex Iudæorũ indicauit se tacito odio insectari Dauid. Vnde lib. reg. i. est. Non rectis ergo oculis, Saul aspiciebat Dauid, à die illa deinceps. Sed usus tenet, ut ita efferatur, Toruo aut obliquo aspicere oculo. Ex eo figura deducta, quod oculi mente regãtur. Ad id alludit Poëta de Didone in vi. Aeneid.

Talibus Aeneas ardentem & torua tuentem
Lenibat dictis animum, lachrymasq; ciebat.
Illa solo fixos oculos auersa tenebat. Quadrabit in hominem maleuolum.

Vmbras montium uidere. CCCCXL

Vmbras montium uidere. Vetus ac elegans fuit olim prouerbium in eos, qui leui auditione permouebãtur, paruaq; pro magnis, uel uana pro ueris habebãt. Refertur in iudiciorũ lib. Cumq; uidisset populum Gaal, dixit ad Zebul, Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Vmbras montiũ uides, quasi capita hominũ, & hoc errore deciperis. Figura inde trahitur quod mons magna sit moles, & eius umbra sole præsertim præcipitante, longe maxima, quæ tamen uana est, & eius magnitudo minime timenda. Quadrabit in stolidos, & hallucinantes.

Expedit, ut pereat unum membrorũ, & non totum corpus mittatur in gehennam. CCCCXLI

Expedit, ut pereat unum membrorũ, & non totum corpus mittatur in gehennã. Nemini non etiam nunc ista euangelica figura impense prouerbialis in ore est, quoties significatur minus damnum maiori anteponendum. Porrò ita fit in membris, quorũ si aliquod sanguine aut spiritu carere, aut putrescere cœperit, protinus amputatur, ut ne noceat reliquis partibus corporis.

Expedit, unum hominem perire pro populo. CCCCXLII

Oraculum Caiaphæ, de Christo, qui pro salute nostra, uoluit mortem oppetere, in prouerbio apud uulgus est, quoties significatur damnũ ab uno factum non debere uniuersorum aut multorũ detrimento sarciri, imò & aliquem unum si pro salute aliorum ad supplicium postuletur, potius tradi. Exempli gratia, Si ciuis à finitimis spolietur, præstat ut ille solus eam iacturam patiatur, quàm quod ciuitas ob idipsum, in bellũ ruat. Vel si à principe autor seditionis duntaxat ad necem petatur, expedit, ut tradatur. Aut si quis liberandæ, conseruandæue patriæ studio, uitæ periculum adeat, quod Mutius Scæuola homo Romanus fecit. Is Porsenam Hetruscorũ regem urbem obsidentem ita sua deterruit audacia, ut statim facta pace, obsidionem solueret. Fuit Caiaphas pontifex apud Iudæos, qui, teste Ioanne euangelista, persuasit ipsis Iudæis è republica

fore, ut Christus morti dederetur pro populo, uaticinatus id, quod postea accidit.

Non in die festo. CCCCXLIII

Non in die festo. Vsus ita tenet, ut cũ quis innuit per religionẽ, non licere aliquid agi, protinus inferat, Non in die festo. Ita Iudæi mortem Christo intentantes sub paschales dies, uerebantur, ne id negocij non possent conficere, nam cum per eos dies, undiq; multitudo Hierosolymam conflueret, & bona hominũ pars Christo ut deo honorem haberet, periculũ erat, uti inquit Hieronymus, si caperetur, ne à manibus insidiatorũ eriperetur, proinde nefario negocio usq; eo supersedendum existimabant, dum festi dies præterirent.

Orate, ut non fiat fuga uestra hyeme, neque sabbato. CCCCXLIIII

Multum interest, quo tempore quid cadat, adeò ut ipsa calamitas ratione tẽporis, leuior, grauiórue fiat. Verbi causa, Nocturna prælia longe periculosissima sunt, quod si res male geratur, parum in fuga præsidij est, cum quis hostem non internoscat, & ob locorũ insolentiam nesciat, quo se tuto uertat. At interdiu omnia longe tutiora sunt. Item religionis superstitio multum uariat. Vnde in prouerbium deductum, Orate, ut non fiat fuga uestra hyeme, neq; sabbato. Quadrabit, cum auemus, ut deus det nobis in rebus aduersis subsidium, in calamitate, calamitatis finem, & in morte, facilem uitæ exitũ. Ad id alluditur, quod fuga hyeme propter

anni tempus, minus expedita tutaq; est, & sabbato die apud Iudæos sacro, per leges, nulli licebat, quicquam agere, ne quidem longius iter facere, aut fortunarum aliquid aliò exportare. Ita Christus prædixit futurũ, ut Iudæi ad extremum delerentur. Est hoc oraculum apud Matthæum, cap. xxiiij.

Si laueris te nitro, maculata es. CCCCXLV

Si laueris te nitro, maculata es. Metaphora prouerbialis in hominẽ infamiæ nota inustũ, qui sese purgare nequeat, deducta à fullonibus, qui uestimenta poliunt, eorumq; sordes nitro etiam lauant. Hinc Hieremias in populũ quem uocat uineã, clamat: Si laueris te nitro, maculata es. Modus iste loquẽdi apud cunctas nationes prouerbialis est, ut cũ uelint innuere crimẽ aliquod nõ posse purgari, dicãt, Aqua Thamesis, Ligeris, Rheni, Padi, Metauri, Tyberis, Ebri, Nili, non id dilueret.

Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo nupserit alteri, nunquid, reuertetur ad eam ul tra? nunquid non polluta & contaminata erit illa? CCCCXLVI

Fuit hoc, teste Hieremia, apud Hebræos, prouerbiũ, in mulierẽ libidinis intemperantia actam, quæ ne puncto quidem temporis, uellet carere uiro, & repudiata tametsi nõ ita missa facta uideretur, quin posset priori uiro reconciliari. & addit, Nunquid non polluta erit? Cum superiore cohæret, ad ostendendũ pudicitiã in ijs rebus habendam, quæ recuperari non possunt. Apud Ouid.

Ouid. Oenone ad Paridem: Tu quoq; clamabis, nulla reparabilis arte, Læsa pudicitia est, deperit illa semel. Item ad id ualet, ut doceatur neutiquã facilem esse uiri ad uxorem impudicã receptum, aut hac iam corrupta non admittente, aut illo irato redire ad torum nolente.

Omne animal diligit simile sibi, Aut natura appetit sibi simile. CCCCXLVII

Omne animal diligit simile sibi. Ex ecclesiastico est, & ualde prouerbiale, effertur apud uulgus, uel aliter, Natura appetit sibi simile. Quod in quamuis partem capias, uerißimũ est, equidem nihil est, quod ad se rem ullam tam alliciat, & tam attrahat, quàm morum siue bonorum siue malorũ similitudo, aut alienet, quàm distantia. Quibus fit, ut uidere liceat, probis bonos, ac improbis malos ui quadam naturæ trahente, facile copulari, adeò ut nihil sit amabilius, nec copulatius, quàm ipsa morũ similitudo. Hinc prouerbiũ natum, uel apud Græcos, Simile simili gaudet. Et in Platonis conuiuio ponitur, quod Cic. in amicitia refert, etsi alijs uerbis, inquiẽs: Nihil est enim appetentius similibus sui, nihil rapacius, quàm natura. Et huius idem sensus, atque illius, quod suprà in numerum prophanorũ adagiorum retulimus, Pares cum paribus.

Odio iniquo odisse. CCCCXLVIII

Suprà in altera æditione, Odio perfecto odisse, explanaui amici esse, hic ab inimico iniquum odium proficisci placuit docere, quod in prouerbio est, in eos qui

nos immerito nostro oderunt. Carmen est prophetæ, è psal. xxiiij. desumptum.

Odisse gratis. CCCCXLIX

Effertur in hanc quoque sententiam illud uulgi sermone decantatißimũ, Odisse gratis. Certe ex confesso, tam maleuoli est, sine causa, tum odisse, tum offendere alterum, quàm beneuoli gratuito afficere beneficio. Vsurpat adagium propheta psalmo xxxiiij. Oderunt me gratis. Repetit illud ipsum Christus apud Ioannẽ: Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.

Charitas ædificat. CCCCL

Seminariũ unicum beneuolentiæ inter mortales, est charitas amoris species, quæ pro qualitate personarũ, omnibus debetur, sed secundum parentes, maior liberis, proxima reliquis, ut sola charitate inter nos deuinciamur, fiamusq; benefici, quando per eam uicißim alter alterum iuuat, uicißim fouet, uicißim ab omni iniuria prohibet. Quamobrem luculenter ait Cic. Charitate sublata, omnis est sublata è uita iucunditas. Non ab re igitur apostolus dicit: Charitas ædificat. Sumpta metaphora à murorum conditoribus, quod ut per istos opus crescit, ita per charitatẽ, beneuolentia inter mortales semper augetur, & ita charitas ædificat, id est, iuuat, prodest, opitulatur. Quadrabit, quoties significatur acceßionem amoris inter quospiam, per mutua officia, in dies singulos maiorem fieri.

Mensuram confertam & supereffluentem dare. CCCCLI

Duo sunt, teste M. Tullio, liberalitatis genera, unum dandi beneficium, alterum reddendi. De hoc agit Christus apud Lucam euangelistam, cuius istud est oraculum, Mensuram confertã & supereffluentem dabunt, in sinum uestrum. Metaphora deducitur ab ijs, qui frumentum mutuatũ maiore mensura reddunt, quæ in adagium cessit, ad indicandũ nos debere maiora in eos conferre officia, qui nobis antea profuerint, more agrorũ fertilium, qui multo plus afferunt, quàm accipiunt.

Omne donum perfectum desursum est. CCCCLII

Audio passim hoc diui Iacobi uerbum ueluti adagiũ ab omnibus iactari, Omne donum perfectum desursum est. Cum uolunt innuere aut deo quicquid boni in nobis est, acceptum esse referendum, aut omnia nostra infirma, caduca, mancaq; esse, secundum illud Horatianũ in Odis: Nihil est ab omni parte beatũ. Cicero in Lælio idem dicit: Nec quicquam difficilius, quàm reperire, quod sit omni ex parte, in suo genere perfectum. Ad hoc ualet adagium, ut omnis hominum mentibus arrogantia discedat, intelligentium à deo proficisci, quodcunque perfectum est.

Hortus uoluptatis. CCCCLIII

Quod scribit Ezechiel, Terra illa inculta facta est, ut hortus uoluptatis. Et Ioël: Quasi hortus uoluptatis

terra, coram eo, prouerbialem habet sententiã, cum locus aliquis amœnus, & uoluptuosius significatur, facta credo allusione, ad illum paradisum uoluptatis, in quo primi parentes à deo collocati fuere. Sanè rectè quadrat, quemadmodũ enim in hoc parentes nostri peccantes omni uitæ felicitate sunt spoliati, sic qui in illo diutius uersantur, ad extremũ pereunt, quando sola uoluptas quæ honestati maxime aduersaria est, impedit consilium, animiq; lumen extinguit. Hanc Plato malorũ escam scite appellat. Et Cic. in oratione ad Rom. equites, in eos qui huic reginæ diligenter ac cupide ancillantur, clamat: O misera uitæ ratio, quæ tandiu resides in uoluptate, quandiu fortunæ poßit libido. Vel simpliciter ad id alluditur, quod hortus qui exiguos fert fructus, potius uoluptatis quàm utilitatis causa colitur.

Terra lacte & melle fluit. CCCCLIIII

Fuit iam inde ab initio modus iste loquendi ualde prouerbialis, Terra lacte & melle fluit, uel manat. Is apud sacros autores paßim obuius est, & præsertim apud Mosen, qui cum in Exodo & Leuit. tum in Numeris eo utitur. Est autem metaphora ab aquis sumpta, quod terra fluminibus irrigua pariter pinguis sit, in qua armenta pascuntur, quæ lactis copiam præbent, ac amœna, ubi apes nutriuntur, quæ mella ferunt, & floribus gaudent. Locus prouerbio perappositus erit, cum significauerimus in regione aliqua rerũ omnium abundantiam similiter, atq; amœnitatem inesse.

Pecunia

Pecunia tua tecũ sit, in perditionẽ. CCCCLV

Pecunia tua tecũ sit, in perditionẽ. Diui Petri oraculum in Simonẽ Magum fuit, ut est in actis, qui existimauit donũ dei per pecuniã cõparari, & iam olim in prouerbiũ exiuit, quoniã pecunia tum omni tempore, tum memoria nostra, cõtinenter bene multos mortales multis modis pdit. Olim Polydorũ Priami filiũ hæc bruta bestia uorauit, dicẽte Verg. de Polymnestore Thracũ rege, qui illũ occidit, Polydorũ obtruncat, & auro Vi potitur. Sed omittamus uetera. Quotusquisq; est, quem nõ teneat crescẽtis pecuniæ cura? ac nõ omnia pati, nõ omnia quis turpia, fœdaq; facere cogat, si semel huic rei studere cœperit? Hos sexcẽta pœnarũ genera torquẽt, ac demũ consumũt, alijs sese suis cõmoditatibus sponte fraudantibus, alijs à furibus aut tyrannis mortes atq; supplicia patiẽtibus. Hinc igitur prouerbiũ fluxit, cui ne locũ faciamus, Cic. sancte admonet: Pecuniæ fugienda cupiditas, nihil est tam angusti animi, tamq; parui, quàm amare diuitias, nihil honestius, magnificẽtiusq;, quàm pecuniam contemnere. Sic pecuniæ imperare oportet, non seruire. Pecunia si uti scias, ancilla est, si nescias, domina est. Cæterũ apostoli oraculum non caruit euentu, Magus enim cum sua pecunia tandem male perijt. Vide, quid fiet illis, qui Magi etiã nunc imitatores in re hac existunt? Hanc historiam nos lib. de rerũ inuent. viij. cap. iij. subtilius explicauimus.

Qui amat periculũ, in illo peribit. CCCCLVI

Qui amat periculum, in illo peribit. Ex ecclesiastici

libro est, ac iam olim apud uulgus, prouerbio increbuit in eum, qui sine causa, periculo se exponit. Quod facere longe stultißimũ est, cum in periculo continenter uersemur, canente Flacco: *Quid quisq; uitet? nunquam homini satis cautum est, in horas.*

Scindere uestimenta. CCCCLVII

Scindere uestimenta prouerbiali allegoria quis dicitur, cum indignatur uehementer, aut abhorret, ubi audit rem detestandam, execrandam, importunam. Ita *princeps sacerdotum scidit uestimenta, per id innuens* Chri*stum maledixisse, quod non negasset esse se filium dei.* Nota *est historia apud* Matthæum. *Sic* Paulus & Barnabas, *quod* Lycaones *sibi, ut dijs honorem haberent, sciderunt tunicas.* Figura *à* Iudæ*orum consuetudine deducta, autor diuus* Hieronymus.

Aspergere se cinere, & induere sacco.
CCCCLVIII

Vt *hoc indignationis, ita illud afflictionis, & pœnitentiæ signũ apud eosdem* Hebræos *erat, Aspergere se cinere, & induere sacco.* E*saias:* Nunquid contorquere *quasi circulũ caput suũ, & saccũ, & cinerem sternere?* Nunquid *istud uocabis ieiuniũ, & diem acceptabilem domino?* Et Ezechiel: *Cinere conspergentur.* Quid, *quod & in cinere dormiebant?* Ionas: *Sedit in cinere rex.* Hinc *factũ, ut cum uolumus quempiã significare, cõmissorum pœnitere, dicamus* Iudæorũ *more, & iam prouerbiali, Aspergere se cinere, et sacco induere.* Illud

ad nos

ad nos non transiuit,hoc adhuc seruatur, præsertim à Niniuitarũ secta,uti de inuent.rerum ostendimus.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ.

CCCCLIX

Non des mulieri potestatem animæ tuæ. Hoc ex ecclesiastico præscriptum est, iampridem crebro uulgi sermone in adagium uersum, ut uir qui teste apostolo, mulieris caput est, per id admonitus, ne fœde,ac turpiter,siue amoris,siue stultitiæ causa,se mulieri dedat, quod qui facit,quàm miser sit,accipe à Cicerone,qui in paradoxis ea de re ita fatur: An ille mihi liber uidetur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit,iubet,uetat? quid uidetur,qui nihil imperanti negare potest,nihil recusare audet? Si poscit, dandum est, si uocat, ueniendum, si eijcit, abeundum, si minatur, extimescendum. Ego uero istum non modò seruum,sed nequißimũ seruum, etiam si in amplißima familia natus sit, appellandum puto. Hactenus ille. Hinc colligere licet,quid sit,quamobrem origo prouerbij neutiquam contemnenda habeatur.

Non est ira,super iram mulieris. CCCCLX

Illud ex eodem lib.adagione celebre est, Non est ira, super iram mulieris. Hinc Seneca: Muliebre est furere in ira. Conuenit in eos, qui more mulieris, facile irascuntur,quod turpe habetur, quia cum ira, ut ait Cic. nihil recte fieri,nihil considerate potest.

Sicut erat in principio. CCCCLXI

Solet uulgus in eum qui iterat peccata, non indecenter repetere illud, Sicut erat in principio, ex hymno Niceno, *Gloria patri & filio. &c. qui tribus personis redditur, &* Damasi Romani Pontificis *decreto, in fine psalmorum adijcitur.* Id *perinde est, ut si dicamus aliquem ita in uitijs continenter esse, aut facto interuallo, ad illa animum rursus adiungere, sicut à principio facere consueuisset.* Ita *enim in malam partem plurimũ huius sententiæ usus est.*

Ibunt de uirtute, in uirtutem. CCCCLXII

Contra hoc, illud pugnat, Ibunt de uirtute in uirtutẽ. Quemadmodũ enim leuitatis est, rapi ad uitia, quæ aliquando ut mala declinaueras, ita constantiæ, à uirtute nõ discedere. Id *agitur psal. lxxxviij. cuius hic uersiculus est. Equidem qui in hac uita mortali fortiter pugnauerit, aduersus dæmones malorũ autores, ille in cœlesti deum deorũ uidebit.* Hinc *prouerbiũ natum, quo aduersus eos cõmode utemur, quos significabimus optimum uitæ institutũ in dies singulos uirtutibus amplificare.*

Lapides excauant aquæ. CCCCLXIII

Iob *prouerbiali figura dicit,* Lapides *excauãt aquæ.* Res *mira, ut durities lapidis emolliatur aqua, id tamen gutta facit, non bis, sed sæpe cadendo.* Vnde *in ore omnibus est, cum uolunt innuere, nihil tam factu difficile esse, quin studij aßiduitate, ac diligentia effici poßit.*

Non

Non relinquetur lapis, super lapidem. CCCCLXIIII

Abijt in prouerbiũ etiam olim hæc metaphora, Non relinquetur lapis, super lapidẽ. Ad eam respexit Christus, cum apud Marcũ, & Lucã, prædixit fore, ut Hierosolyma cum templo, euerteretur à Romanis. Significat autem ruinam, excidiũ, ac labem futurã. Porrò eo loci magna fiet labes, quo lapis super lapidẽ nõ remanserit. Ab ædificiorũ dirutoribus translatio trahitur.

Qui in altum emittit lapidem, super caput eius cadit. CCCCLXV

Cum quis sibi malo est, quadrabit illud ex ecclesiastici libro; Qui in altum emittit lapidem, super caput eius cadit. Figura ab ijs sumpta, qui lapides funda, uel quouis modò mittunt. Vsurpatur etiam à Solomone, Lapis reuertetur ad eum, qui uolucrit.

Viuere gladio, Viuere rapto. CCCCLXVI

In eum qui latrocinatur, per uim uictũ quæritat, eripitq; ab altero, quod sil[illegible] i sit, prouerbialiter accommodabimus illud ex Genesi, Viues in gladio. Ita Isaac prædixit futurũ, ut Esau bellando uitam duceret. At in uulgo usitatius est, in hanc quoq; sententiã, illud apud poëtas, & historicos tritißimum, Viuere rapto. Ouidius libro metamorph. primo: Viuitur ex rapto. T. Liuius de Annibale: In diem rapto uiuit.

Os domini locutum est. CCCCLXVII

Os domini locutum est. Locus erit huic sententiæ ad-

modum prouerbiali perappositus, cum significabitur quippiam lege certa decretũ, sancitumq́; esse, per eum qui id facere potuerat, adeò ut mutari nequeat. Simile illud Verg. Desine fata deûm flecti sperare precãdo. Quod Esaias agit, à quo hæc sententia desumpta est. Quoniam mentio incidit huius uocabuli os, quod in diuinis literis absque uulgari significato, paßim est obuium, pro facie, & totius corporis specie, item pro audacia, obstaculo, oratione, ac alijs significatis, & ab autoribus prouerbialiter ponitur, iccirco non alienum nec inutile uidetur, referre modos loquendi inde ortos, quibus adagia subesse internoscitur.

Ore ad os loqui. CCCCLXVIII

Ore ad os loqui, crebro uulgi sermone celebratur, pro eo, atq; est præsentem cum præsente loqui. Effertur uel uulgò sic, A facie ad faciem. Vsurpatur autem à Mose in Numer. ubi dominus ait: Ore enim ad os loquor ei. & à beato Ioanne presbytero in fine epist. ij. scribẽte: Spero me uenturũ ad uos, & ore ad os loqui, id est, præsentem cum præsentibus locuturum.

Aperire os, Non aperire os. CCCCLXIX

Aperire os is dicitur, qui præit uerbis, id est, præfatur, siue fari incipit. Iob: Post hæc aperuit Iob os suũ. Et apud Matthæum: Christus aperiens os suum docebat eos. Item is aperit os, qui sanat quempiam mutum. Marcus de Christo: Bene omnia fecit, inquit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Moses in Numer. de asina

Balaam:

Balaam: Aperuit dominus os asinæ. At nõ aperire os, est tacere, & nõ audere loqui, quod usitatius habetur. Ezechiel: Et non sit tibi ultra aperire os, præ confusione tua. Isti modi loquendi ut ualde prouerbiales passim ab omnibus circunferuntur.

Aperto ore loqui. CCCCLXX

Aperto ore loqui. De audacter & citra fucum loquente dici solitum. Ezechiel: Et aperto ore meo, non silui amplius. Generatim in omnes simplices & apertos cõgruet, qui nihil ex occulto, nihil ex insidijs agendum putarint. Translatio inde facta, quod qui loquẽdo intelligi uolunt, os non claudant.

Dilata os tuum, & implebo illud.
CCCCLXXI

Dilata os tuum, & implebo illud. Metaphora prouerbialis ab auide cibum sumentibus, eo quod qui os maxime pandunt, maiorem panis bolum capiant, qua significamus oportere nos intendere animum ad eam rem, quam discere cupimus. Nempe qui auet explere famem, necesse habet prius aperire os, quàm uesci incipiat. In hunc sensum Asaph ait: Dilata os tuũ. &c. Ita enim cibos domini capimus.

Ore benedicere, & corde maledicere.
CCCCLXXII

In fallaces & perniciosos assentatores, qui fronte nõ mente amant, hoc prophetæ carmen, Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant, apte torqueri po-

test, per quod salubriter cognoscere licet, quàm cauendum sit, ne callidi illi, & occulti sese nobis studiose simulateq; insinuent.

In ore leonis fauus mellis. CCCCLXXIII

In ore leonis fauus mellis. Eandem sententiam habet, & in prouerbiũ cessit, in insidiosum blandiloquentem, cum leonis potius sit mordere, mactare, laniare, quàm mel ex ore fundere. Allusio fieri potest ad illum leonẽ, quem in iudiciorũ libro, legimus Sansonẽ interfecisse, & in eius ore reperisse fauum mellis.

Flamma de ore egreditur. CCCCLXXIIII

Absimile superiori hoc est, Flãma de ore egreditur. A fornace fit translatio, quod ex eius ore, cum lapides coquuntur, flamma continenter exeat. Vtitur ea Iob, cum malum depingit dæmonem. Conueniet in hominem contumeliosum, uehementem & temerariũ, cuius uerba aspera, dura, aculeata, fœda, ad uelitandum, offendendumq; alterum, quasi flammam præ se ferre uideantur. Alludit ad id Cicero in Verrem: Os hominis insignemq; impudentiam cognoscite. & in Philippicis: Audisset furentis introitum Dolobellæ, uocem impuram, atque os illud infame.

Non est speciosa laus, in ore peccatoris. CCCCLXXV

Quoties uolueris innuere laudari ab improbo, in turpibus esse habendum rebus, illud ecclesiastici commode usurpato, Non est speciosa laus, in ore peccatoris.

Nempe

Nempe ille alterum commendando ideo dedecori eſt. quod facile audientibus ſuſpicionem affert, ut uereantur, ne non ſint ambo crimine pares.

Ore laudantis probatur homo. CCCCLXXVI

Fuit apud Hebræos olim adagiũ, Ore laudãtis probatur homo, Quod à Solomone uſurpatur, ſignificatq; uerã hominis laudem conſtare fama, quæ proficiſcatur ab opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, earumq; uirtutũ omniũ, quæ pertinent ad manſuetudinem morũ. Sanè illos ut Cic. in offic. docet, in quibus eas uirtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur. Ac ita homo ore talis laudatoris magnopere probatur, unde adagiũ ortum, quod ſuperius contra maxime eſt, in illo enim laudator uituperat, in hoc ornat.

Obſtruere os. CCCCLXXVII

Obſtruere os, hoc eſt, occludere, apud prophetam pſal. lxij. eſt efficere, ut re ipſa quis mendacij conuictus præ pudore obmuteſcat, dicentem: Obſtructũ eſt os loquentium iniqua. Et apud apoſtolũ, ad Romanos, teſte Origene, eſt reddere quempiam obnoxiũ culpæ, cum ab officio diſceſſerit, atq; ita confundere. Scimus enim, inquit, quoniam quæcunq; lex loquitur ijs, qui in lege ſunt, loquitur, ut omne os obturetur. Atq; in huiuſmodi ſenſus iſti loquendi modi ualde hercle prouerbiales habentur. Cæterũ apud uulgus, longe prouerbialius eſt obturare os, pro largitionibus quempiã corrumpere, ut taceat, ut ne offendat. Sic Demoſthenes olim pecunia

corruptus in Milesios dicere noluit, rem planã fecimus in paroemia Argentanginã pati. Sic apud inferos, Cerberus auertitur, ut ne lædat Aeneam, canente poëta:

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro,
Cui uates horrere uidens iam colla colubris,
Melle soporatam, & medicatis frugibus offam
Obijcit, ille fame rapida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atq; immania terga resoluit
Fusus humi, totoq́; ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum, custode sepulto,
Euaditq́; celer ripam irremeabilis undæ.

Recedant uetera de ore. CCCCLXXVIII

Vsus iam tenet, ut cum uolumus prouerbialiter significare, esse obliuiscendum iniurias, uel quippiam ut seminarium simultatum missum faciendum, protinus illud ex Annæ hymno referamus: Recedant *uetera, de ore uestro.* Potest *nihilo inconcinnius accommodari, cum innuimus nos oportere alterius uitæ, & eius quidem melioris modum ordiri. In hanc sententiam Anna ipsa fata est.*

Os iusti meditabitur sapientiam. CCCCLXXIX

Os iusti meditabitur sapientiam. Translatio à mente *ad linguã traducta, in qua prouerbiũ subesse uidetur, cuius sensus est, hominem bonum & sapientem debere grauiter, prudenterq́; loqui.*

Ponere

Ponere ori custodiam, uel facere frenos.

CCCCLXXX

Huic germana est illa metaphora, Ponere ori custodiam, uel facere frenos. Superius est carmen prophetæ, posterius in ecclesiastico, & utrunque in omnium ore, ut prouerbialia paßim resonant, in eam sententiam, ut quis quasi nequeat incōsiderate quicquā loqui, si custodiam ori ponat, hoc est, attendat, priusquam uerbum proferat, & linguam compescat, secundum uulgatum uersiculum: Virtutem primā esse puta, compescere linguam. Quod haud difficiliter facies, si frenos ori imposueris. Ab equis sumpta metaphora, qui eo modo coërcentur. Ad id alludit Micheas propheta inquiens: Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. &c. ut in loquendo cautio sit.

Ponere digitum super os. CCCCLXXXI

Olim mos fuit, ut qui iuberent silentium fieri, digitum ori admouerent. Id signum reticentiæ ita mansit, ut in prouerbium abiuerit. Refertur in iudiciorū libro, ubi cap. xviij. milites idola rapientes sacerdoti reclamanti inquiunt, Tace, & pone digitū tuum super os tuum, ueniq; nobiscum.

Os lubricum operatur ruinam.

CCCCLXXXII

Os lubricum operatur ruinam. In negligenter & temere loquentē, qui sibi suis uerbis futiliter factis, exitio damnóue est, adagium recte hæret. Vsurpatur à Solo-

mone, quod nobis documento est, ut ne stolide uocem emittamus, quæ mox per iugulum sit reuersura.

Os bilingue, os infrene. CCCCLXXXIII

Os bilingue. Apud Hebræos prouerbio inoleuit iste loquendi modus, de homine longe fallacißimo, quẽ Solomon usurpat. *Os infrene* Plato in legibus refert, qui cum diuinus appellatus sit, non utiq; immerito eius tam elegans dictum in numerum diuinorũ adagiorum recipiendum duximus. Itaque os infrene illi esse dicitur, qui maledicus est, & lingua pestilenti, ac petulanti, nemini homini detrahendo parcit. Id hodie quoq; uulgò tritißimum, aiunt enim ad hunc modum, Ille linguam habet effrenatam. Quod more indomiti equi, cohiberi non poßit.

Vno ore. CCCCLXXXIIII

Vno ore. Ad significandum summũ consensum, hoc schema in usu frequenti est. Paulus apostolus ad Rom. Deus autẽ patientiæ, & solatij, det uobis idem mutuo inter uos sentire, secundum Iesum Christum, ut unanimiter, uno ore glorificetis deum. Et Cic. in amicitia: Vna est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore, consentiunt. Et in Paralip. lib. ij. En uerba omnium prophetarum uno ore, bona regi annunciant.

Ore gladij cadere. CCCCLXXXV

Ore gladij cadere. Figura prouerbialis in eos, q ferro pereunt, in sacris literis paßim obuia. Moses in Exod.

Fugauit

Fugauit Iosue Amalech, & populũ eius, in ore gladij. Et Lucas: Et cadent ore gladij.

Opus non est diei unius. CCCCLXXXVI

Olim cum innuebãt aliquid factu difficile esse, prouerbialiter dicebant, Opus non est diei unius, uel duorũ. Nanq; magnũ opus exiguo tempore absolui nõ potest.

Opus suum probet unusquisque.

CCCCLXXXVII

Paulus apostolus ad Galat. scribens ait: Opus autẽ suũ probet unusquisq;, &c. Hanc nobilem apostoli sententiam iam olim uulgus in prouerbij consuetudinẽ traxit, cum uellet innuere neminẽ debere factũ suum impugnare. Sed longiuscule adhuc trahitur, & pro eo circunfertur, quod est rem debere delectare autorẽ, ita qui scribunt, in uoluptate absoluti operis maxime acquiescunt. Per hoc autẽ nos monemur curare, ut nullum factum nostrũ sit uitijs inquinatũ, sed utile, & honestum, quod meritò citra omnẽ infamiæ notam, probare poßimus. At apostolus id agit, ut si qua animi aut corporis dote alios antecedas, nõ ea de causa, eos contemptui habeas, sed potius tecũ tacite gloriere, quod talis sis, atq; sic opus tuũ probabis, illudq; deo acceptũ referes.

Maledictus, qui facit opus domini fraudolenter.

CCCCLXXXVIII

Maledictus, hoc est, improbus, qui facit opus domini fraudolenter. Scitum Hieremiæ prophetæ, quod prouerbium olet, in eos, qui simulatione religionis, facile

quoslibet decipiunt, nulla porrò hodie uia est, quæ magis ad cōmittendam fraudem pateat, quàm ficta religionis species. Hanc personam qua dolus cum primis tegitur, induunt malitiosißimi, perfidißimi, improbißimi quiq;, cum ad fraudem nituntur. Etenim bene multi inueniuntur, qui iccirco maxime omnium rebus diuinis student, ut maxime eo pacto suis cōmodis seruiant, rapinas faciant, atq; inde gloriā acquirant, perinde quasi id officij religionis causa præstent. Isti igitur teste propheta, apud deum damnati, & aliquando apud homines cogniti, male meritò audiunt, quo sic astutia admodum perniciosa dignum habeat præmium.

Operibus credite. CCCCLXXXIX

Operibus credite. Quantum inter falsum & uerum interest, tantum inter factum, & dictum distat, ut enim hoc plerunq; fictū, sicut in proximo adagio patet, ita illud ab omni simulatione uacuum esse solet, nempe homo probus semper probe agit, contrà improbus nihil recte facit. Igitur Christus uolens certū suæ diuinitatis indiciū facere Iudæis, ut se ab alijs facile internoscant, apud Ioan. ait: Si mihi nō uultis credere, operibus credite. Illud hodie apud uulgus, in celebri prouerbio est, cum uolūt innuere secundum factum suū, unumquenq; aut bonum, aut malum, existimandum esse.

Alter alterius onera portate. CCCCXC

Alter alterius onera portate. Metaphora à iumentis sumpta, quod muliones soleant onera debilioribus iumentis

mentis adempta, fortioribus imponere, qua utitur apostolus, & in prouerbium iam quondam abiuit. Significat autē debere nos uicißim iuuare. At ex altera parte, Pauli præscriptum admonet, non licere sui cōmodi causa, nocere alteri. Cicero in offic. hoc charitatis officium præclare explanat inquiens. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incōmodo, suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis, nam principio tollit conuictum humanum, & societatem. Hæc Cicero. Ab hoc illud est,

Vnusquisq; onus suū portabit. CCCCXCI

Vnusquisque onus suum portabit. Non dißimilis est figura, quam Paulus usurpat, ad ostendendum futurū esse, ut tandem aliquando cum extremum exercebitur iudicium, unusquisq; desperata omnis auxilij spe, commissorum pœnam luat. Et in hunc sensum instar adagij à uulgo metaphora accipitur. Sed uenustior eius usus est, cū significatur autori facinoris peßimi facinus modis omnibus fraudi futurum, ita ut alteri non poßit id culpæ aßignare. Vel simpliciter quis dicetur onus suū portare, cū coactus fuerit suscepto munere fungi, more iumentorum suas sarcinas ferentium.

Paries inclinatus. CCCCXCII

Paries inclinatus. Carmen prophetæ prouerbiale, in eum, qui affecta ætate, moribundus est. Schema à

pariete deductum, qui ubi inclinari cœperit, futurum est, ut iam iam ruat. Ouidius de trist. eo utitur: Cum cœpit quassata domus subsidere, partes In proclinatas omne recumbit onus.

Ornare uas fictile argento. CCCCXCIII

Vetus parœmia, qua Solomon utitur. Valet ad innuendum sumptus inaniter, indecenterq́; factos, nempe fracto uase, omnis ornatus perinde frustra est, ac si rusticus preciosam induat uestẽ, quæ ipsum maxime dedeceat. In hanc posteriorem sententiam adagionis usus tam frequentißimus est, quàm longe lepidißimus.

Calicem domini bibere. CCCCXCIIII

Calicem domini bibere apud sacrarũ rerum scriptores, idem est, ac per uoluntariũ cruciatum, subire mortem. Christus apud Matthæũ figura utitur, cum filios Zebedei interrogat, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et ante eum, in psal. cxv. Quid retribuam domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Et quid sit calix iste, planũ faciens subdit: Preciosa in conspectu domini, mors sanctorũ eius. Hunc profectò calicem degustare illi nolunt, de quibus illud dicitur,

Dicunt, & non faciunt. CCCCXCV

Istud Christi testimoniũ in scribas & pharisæos dictum apposite applicabitur, aduersus nonnullos ex nostris concionatoribus, qui nõ modò plura dicunt, quàm faciunt, sed eius sunt impudentiæ, ut maxime omnium

illa

illa uitia reprehendant, à quibus minime omnium sunt uacui, quod deforme magis est, quàm ipsum propè uitium. Equidem ille uitiosior meritò haberi potest, qui quod uerbis castigat in alijs, à se non remouet, quãdo id planè docet, iam scelus in eo radices egisse altas. Hinc in prouerbiũ abijt uerbũ Christi præclarũ, quo unusquisq; admonetur, ut prius omnes sui animi labes repellat, quàm incipiat alios castigare, monere, docere.

Amare primos accubitus, in cœnis.

CCCCXCVI

Amant primos accubitos in cœnis. Eiusdem Christi prouerbialis castigatio, qua ambitionis arguit pharisæos, qui autoritate atque dignitate cunctis antecellere contendebant, quando in cœnis uolebant in primo discũbere loco. Quadrabit in ambitiosos homines, quorũ conditio teste M. Tull. miserrima est, cum in continuo leuitatis istiusmodi certamine eos esse, necesse sit.

Facere mala, ut ueniant bona.

CCCCXCVII

Cum iustitia dei eluceat, ex sontium animaduersione, fuere quondam, qui prædicarint esse facienda mala, ut uenirent bona. Hinc Paulus qui ob nulla benefacta ad apostolatũ uocatus est, ad Rom. scribens ait: Quod si iniustitia nostra dei iustitiam constituit, quid dicemus? Et subdit: Ac non queadmodũ de nobis male loquũtur, & sicut quidam aiunt nos dicere, Faciamus mala, ut ueniant bona, & reliqua. Hæc Paulina sententia in pro-

uerbiū uersa est, in eos, qui alienæ utilitatis specie peccant, quod faciendum non est, cum autore Cicerone libro offic. iij. eiusmodi utilitatis species præ honestate, contemnenda sit. Vnde diuus Augustinus prouerbium uertit, inquiens: Non sunt facienda mala, ut ueniant bona. Si multorum mentibus posterior sententia inhæreret, non utiq; ab alijs tam confidenter eriperent, quod alijs darent, uti faciunt, qui cum perdiu rapinas undecunq; fecerint, postremo cuipiam diuo ædem aliquam ponunt, ita arbitrantes se omne expiasse crimen. Sed illud attendant,

Offerre domino ignem alienum.

CCCCXCVIII

Quoties uolumus innuere quempiam largiri de alieno, & inde nihil cōmodi consecuturum, recte illud Leuitici pronunciare possumus, Offerre domino ignem alienū. Id fecere Nadab & Abiu filij Aaron, qui cum putauerint satis se deo per eum modum fecisse, tantum tamen abfuit, ut eorum munus admitteretur, ut etiam ilico diuino sint igne consumpti. Si deus ea uteretur seueritate in nos hodie, quot pro huiusmodi donis furtiuis, tali quotidie deuorarentur incendio? Nota est historia in Numeris, cap. iij.

Non coutuntur Iudæi Samaritanis.

CCCCXCIX

Lege naturæ, omnes homines inter se, amare ob eam causam debent, quod homines non bestiæ sint. Hoc naturæ

turæ fœdus iam inde ab initio uiolare cœperunt, qui dixere aliam rationem esse ciuium, aliam reliquorum, & ita externorum rationem esse habendam negantes diremerunt cōmunem humani generis societatem, ita ut postmodum naturale quodammodo odium inter gentem, & gentem, inter familias, & familias, innatū sit. Hinc igitur Iudæi & *Samaritani non conueniebant.* Quocirca *cum Christus poposcisset à muliere Samaritana, sicut refert* Ioannes, *ut sibi daret bibere, illa mirata respondit,* Quomodo *tu cum* Iudæus *sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim couuntur, hoc est, commercium habent uel uersantur, ut* Latine *loquamur,* Iudæi, *cū Samaritanis.* Hoc *Samaritanæ responsum paßim hodie prouerbio iactatur, cum alij odij perpetui causa, aliorum aditum, sermonemq́; defugiunt.* Ea *quidem ratione, siue atq; adeò stultitia,* Itali *à* Gallis, Galli *ab* Anglis, Angli *à* Scotis, *ab* Vrsinis, *ut ad familias, & factiones ueniamus,* Columnenses *decedunt, inimicitiasq́; inter se æternas gerunt, ut nō ab re, prouerbium in usu sit quamfrequentißimo.*

Sit tantum pax, in diebus nostris. D

Quoties *innuere uolumus nobis tantummodo bene precandum, ac nō laborandū esse, ut nepotum pariter atq; nostræ saluti anxie prospiciamus, illud* Ezechiæ *regis* Iudæ *optatum prouerbialiter, & cōmode usurpare possumus,* Sit *tantū pax in diebus nostris,* Quod *in eiusmodi sensum etiam hodie omnibus in ore est.* Ita

ille cum doctus esset ab Esaia de futura filiorũ calamitate, orauit, ut sibi liceret uitã quietẽ degere & finire. Atq; sapientissimus rex per hunc modũ, ostendit unumquenq; debere suæ tantũ inuigilare causæ, ac de rebus futuris nõ laborare, quãdo hominis nõ est illis moderari.

Coquere hœdum in lacte matris. D I

Coquere hœdum in lacte matris, ille prouerbio dicetur, qui crudelitatem crudelitati addiderit, utputa, si filium ante ora parentũ, morte mactarit, ut sæpe fecere tyranni. Quare Moses ut in Deut. est, id etiã in brutis animalibus fieri prohibuit, nam inhumanũ uidetur ab uberibus capræ hœdum ad cædem rapere, & mox in lacte eiusdem coquere. Modus est magis loquẽdi, quàm quod usus ita coquendi carnes, apud ueteres fuerit.

Aioth ambidexter. D II

Audio hominem manu promptũ, ac ad quiduis agendum aptũ, habilem, atq; dexteritate quadam ualentẽ, uulgò appellari Aioth ambidextrũ. Is quẽadmodũ in iudiciorũ lib. est, fuit Hebræorũ dux à deo constitutus, qui Moabitas uicit, liberauitq; populũ ab eorũ seruitute, & quia perinde leua manu, ut dextera utebatur, ambidexter est cognominatus. Ita Hiero. cõtra Iouinianum uocitat, & per hanc scitã allusionẽ, id cognominis in prouerbij consuetudinẽ iampridem uenit. Potest & prouerbiali scõmate quis ambidexter appellari, qui furax est, quod noscat utraq; manu, egregie rapere. Atq; in hunc sensum usus est longe frequentior, festiuiorq;.

Sugere mel de petra, & oleum de saxo. DIII

Sugere mel de petra, & oleũ de saxo durißimo. Hyperbole prouerbialis ex cantico Mosis desumpta, per quam ille docuit populũ de ubertate terræ à deo promissæ, nunc autẽ in prouerbiũ recepta usui paßim est, cum significatur locum quempiã affatim quiduis rerũ suppeditare, porrò haud dubitanter ille locus felix est, ubi saxa mel & oleũ sudant. Verũ uenustius dicitur de homine industrio, qui suo labore, eo loci norit lucrũ facere, quo alij antea nihil tulissent cõmodi. Illud faciunt optimi agricolæ, qui saxosos montes fructus ferre cogunt, quod cernere licet apud Italos, ubi paßim oliueta uinetaq; in montibus altis, magno cũ labore, tum arte agricolarũ consita, crescunt. Placet longiuscule figurã trahere, ut & tẽpore exclusi & labore feßi receptui, uti aiunt, canamus, qui uenturũ tempus speramus, cum erunt, erunt autẽ dubio procul cõplures, qui institutũ nostrum nõ aspernabuntur. Itaq; de petra diuinarũ literarũ unam & eo amplius, impræsentia sacrorũ adagiorũ centuriã exuximus, eamq; ad priorem æditionẽ adiungendã curauimus. Atq; tali studio sacros quadragesimæ dies dẽdi, simulq; rursus isto scribendi genere illis præiui, quos ut puto, aliquãdo iuuabit, reliquas quas nos causa breuitatis omisimus, colligere parœmias.

Nihil habentes, & omnia poßidentes. DIIII

Est apud Platonem prouerbiũ, Quæ pulchra sunt, bis terq; repetenda. Hoc, credo, admonitus meus Ioan-

nes Batmansonus Cartusianus, homo in honestate natus, ac ad frugalitatem pariter educatus, ut ad religionem accõmodatus, mecum nuper multum egit, ut scita omnia quæ ex sacris literis, paucis antè mensibus collegeramus, explanata in numerum diuinorũ adagiorum referrem, quia quædã mihi minus arridentia, quæ ei ualde probabantur, de ea classe exemeram. Et asseueratione asseuerabat illa ipsa fore uulgo uoluptati, si perinde à me repeterentur, ac ab eo sunt usurpata. Itaque de amici consilio, me ad ea paucula uerba quæ restant, explicanda non inuitus dabo. Est itaque in ore uulgi illa nobilis apostoli Pauli ad Corinth. sententia, Vt nihil habentes, & tamen omnia poßidentes, cum uult significare inter aliquos esse rerum uitæq; cõmunitatem. Ita id cõmune omnium uerbũ fuit apostolorũ, atq; aliorum Christianorũ, qui reipublicæ nostræ fundamentum iecerunt. Testis Lucas in actis, sic scribens: Omnes autem qui credebant, erant coniuncti, & habebant omnia cõmunia. Idem firmamentum diuinus ille Plato suæ ciuitatis posuit, uoluitq; ea uerba ita efferri: Meum, & non meum, ac ut adagium ciuium aures circunsonare. Quare apud eum, Socrates in v. de repub. libro, cum Glauco de ipsa re, ita loquitur: Nónne uoluptatis dolorisq; cõmunio coniungit, quando ciues omnes maxime ex earundem rerũ acceßu, uel deceßu, pariter gaudent, ac dolent? Glaucus. Et maxime quidem. Socrates. Horum uero diuersitas eam dissoluit,
quando

quando eisdem ciuitatis & eorum qui in ciuitate sunt, casibus alij uehementer dolent, alij gestiunt. Glaucus. Quid ni? Socrates. Ex hoc autem tale quid prouenit, quando non simul in ciuitate hæc uerba uulgantur, Meum, & non meum, ac de alieno, eodem modo. Glaucus. Valde. Socrates. In quacunq; igitur ciuitate com=plurimi hoc dicunt, id est, Meum, & non meum, ea o=ptime gubernatur. Glaucus. Prorsus. Atq; Plato suam ciuitatem eo instituit pacto, quod homo primus doctri=na, sapientia, cõsilio, remp. necessariò curandam ante omnia, censeret, qui in ix. de legibus affirmat ciuitates publica re coniungi, priuata uero facile dißipari. Et T. Liuius idem sentit, inquiens: Res priuatæ semper of=fecere publicis consilijs. Sed illud magis in prouerbij consuetudinẽ uenit, ut cum inter aliquos, cõmodi causa oriatur repente discordia, quis dicat id certaminis, id al tercationis, id conuicij fieri, ob meum, & tuũ. Quippe nihil natura priuatũ esse constat, sed istuc factũ, quem=admodum Cicero in officijs docet, aut ueteri occupa=tione, ut qui quondam in uacua uenerunt, aut uictoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, aut pactione, cõditio=ne, sorte. Ex quo, quæ natura olim cõmunia fuere, po=stea quisque sua esse cupierunt, pro illisq; semper con=flictati sunt. Vnde Seneca: Quietißime, inquit, uiuerẽt homines, si duo uerba è medio tollerentur, Meum & tuum. Tales profectò habuit parentes discordia, quam antiquitas propter potentiam, deam fecit, eamq; Bel=

lonam appellatam existimant, quod belli genitrix sola discordia sit. Hæc dijs atque hominibus infesta, fertur olim per Mercurium misisse pomum, in quo scriptum erat, Pulchriori detur, ad Iunonem, Palladem, & Venerem, atq; per id magnum inter ipsas deas, flagrasse desiderium potiendi muneris, fuissec; certamen. Fabulam Lucianus & Ouidius referunt. Hæc eadem omnis æque humani iuris ut diuini hostis, cuncta quæ quondã multo maxima fuisse accepimus, regna debilitauit, euertit, deleuit. Sed uetera missa faciamus, & quæ præter oculos fiunt, in ijs simus. Ista potens dea abhinc triginta annos, tantum odij in Christianũ orbem struxit, ut ille Gallorum, Hispanorũ, Germanorũ armis penè uictus cum nequeat, prò deum hominumq; fidem, ullo stare pacis compositæ pacto, uideatur in dies magis in offensionem dei irruere, ac sibi malum ut Cæcias ad se nubes trahit, sicut in prouerbio est, parere. Atqui dea prophanis non contenta ruinis, uelut omnium inimica religionum, ad turbandas res sacras multo fortius animum induxit suum, ac primum omnium sacerdotalem ordinẽ sæpe diuisit, sed illo sese rursus coagmentante, ad ministros concitandos aggressa, breui tempore effecit, ut ex sacerdotum collegio, teste diuo Hieronymo in epist. ad Euagriũ, extirpandi schismatis gratia, unus sit optatus, qui alijs præesset, qui episcopus est dictus, eiq; honesti uictus causa, agri aßignati, atq; mox alij præpositi dati, ut ne cuncti rite dicere possent, Nihil

habentes, & omnia poßidentes, sed potius, Meum & tuum. Cæterum tu fortasse negabis episcopos ab initio factos esse, ob discordiam euellendam, cum satis constet Iacobum Hierosolymæ, Petrum Antiochiæ, ac alios alibi quamplurimos seruandi potius sacerdotij, quàm ullæ tollendæ simultatis causa, quæ nulla tum inter illos longe sanctißimos collegas orta erat, creatos fuisse episcopos, id quod & nos fatemur, & Hieronymus nõ it inficias, qui ad Euagrium, de posterioribus loquitur episcopis, quando iam ambitio per hominum animos peruadere cœperat, nam illorum superiorum ibidem testatur modestiam, concordiam, æquabilitatem, cum affirmet episcopos olim uocatos fuisse presbyteros, ut non imperio, quod permulti etiã nunc nimium sibi assumunt, sed maiore secreti officij cura, episcopi præpositi uiderẽtur. Inde ad monachos dea uolatica se contulit, quod audierit id hominũ genus cum primis illud iactare, Nihil habentes, & omnia poßidentes. Hos facile dicto audientes cum ambitionis tum cupiditatis ueneno ita imbuit, ut statim post sibi præfectos optarint, quos abbates siue priores appellant, qui ut hospitalißimi magnifice & ornate quotidie iure suo conuiuarentur, at ubi gentium præfectis ipsis per leges, id facere minus liceret, tum uniuersi rei familiari augendæ summam impenderent operã curamq;. Quod sanè multo secus est, quàm hoc loco iubet apostolus, qui de humanarũ rerum contemptu, diuinarumq; usu agit, ille enim

qui neglectis diuitijs, in cogitatione cœlestis uitæ acquiescit, uidetur nihil habere cum re uera omnia possideat, id est, sit particeps gratiæ dei, eamq; alijs docendo impartiendam curet, id quod in apostolis accidit, quibus tum copia rerum summa fuit, cum possessiones abiudicarint, atque abiecerint.

Cupiditas omnium malorum radix. D V

Hoc apostoli ad Timotheũ oraculũ longe uerissimũ esse Cicero in primo de finibus bonorũ & malorum, docet, inquiens: Cupiditates enim sunt insatiabiles, quæ nõ modò singulos homines, sed uniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpe rempub. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. Ergo apostoli uerbum toties uelut tritum adagium in ore hominũ uersari audies, quoties illi quempiam notarint ex cupiditate peccare, peccare autem dicitur, cum præ se sua utilitate, honestum parui æstimat. Quippe quod Aristoteli placet, id summum censetur bonũ, quod utile est, quæ tamen ita coniuncta sint, ut quicquid honestum, id utile. Igitur si cupiditas faciendæ pecuniæ, de qua hic agit Paulus, secernat utilitatẽ ab honestate, multa dabit mala, quando hinc cædes, hinc furta, hinc rapinæ, hinc falsa testimonia, ac id genus damna, quæ alter alteri infert. Sed grauiora sibi mala inurunt, qui cupiditate eiusmodi tenẽtur, quod se scelere contaminent, quod miseram uitam uiuant, quod postremo male pereant. Ergo tanquam pestem talem

cupiditatem

cupiditatẽ & pecuniæ studium tot malorũ causam tibi omni tempore fugiendum constituas.

Nihil intulimus in mundum, nec efferre quicquam possumus. DVI

Ecce, cur minus debeamus ardere cupiditate male comparandi nobis opes, cum breui tempore illis uti, frui poßimus, nascimur enim nudi, ac rerum omnium egentes, & postquam non paruo negocio parauimus, quæ ad uitam honeste degendam, necessaria sunt, ecce tibi, in medio sæpe curriculo, mors nobis accidit, uel licet id tardius fiat, tamen cum decedendum sit, nudi propemodum hinc discedimus, nam terra humamur uix linteolo tecti. Atq; sic Paulina sententia nõ iniuria ut ualde prouerbialis apte in eos hærebit, qui neq; rebus comparandis ullum modum ponere, neque partis suo tempore uti sciuerint. Quod in auaros maxime cadit, qui perinde quasi aut nunquam morituri, aut bona sua secũ aliò asportaturi, sese omni uitæ cõmodo interim stultißime defraudant, cum postremo eis nudis, ut diximus, uelint, nolint, hinc, quemadmodũ uerisimile est, nisi prius pœnituerit, ad inferos migrandum sit. Propterea ibidem ita admonet apostolus, Habẽtes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus, cum re uera si sapimus, nihil sit, quod aliud curemus.

Omnes diligunt munera. DVII

Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Esaiæ prophetæ hyperbole prouerbialis, de ijs, qui

facile corrũpuntur, de quibus diuus Hieronymus hunc differens locum scribit: In catalogo uitiosorum numerantur etiam illi, qui diligunt munera. Non dixit, Qui accipiunt, hoc enim sæpe neceßitate fit, sed qui non putant amicos, nisi à quibus dona perceperint, nec os considerant amicorũ, sed manus, & eos sanctos iudicant, quorũ exhauriũt marsupium. Hieronymus hactenus. Quid, quod id uitiũ naturale uidetur, ut propheta ait, cum ferè cunctis mortalibus innatum sit? nam, quemadmodũ Cicero in officialibus libris tradit, omnes expetimus utilitatẽ, ad eamq; rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Ex quo uidere licet, nihil esse tam sanctũ apud mortales, quod non uiolari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poßit. Propterea sapienter Plato in iij. & vi. de repub. eos ciuitatis custodes datos uoluit, qui quàm synceri, quámque incorrupti essent, ut ne in ea illud carmen caneretur:

Munera crede mihi, placant homines q; deos q;.

Principes tui inobedientes, socij furum. DVIII

Iustitiæ, teste Cicerone, primum munus est, ut ne cui quis noceat. Hanc fures in primis uiolant, qui aliena rapiũt, & ut suis utuntur. Custodes autẽ in ciuitate conseruandæ iustitiæ principes, ut Plato ait, esse debent, qui si officij repagula perfregerint, quasi omniũ bona suã prædam ducentes, meritò furum socij dici poterũt. In eiusmodi igitur principes uulgò iactatur illud eiusdem prophetæ, Principes inobedientes, socij furum,

Cum

Cum illi uere inobedientes, hoc est iuris & legũ negligentes uel rapinas faciunt, uel facientes non puniunt.

Deponere potentes de sede. DIX

Qui nõ dubitat spoliare aliena, ut suprà ostendimus, quamuis sit potens, interdum tamen ipse non immerito suo, bonis spoliatur, omniq; deijcitur honore, id quod diuinæ potentiæ est, nõ item humanæ. Quare in adagij consuetudinem uenit, Deponere potentes de sede, cum significatur casus cuispiam potentis uiri, cui multæ opes, non exiguæ amicorum copiæ fuerint, quamobrem appareat id præter hominũ opinionem, ex iustitia diuina esse factum. Nemo igitur tam firmus est, quin per hæc prouerbialiter dicta, debeat pertimescere, ne non aliquando cadat. Fuit deiparæ uirginis oraculũ in Iudæos, ut in eius hymno est, quo prædixit fore, ut illi cũ ob generis antiquitatem, tum ob legum peritiam, ac cærimoniarũ obseruationem, sibi nimium sumentes tandem aliquando omnium gentium deiectißimi essent.

Deus superbis resistit. DX

Superiori simile est istud beati Iacobi uel potius Petri, celebre scitum, ut enim deus solus potentes male agentes ulciscitur, ita eiusdem est, eorũ superbiam cohibere, impugnareq;. Quapropter uulgò ipsum deum superborum hominũ ultorem prædicant, quod ij sint, qui minime omnium debitũ diuinæ maiestati honorem habeant, illum ipsum propemodum sibi insolenter assumentes. Quocirca prouerbij loco increbuit, deum

resistere superbis, cum eos ut iam publice desperatos modis omnibus pœnas daturos innuimus. Cæterũ ista uerba, Deus superbis resistit, haud in omnibus græcis codicibus scripta sunt, propterea ex diui Petri epistola prima, capite quinto, desumptum dixerim.

Habere thesauros in uasis fictilibus. DXI

Præ anima, qua uiuimus, recte corpus testaceum uas existimari potest, cuius singula membra, ut Plato in Timæo præclare docet, iccirco deus ad animæ singula officia accõmodauit. Hinc illa diui Pauli ad Corinth. allegoria adagij nomine, uulgò iactata in eos, qui à corporis obsequio, indulgentiaq; nõ discedentes, nihil ingenij uim attendunt, quæ, uti Cicero de legibus dicit, sicut simulacrũ aliquod dei in nobis est dedicata, per quam, ipsius pariter dei, ac rerum cœlestium notitiam habemus, quam propterea uelut rem multo preciosissimam apostolus thesaurũ uocat, at reliqua quæ corporis sunt, imò ipsa corpora fictilia uasa esse ducit. Quanquam ille hoc loco solum agit, ut eam intelligentiã deo duntaxat acceptam referat, quando per nos eiusmodi rerũ scientes esse nequimus. Quadrabit allegoria cum uolumus ostendere humanũ corpus ualde imbecillum non posse diu sustentari, contrà animam immortalem, eiusq; curam tantummodo suscipiendam, & id præsertim, quia illa est aliquando cum deo, actæ uitæ rationem habitura.

Fortitudo,

Fortitudo, ut fauilla stupæ. DXII

Si aliquando uoluerimus condemnare quempiam socordiæ, aut innuere præ potentia aduersariorum, esse uiribus minus firmũ, tempestiue citabimus illam prouerbialem Esaiæ comparationem, Fortitudo tua, ut fauilla stupæ. Sanè stupa quæ est linum uile, facile ardet, atq; momento consumitur. Ad excidium Iudæorum futurum facta est comparatio.

Percußisti eos, & non doluerunt. DXIII

Ad significandũ incorrigibile hominis ingeniũ, scienter faciet illud Hieremiæ prophetæ, Percußisti eos, & non doluerunt. Quod in eosdem Iudæos ille protulit, qui multis affecti calamitatibus, in errore permanserunt, ut qui nõ recte sentirent. Porrò si homo male acceptus uerbis, uerberibusq; affectus, si equus calcaribus pressus nihil mouetur, iam apparet utrunq; omnis esse doctrinæ minus capaces.

Peruenit gladius usq; ad animam. DXIIII

Contra hoc, illud pugnat eiusdem prophetæ, Peruenit gladius usque ad animam. Cum innuitur aliquem accepta plaga, dirumpi dolore, agnoscere delicta, pœnitere factorum. Sumpta metaphora à gladio, quo letale infertur uulnus, quod fit, cum in cor penetrat, ubi animæ sedes est, cor enim ex omnibus uisceribus, solum statim ut læditur, mortem affert. At propheta per hũc modum, ostendit populum necesse habere accipere pacem, & repromißionẽ, quæ non sequentur, nisi gladius

præcesserit, qui desecet, ac purget animæ uitia.

Arguet te malitia tua. DXV

Arguet te malitia tua. Eiusdem Hieremiæ oraculũ, *cuius prouerbialis usus est in eum, qui suo merito plectitur, qui suo ita periculo edoctus addiscit recte agere. Sed propheta per hoc, cum primis docet plus eum pœnitere, qui plus peccauerit, cum cœperit resipiscere, & errata agnoscere.*

Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, inter te, & ipsum solum. DXVI

Vide, quid sibi postulet amicitia, quanquam enim difficile est, quin amici simul agendo, interdum imprudentes ius amicitiæ uiolent, attamen tanta uis amoris est, in quo omnis amicitia consistit, ut amicus non statim irascatur, sed non parum multa æqui boníque faciat, nonnulla dißimulet, & cum iniuria multiplicatur, tũ remedij adhibendi causa, primo quoque die ad amicum adeat, coràm modice expostulet, coarguat, reprehendat, atque castiget, quo ab officio non discedat, & si quid culpæ ille in se susceperit, protinus emendet. Hoc *igitur mutuum inter amicos officium esse debet, id quod* Christus *admonet, ut charitas tanquam gubernaculum in summo irarum fluctu nos regat, qui apud* Matthæũ *inquit: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, inter te, & ipsum solum.* Quod *hodie omnium sermone uulgatum, in tritum ceßit prouerbium, in eum, qui fractis puncto temporis beneuolentiæ*

tiæ uinculis, ob minimã iniuriæ notam, ab amicitia sto lide recedit, in obliuionem charitatis uenit, perinde nihil tanto beneuolentiæ fœderi quasi concedendum sit. Quid, quod si ita facias, nequaquam dominicum attendis præceptum, per quod iuberis fratrem monere, illi parcere, ut cum denique à culpa uacuum facias, sic, ut non habeas, in quo hominem accuses? Illud tam factu facilimum, quàm iussu æquißimum liquidò liquet, etenim ecquid aliud iubemur, quàm quod in nostra est manu, id est, commonere, parcere, iniurias obliuisci? ita ut nobis meritò fraudi esse poterit, si tam pio dicto atque æquo non fuerimus audientes. Veruntamen quàm uereor, ne non permulti sint, qui id facere nolint, qui fortasse multo facilius obtemperarent, si iuberentur castigare fratrem, eique remittere culpam, quoties in deum peccarit, quia, quemadmodum Hieronymus ait, ut ad ulciscendas iniurias nostras maxime omnium ardemus, ita minime mouemur, ad offensionem dei uindicandam. Quotus enim quisque cu iusuis hominum ordinis memoria nostra inuenitur, qui si lex dei uioletur, non facile forsitan conniueat, non facile taceat, non facile patiatur? Contrà si quid de maiestate, de iure, de commodo detrahatur, non magnopere reclamet, non pugnaciter resistat, non fortiter defendat? Sed iam diui Hieronymi sententiam satis planam fecimus.

Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. DXVII

Deus faceret, ut hoc præclarũ, quod est in dominica prece, caput tam in multorum mente continenter hæreret, quàm frequenter prouerbij uice, in ore est, tum enim dubio procul melius cũ humanis ageretur rebus, quandò per hoc, ut ne uindicta sibi similiter damno esset, pro se quisque ab alterius iniuria manus abstineret. Sed quoniã, ut in proximo adagione dictum est, non facile remittimus, heu quantas acies stragesq́;, ut ait Vergilius, cieret deus, quidúe nobis faceret, si ad nostrum rogatum responderet, atq; secundum illum, nobiscum ageret? qui tamen pro benignitate sua, non statim sontes plectendos decernit, sed spaciũ dat sui corrigendi. Quare diuus Cyprianus hunc explanans locũ inquit: Si autem confeßi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus dominus, qui nobis peccata remittit. Adiunxit planè, & addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens; ut sic nobis remitti debita postulemus, quemadmodum & ipsi debitoribus nostris remittimus. Excusatio tibi nulla in die iudicij superest, cum secundum tuam sententiam iudiceris, & quod feceris, hoc & ipse patiaris. Hæc Cyprianus. Nos autem prouerbialiter hanc sententiam usurpamus, cum uolumus quempiã inducere ad parcendum, quandoquidem nulla ratio ad remittendam offensionem efficacior existit,

quàm

quàm quæ docet manere illum pœnam talionis, qui alteri non ignouerit.

In ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. DXVIII

In ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Dici solitum est, quoties significatur habendam esse fidem testibus, in re acta, & ad agendam, testes adhibendos, qui cum opus erit, testimoniũ dicant, fidem faciãt. Ex Deuteronomio desumptum est, & à Christo apud Matthæum, citatur. Hinc colligere licet plures debere esse testes, quia unus facilius fingere, mentiri, ac corrũpi potest, quàm multi. Numerus uero non limitatur, sed pro grauitate causæ, à iudice plures paucioresúe petuntur. Vlpianus: Vbi numerus testium non adijcitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim elocutio duorum numero constituta est.

Nónne ethnici hoc faciunt? DXIX

Vbi plus oneris uni causa personæ, quam sustinet, quàm alteri incumbi innuitur, argumentatione à minori ad maius sumpta, solet illud euangelicum uerbum concinne, ac perapposite inferri, Nónne ethnici hoc faciũt? Ita Christus suos discipulos quàm integros, quàm perfectos uoluit, quo nihil affectionibus tribuerent, id quod facere, haud minimæ uirtutis est. Iubebat itaque Christus, ut diligerent inimicos, rem uidelicet post homines natos, difficilimam, cum offensio æque omnibus odiosa sit, qui illud ipsum & affatim docuit, & plena

manu præstitit, cum dixit, Pater *ignosce illis, de suis aduersarijs loquitur, quod enim faciunt, nesciunt.*

Vertere percutienti alterā maxillam. DXX

Si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe & illi alteram. Confinis *superiori ista* Christi *præceptio est, de eo, qui tanta sit animi constantia, ut alapam inferenti non modò non resistat, sed maxillam alteram obuertat.* In *usu frequenti est, cum patientia ac mansuetudo cuipiam inculcatur. Sumptū uidetur à* Hieremia, *qui inquit:* Bonū *est homini, cum sederit ab adolescentia sua.* Dabit *percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Id *contumeliæ tulit ipse* Christus *dicens apud* Ioannem: *Si male locutus sum, testimoniū perhibe de malo, sin bene, cur me cædis? Ac iste unus est, ex perfectionis christianæ gradibus, siquidem nouem esse* Chrysostomus *hunc disserens locū refert, ita scribens:* Primus *perfectionis gradus est, nequaquā priorem ad lædendum uenire. Secundus, ut non amplius referat, quàm quod à lædente sustinuit.* Tertius, *ne læsus faciat ea, quæ passus est, sed quiescat.* Quartus, *ut etiam præbeat seipsum, ad iniuriā sustinendam.* Quintus, *ut etiā ad maiora se præbeat, quàm uult ille, qui fecit. Sextus, non odisse, à quo ista perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem.* Octauus, *beneficijs quoq; eum libenter afficere.* Nonus, *etiam deū pro aduersario deprecari.*

Mutuum date, nihil inde sperantes. DXXI

Christus, ut superius patet, uoluit suos discipulos beneficos

neficos etiam inimicis esse, nunc ponit modum, ut ne beneficia fœnerētur, nam ut uerißime Cicero ait, Hoc do, hoc recipio, non est beneficium. & inquit apud Lucam: Mutuum date, nihil inde sperantes. Tantū enim abest, ut Christus uelit nos paria recipere, hoc est, ex mutua pecunia, fœnus, ut etiam uetet gratiā exigere. Sed cum diuo Ambrosio forte dices: Rarius ergo beneficia conferentur, quia studia liberalitatis sine remuneratione facile torpescunt. Iccirco seruator de præmio ibidem agit subijciens: Et erit merces uestra multa, & eritis filij altißimi, quia ipse benignus est, erga ingratos ac malos. Atq; hæc sunt officia, quibus debet Christianus ab Ethnico differre. Sed haud scio, si uelimus recte rem expendere, an multi nostrorū inueniantur, qui hac nota alij sint ab ethnicis, cum bona pars non dicam uulgi, sed præpositorū, uel quibus præceptum est, Gratis accepistis, gratis date, paßim iurisdictione, potestate, & legibus ad quæstum utatur, adeò unusquisque dissolutus in id quod ex usu suo potius quàm è repub. esse cernit, semper incumbit. At præscriptum Christi iampridem in prouerbij consuetudinem receptum nobis obuiū est, cum significamus inter nos, gratuitò esse beneficia conferenda.

Sapientibus & insipientibus debitor sum.

DXXII

Sapientibus & insipientibus, siue eruditis ac rudibus debitor sum. Sententia Pauli ex epistola ad Romanos,

communiter instar adagij, cum quis admonetur officij pluribus præstandi, nanque Stoicis placet, ut Cicero in primo officiorũ refert, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominũ causa, esse generatos, ut ipsi inter se, alij alijs prodesse poßint, sic ut pro se quisque debeat cõmunes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendoq́; tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominũ inter homines societatem. Ista omnia magni poterant esse ponderis apud apostolũ, sed illud plus ualebat, quod doctor gentium esset, qui æque omnes sapientes quàm stultos officio fungendi causa, se docturũ profiteri deberet, & sapientes ut Ambrosius sentit, uiros doctos, insipientes rudes uocat, qui ab eo pariter Christiano dogmate erudiendi erant.

Alium doces, teipsum non doces. DXXIII

Alium doces, teipsum non doces. Dici solebat de eo, qui id uitium fugiendum prædicaret, à quo ipse uacuus non esset, atque ita operam luderet, nam qui sibi sumpsit, ut aliorum mores corrigeret, & suos itidem malos non deponeret, quis hunc audiret? Igitur Paulus in eadem epistola ad Romanos ita arguit Iudæos, qui se peritos legis profitebantur, eamq́; docebant, sed quæ lex iuberet, ignorabant, id est, Christi mysteriorũ nescientes. Et istiusmodi apostoli dictum haud sanè iniuria, iam inde à principio prouerbij loco, apud uulgum increbuit, quando omni tempore fuerunt, qui in hoc er-

rore

rore perinde uersati sint, ac hodie bene multi eius insaniæ macula multo notatissimi existant.

Imponere in humeros hominum onera grauia. DXXIIII

Seruatori nostro Christo ciuitatem dei condituro nihil potius fuit, quàm nullum recusare laborem, nullum quamuis humile munus non suscipere, nullum quærere cõmodum, quippe qui totam Iudæam docendo pedibus obiuit; suis discipulis pedes lauit, opes omnes contempsit. Talis igitur magister iure potuit optimo, liberaq; uoce, pharisæos & scribas insolentiæ, superbiæ, contumaciæ coarguere, qui apud Matthæum, de illis ita locutus est: Colligant onera grauia, difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterum digito suo nolunt ea mouere. Ista Christi castigatio tam sanctissima, quàm uerissima in ore omnium prouerbij uice est, in eos, qui turpiter officij admonitione indigẽt. Quapropter ecquid porrò fiet nonnullis ex nostris episcopis, ad quos, ut ait Hieronymus, pharisæorũ uitia transierunt, qui populum Christianum quotidie nouis obligant legibus & obseruationibus, quas ad se nihil attinere putant?

Quod uobis dico, omnibus dico. DXXV

Quoties uolueris aliquid recte curatũ, & iccirco certis hominibus præcepta agẽdi in re aliqua dederis, uel imposueris onus, legemúe reliquis omnibus iuxta obseruandam, apposite usurpare poteris illud euangelicum

uerbum apud Marcum, Quod uobis dico, omnibus dico, Vigilate. Hic uoluit Christus cunctis præceptum, ut uigilarent, quia, ut Plato in vij. de legibus tradit, somnus multus nec corporibus nec animis, neq; rebus gerendis natura conducit. Nemo quidem dum dormit, alicuius precij est, non magis quàm si non uiueret. Quare ei qui uiuere & sapere cupit maxime, perdiu uigilandum est, cum præsertim multa omni ferè momento horæ, supra caput sint, quamobrem nos inertiæ dare non debeamus.

Pars mea, qua utor. DXXVI

Pars mea est, qua utor. Sententia Ecclesiastis admodum prouerbialis, quam ille ita effert: Hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Perinde pollet, ac si dicatur, nihil nostrum, extra id, quod ad usum uitæ pertinet. Vnde illud Christi præceptum,

Contenti estote stipendijs uestris. DXXVII

Cum libet quospiā auariusculos prouerbialiter commonefacere, ut nō æstimatione census, sed uictu et cultu rerum suarū, putent se usq; eo diuites, ut nihil sit, quod amplius quicquam anxie quærant, cōmode ac adagij nomine, adducemus responsum Ioannis Baptistæ apud Lucam, militibus datum: Neminem concutiatis, neque calumniā faciatis, & contenti estote stipendijs uestris. Item & publicanis: Ne quid amplius quàm quod constitutū est uobis, exigatis. Quod si multi facerent, multo nempe melius res nostræ se haberent, cum illi soleāt

non

non modò oculis, sed etiam auribus cupiditatem conci-
pere auentes, quæ nunquam uiderint, & ob id, alienis
rebus manus continenter afferentes, quo ex animi sen-
tentia, ubertim farciantur. Congruet in rapaces. Ita
Ioannes modum posuit militibus & publicanis, ne ij
in uectigalibus exigendis, rapinas, & illi militando,
prædas facerent, nam ab eiusmodi hominū genere ma-
leficia potius quàm beneficia proficisci solent.

Non mihi soli laboro. DXXVIII

Qui dicet se in ijs laborare, quæ ex usu multorū sunt,
licebit usurpet illud ex ecclesiastico, Non mihi soli la-
boro. Istuc facit bonus agricola, qui serit arbores in
annos innumerabiles duraturas, ex quibus posteritas
fructus quoque capiet.

Aedificant domos, & non habitabunt.
DXXIX

Allegoria prouerbialis ex propheta Sophonia, sen-
su nō discrepat à superiore, quæ in eos mire conueniet,
quos senio propè confectos, magna delectat inchoare
ædificia, quæ mox tantum abest, ut habitent, ut etiam
imperfecta relinquant. Tale quid memoria nostra con
tigit Iulio Romano Pontifici, is enim tametsi id ætatis
erat, ut diu uiuere non posset, magnifica tamen opera
posuit, uel ob successorū oculos, quo ea perficienda ci-
tius curarent, nisi reprehensionē incurrere uellent.

Tempus præterit, mors appropinquat. DXXX

Ad significandum tempus præteritū nunquam reditu-

rum, & nos tempore senescentes idem curriculum frequētaturos, illud ecclesiastici apte subijcietur, Tempus præterit, mors appropinquat. Porrò si nobis tempus reuerteretur, haudquaquā illa corporis ac animæ solutio obreperet. Sed dices te nescire, quid sit tempus, quo nos uitæ cursum metimur. Id nempe, quod Plato in Timæo, solis & lunæ ac cæterorū syderum circuitiones esse luculenter docet.

Quod senescit, prope interitum est. DXXXI

In senes insanos, qui quo magis senescunt, hoc fermè maxime omnium, diutius uiuere cupiunt, quadrabit illud ex epist. Pauli ad Hebræos: Quod senescit, prope interitum est. Senescit autem corpus, quod uetustate, quod morbo, quod mœrore in dies singulos deflorescit, atq; deniq; interit. Quippe quicquid, ut Socrates apud Platonem, in Phædro præclare probat, ex seipso minus mouetur, immortale non est. Id in corpore accidit humano, quod tantūmodo per animæ continuum motum, excitatur, quare ut minime immortale aliquando dissoluatur, necesse est.

Puluis es, & in puluerem reuerteris.

DXXXII

Huc uel illa pertinet lex uiolati præscripti primo parenti imposita, ut in geneseos libro extat, Puluis es, & in puluerem reuerteris, quo ille uitæ exitus sciens minus efferretur superbia. Corpus ex terra confectum constat, & in terram, id est, puluerem reuertitur, cum ea humatur.

ea humatur. Cæterum hoc prouerbiale ſchema perop portune interponitur, quoties quis ſuæ immemor in-firmitatis plus nimio fidit corporis uiribus, aut ob for mam ſibi placet, aut propter opes fit arrogantior, ſi-biq́; multum ſumit, quo ſe demum intelligat eſſe uiuum ferè umbram, & mortuū puluerem. Ex quo Horatius *in iiij. carminū ad* Torquatū: *Puluis & umbra ſumus.* Intelliget *autem homo, quid ipſe ſit, cum per hæc, cer-tum ſciuerit ſe habere ſocietatem carnis, quæ omnibus modis aliquando caſura eſt.*

Creſcite, & multiplicamini. DXXXIII

Creſcite, & multiplicamini. Præceptum dei eſt per Noë, *mortalibus datum, quo poſt diluuium, orbem co lonis uacuum continuo deinde fœtu opplendum cura-rent. Sed ita uſu uenit, ut bene multi interdum eo præ-ſcripto abutentes, ad inhoneſtā rapiantur* Venerem, *ac ſceleris excuſandi cauſa, illud prouerbij loco iactēt, Creſcite, & multiplicamini. Perinde quaſi belluarum more, nulla ſeruata lege, fas ſit, cum quauis muliere, operam liberis dare, id quod nonnullæ feræ gentes e-tiam nunc faciunt.*

Carnem cum ſanguine, non licet comedere.
DXXXIIII

Allegoria à ſacrificandi conſuetudine ſumpta, quan-do apud Iudæos, *lege exceptum erat, ut ſanguine ani malium immolatorū omnino non ueſcerentur, quæ in-ſtar adagij, in tyrannos, in graſſatores recte aptabi-*

tur, qui non contenti hominũ spolijs, occisionem sæpe faciunt. Siquidem utrunq; apud rerum sacrarum scriptores, obuium est, ut comedere pro diripere, & caro pro substantia ponatur. Asaph psalmo lxxviij. Quia comederunt Iacob. Et Ecclesiastes: Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas. Sanguis item modò pro uita, teste eodem psalmo: Effuderunt sanguinem ipsorũ. modo pro morte, ibidem: Vt innotescat in nationibus coram oculis nostris, ultio sanguinis seruorũ tuorũ. Cæterũ allegoria perapposite in omnes generãtim torqueri potest, qui contrà, atq; lex mosaica iubet, facientes post deuoratas hominũ facultates, quonam pacto illos quoq; funditus euertant, summopere laborant, uel in ulciscendis iniurijs, sine modo sæuiunt.

Comedere domos uiduarum. DXXXV

Comedere domos uiduarũ. Hyperbole prouerbialis apud Matthæum, in pharisæos à Christo torquetur, quod simpliciores mulierculas, & pauperiores quales plurimum uiduæ sunt, spoliarent, idq; sanctitatis simulatione facerent. Quod post hominum memoriam, indignissimũ erat facinus, minusq; tolerandum, quando, ut Chrysostomus istum locũ differens ait, si omnes qui male agunt, supplicio digni sunt, ille ergo qui specie bonitatis, ad improbitatem tendit, multo grauiore pœna afficiendus est. Congruit in nostros bene multos mendicantes monachos, aliosue sacerdotes, quibus nihil est antiquius, quàm ut multis precibus, multisq; alterius

uitæ

uitæ pollicitis, quaſi in eorũ manu ſit beatum reddere quem uelint, aut defunctorũ animas in campos elyſios educere, circũueniant mulieres impenſe credulas, pecuniamq́; ab eis egregie emungant. Aut ſpeciatim in hæreditatũ expilatores, qui pupillos & uiduas ita quodãmodo deuorant, dum ſe illis auxilio fore pollicentur. Atq; ſic fucoſam ſemper bonitatem cum auaritia coniunctam tanquã religionis peſtem tibi fugiendã conſtituas, quãdo hæc in cauſa eſt, quare minus pietatis inter mortales exiſtat, nam qui ſe ea muniunt, omnium bipedum ſceleſtiſsimi ſunt, muniunt autem ſe ubiq; gentium eiuſmodi fallacijs iſti flagitiorũ principes, ex eoq́; impunius agunt, quod eis certa non ſit indicta pœna, quam Plato in hac parte longe ſapientiſsimus minime prætermiſit, qui in fine decimi de legibus libri, hoſce ſcelerosos puniendos ſanxit, & quales eſſent facile deſcripſit, inquiens: Sunt qui ad eam opinionẽ, quod dij ſint, & uel negligẽtes, uel placabiles, immanes quoq; fiant, hominesq́; deſpiciant, & uiuentes ad ſe multos alliciãt, trahantq́;, necnon defunctos ſe trahere conſolariq́; dicant, profiteanturq́; ſe deos ipſos cantibus, ſacrificijs, uotisq́; mulcere, & hoc lenocinio conentur domos & ciuitates uniuerſas pecuniarũ gratia perdere.

Deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis.

DXXXVI

Simile ſuperioris, ex pſal. xiij. ubi ſermo fit de hæreticis, qui more ſemper eſurientium, uere deuorare di-

cuntur, quando suis maleficis artibus Christianũ popu lum male instituunt, cum continenter in errorem, in exitium, in mortem perpetuam secum trahere studentes. Et ad id alluditur, quod panis cibus sit communis. Cæterũ uulgus uersiculum ut prouerbialem frequenter in raptores, rerumq; publicarum depeculatores apte usurpare solet.

Væ genti peccatrici. DXXXVII

Est uel illud Esaiæ prophetæ instar adagionis in ore uulgi, Væ genti peccatrici, cum diuinum numen, religionem, sacra, alicuius sectæ, populi, uel ciuitatis supplicio expiari peruolunt.

Virga peccatorum super sortem iustorum.
DXXXVIII

Hoc prouerbiale schema belle accõmodabitur, cum infelix lolium, & steriles dominantur auenæ, hoc est, cum mali dominantur, & bonos premunt. Sumptũ ex psal. cxxiiij. ubi, ut Hieronymus admonet, non uirga Hebræis, sed sceptrum legitur, quod regale est insigne. Atqui ea iustorum hominũ sors sæpe est, ut sub improborum sint imperio, quorum iniquitates si sufferre ualuerint, tum plurimũ apud deum merebuntur.

Multæ tribulationes iustorũ. DXXXIX

Multæ semper sunt turbæ iustis, uti constat ex psal. Dauid xxxiij. Sanè boni ita tentantur, ut si non sæua præpositorũ imperia, non iniqua iudicia, non uim, non contumelias, non bonorũ direptiones, non cætera domestica

mestica incommoda, quibus oppreßi sint, querantur, apud deum, sed ea omnia æquo animo patiantur, tum optimi inueniantur, comprobenturq́, ac ob id, quemadmodum propheta subiungit, sæpe ijs omnibus calamitatibus liberentur, at ad extremum per mortem. Sic carmen prophetæ in prouerbij consuetudinem deductum est, quoties significamus homines honestos & integros plus accipere calamitatum.

Mors peccatorum peßima. DXL

Contra hoc, extat eiusdem psalmi uersiculus, Mors peccatorũ peßima. Quippe suprà demonstratum est mortem omnium malorũ finem facere probis uiris, at improbis non item fieri, docet Socrates in Gorgia Platonico, qui dicit animæ peccatis copertæ non utique mortem, sed descensum ad inferos, extremum esse malorum, quod iste initium pœnæ, illa quietis afferat. Ac satis argumenti esse uidetur, quamobrem propheta dixerit mortem peccatorũ peßimã, qui tum pœnas luere incipiant. At uulgus aliter more suo, propheticũ carmen uelut prouerbiale usurpat, cum uult innuere malum hominem malam obire mortem, id quod accidit, per supplicium, per cruciatum, & casum quempiam inopinatum.

Non uidi iustum derelictum. DXLI

Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Hyperbole prouerbialis è psalmo xxxvi. conueniet, cum dixerimus hominem honestum & iustum,

qui bona fide omnia agit, non posse male perire, nec eius filios in egestate esse. Sed néue hoc, néue illud quæras, uerum sit, nec ne, cum quotidie uideamus bonos & integros cum suis filijs, sexcentis affectos calamitatibus, ad inopiamq; redactos, unde prophetæ carmen in prouerbij usum uenit. Verum secus atq; uulgus accipit hoc loco Dauid agit, qui docet iustum nunquã à deo derelictum, nec eius genus indigum cœlestis doctrinæ panis. Ad illud respicit Christus, cum ait: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Delicta quis intelligit? DXLII

Alcibiades apud Platonẽ, cum Socrate loquens docet quid sit, quamobrem non facile quis sua peccata intelligat, qui inquit: Illud autem cogito, quantũ malum sit hominibus ignorantia, quandoquidem propter hanc, nos latet, cum male quid agimus. Hinc ortum, ut iste psalmi xviij. Dauid uersus cõmune omnium uerbum sit, cum uolunt significare neminem hominẽ sua fermè agnoscere errata, sed opus esse monitore, quem hoc loco propheta deum esse declarat, qui scrutator cordis est, eumq́; inuocat, ut sibi peccata & manifestet, & remittat.

Beati, quorum tecta sunt peccata. DXLIII

Cum uolumus innuere quempiam hominem contaminatum ex eo publicitus in honore esse, quod eius mores adhuc in hominum ignoratione sint, solemus istuc prophetæ

prophetæ carmen ex psalmo xxxi. uelut prouerbiale apposite inferre, Beati, quorum tecta sunt peccata. Nam ita significamus bono quandoque nonnullis esse, quod minus cognoscantur. Quapropter uidere quotidie licet eiusmodi genus hominum peregre uitam illam impuram ducere. Peccata autē ea tecta dicimus, quorum correctio ab amicis proficiscitur, ac ita charitas, ut apostolus Petrus ait, operit multitudinem delictorum, quādo castigati à male agendo nos propemodum prius reuocamus, quàm malefacta in aperto sint. Aut tecta, quod ea hic pœnitentia delentur, ut ne in extremo iudicio ei obijciantur, qui cōmiserit.

Vnusquisque in suo sensu abundet.

DXLIIII

Abundare suo sensu quis prouerbialiter dicitur, cum in sua permanet sententia, id quod pertinacis est. Cæterum Paulus cuius hæc uerba sunt ad Romanos, cum ortam disceptationē de cibarijs sumendis, propter eos, qui more Iudaico, delectum habebant, sedare conaretur, demum uoluit id facere unicuique integrum esse, quod eius opinio ferret, qui sic abstinentiam cibariorū catenus illis non negauit, quoad religione melius instituti istiusmodi cærimonias minus obseruādas sua sponte curarent. Atqui id certationis inter nos postea non restrixit, non quieuit, nunc etenim certis hebdomadæ diebus, quibus patres nullum olim ciborum delectum habendum decreuerant, in ea ipsa re non modò curam,

operam, industriam, sed summam religionem, pietatem, sanctimoniam Iudæorum more ponimus, interea parũ obseruantes, quid ex ore prodeat, contrà quàm iusserat Christus, qui animum quo deus colitur, cum cogitationibus, tum uerbis, non item cibarijs, maxime inquinari, apud Matthæũ cap. xv. præclare demonstrauit. Ex quo uereor, ne non illud in nos nimis uere iactari poßit,

Aethiops non mutat pellem. DXLV

Vetus est adagium, de ijs, qui rem quampiam conantur, quam natura repugnante, perficere nequeunt. Siquidem natiuus Aethiopũ nigror, qui hoc in loco pellis dicitur, nunquam mutatur. Vsurpat prouerbium Hieremias dicens: Si mutare potest Aethiops pellem suam, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Hoc prouerbiali argumento propheta ostendit suos Iudæos diu in peccatis uersatos haudquaquã posse mores deponere, quod longa consuetudine in eam quasi naturam uiuendi se induerint. Illud ipsum indies magis magisq; in nos cadit, qui religionis nomine, sanctitatẽ summã profitemur, sed quemadmodum haud alia unquam natio fuit magis eiusdem cultrix, ita propemodũ minus obseruatrix existit, id quod una in primis probatur re. Nos etenim ipsam religionem, leges, sacra una uoce fidem uocitamus, quæ adeò his temporibus in nobis exigua est, ut rara ulla societas intercedere poßit inter nostros principes diuturnior. Vnde ciuile bellum

ortum, quod absque alijs malis, facit, ut impræsentia Turcæ non dubitent aggredi ad Pannonios armis infestandos, qui desperantes auxilium uix ullam spem reliquam salutis esse arbitrantur. Atque tam nobile ac sanctum regnum per turbas rixasq; uostras, in periculũ seruitutis æternæ uenit. Quæ malum ista uoluntaria religionis pariter Christianæ ac reipub. perditio? Id scilicet, quod male iam instituti perinde nequimus ab iniuria dei & hominum manus abstinere, ut Aethiops pellem nequit mutare. Vnde illud in hos pacis æque ut fidei osores,

Non ueni, ut mitterem pacem, sed gladium.

DXLVI

At tu qui ea quæ suprà ipse dolenter perstrinxi, nostræ ætatis mala fortasse non sine lachrymis, ponderas, illud Christi apud Matthæum, trito iam uulgi sermone in prouerbium adscitum, pro illis, qui tantam in orbem Christianum continenter pestem conferunt, adduces, Non ueni, ut mitterem pacem, sed gladium. Perinde quasi eiusmodi homines nati sint ad uastandũ ipsum orbem terræ, cæde, & incendijs. Certe non absre adduci potest, non pro illis, sed in eos, eorumq; similes, qui pacis, qui quietis, qui iustitiæ hostes bella, discordias, iniurias machinantur, concitant, faciunt. Quæ arma nihil cum Christi bello, aut gladio consentiunt, ille enim mortales olim in una eademq; erroris naue uersantes primo seiungendo turbauit, deinde tur

batos simul conglutinādo tranquillauit confirmauitq́;, nam eius religio ut noua ubi introduci cœpit, multos uno tempore solicitauit, alijs credentibus, alijs ab inaudito post hominum memoriam, uitæ instituto abhorrentibus, sic, ut filius patrem, filia matrem, uxor uirum, frater fratrem reliquerit, & Christum secutus sit, qui ita Christiano gladio domiti non in seruitutem, sed in lætam uenêre pacem. Atque sic uis uerbi euangelici quam Christus gladium appellat, perinde auellit mortales à malo uitæ instituto, ac ipse solet gladius eosdem ad quiduis faciendum, patiendumq́; cogere. Eandem discessionem impræsentia cogit homines facere nō amor religionis, non uis pietatis quæ ubique ferè gentium ab improbitate, audacia, perfidia oppugnatur, sed hostile odium, licentia militaris, sæuitia belli, ius uictoriæ intolerabile. Et credo istos miseros ita patrijs laribus eiectos, manibusq́; parentum ereptos ad Christum quoq; se adiungere. Quem enim alium tot malis oppreßi sothera appellarent? Cœpit ea temporū calamitas Alexandro sexto Romano Pontifice, cum primum Galli infestis armis Italiā inuasere, nec etiamnum senescit, Clemente septimo sedente. Quo fit, ut illud cū his temporibus congruat.

Totus mundus in maligno positus. DXLVII

Quoties libet non sine stomacho, & dolore, ac prouerbij nomine, unà cum M. Tullio gemere, & exclamare, O tempora, ô mores, id ille facit in Catilinam, & c.

& C. Verrem, id est, innuere, per uim temporum, similiter, atque hominum nequitiam, humana diuinaq́; labefactari, consuetudo est non rara, ut scitum illud diui Ioannis iampridem in prouerbij loco circunferri suetum identidem repetamus, Totus mundus in malo constitutus.

Legem habemus. DXLVIII

Tanta uis est iustitiæ, ut eius honesta præscriptione flagitiosißimus quisque suum maleficium tegere conetur. Ita Iudæi prædicabant iuste se Christum crimine damnare, ad suppliciumq́; petere, quod legem haberent, per quam liceret hominem morti dedere, clamantes apud Ioannem euangelistam, Nos legem habemus, & secundum legem nostram mori debet. Ita latrones leges habent, quibus pareant, per quas iubentur inter se, prædam æquabiliter dispartiri, perinde quasi bono modo partam. Ita quicunque alteri facit iniuriam, factum suum iure tueri nititur. Hinc natum, ut cum uolumus taxare quospiam, qui ideo fraudem cõmittant, quod non secus quàm per leges liceat, se facere iactitent, ironice dicamus, Legem habemus. Cum alioqui lex uitiorum, fraudum & iniuriarũ emendatrix, non item fautrix esse debeat, & ad salutem hominum, non ad perniciem condita, quemadmodum Plato de legibus paßim edocet.

Ecce somniator. DXLIX

Ecce somniator. Prouerbiali conuicio de homine ua-

no, mendaci, & stulto dici solitum, quod ea quæ somniamus, plurimum euanescant. A Ioseph Iacob filio petita allusio, quia ille somniorum interpretandorum artem professus, à fratribus per iocum somniator est appellatus.

Onager assuetus solitudini. DL

Cum placuerit quempiam tecte ac ioculariter appellare sordidum, rusticum, ac hominũ societatis fugientẽ, accõmodabimus Hieremiæ uerbum, Onager assuetus solitudini. Quod onager ferus asinus locis syluestribus gaudeat, & homini nihil eo longius esse debeat, cuius natura, uti Cicero in amicitia ait, solitarium non amat quicquam.

Aetatem habet. DLI

Vbi quis id ætatis esse dicitur, qui iam pro suo iure sumat, ut agat, quod uelit, & quæque expetenda, fugiendáue sint, delectum habeat, commode de eo repetetur euangelica allusio sumpta ab illo cæco nato, qui apud Ioannem, per Christum uisum recepit, Aetatem habet. Quo intelligatur illum non egere neq; rectore, neq; gubernatore, qui cæco opus est.

Cui minus remittitur, is minus diligit.
DLII

Parabola euangelica duorum debitorum, uti apud Lucam est, speciem adagij præ se fert, cum uolumus significare aliquos amicitiam non amore, sed munere & beneficio metiri, & qui maiora accipiant, magis amare,

amare, ita uolente natura, qua ad utilitatem omni modo rapimur. Quam ob rem hic ne uestigium quidem existit ueræ beneuolentiæ, de qua plura inferius.

Diliges proximum tuum, sicut teipsum.

DLIII

Deus iam inde à principio, inter mortales, coniunctam uoluit amicitiam non fictam, non fucosam, sed synceram & ueram, cum per Mosen, ut in Leuitico extat, iußit hominem perinde alterum amare, atque seipsum, dicens: Diliges amicum tuum, sicut teipsum. Quod Christus apud Matthæū capite xxij. alterum præcipuum præceptū esse affirmat, nam primum est, ut quis deum ex animo diligat. Non potuit hercle clarius conciliandæ beneuolentiæ exemplar proponi, id quod Cicero in suo Lælio præclare demōstrat inquiēs: Sed plerique neque in rebus humanis, quicquam bonū norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos tanquam pecudes, eos potißimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Itaque pulcherrima illa & maxime naturali carent amicitia, per se, & propter se expetenda, nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc uis amicitiæ qualis & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam à seipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quod per se, sibi quisque charus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, uerus amicus nunquam reperietur, est enim is amicus quidem, qui est tanquam alter idem. Hæc ille. Non ab re igi

tur istuc tam sanctissimum, quàm saluberrimum præceptum in Christiano ore uelut aureum, ut ita dicam, prouerbium identidem resonat, Diliges proximum tuum, sicut teipsum, cum quis hortatur quempiam, ut alterum amet, uel dehortatur, ne lædat, ita enim homo homini quod æqua mater natura iubet, officium præstat.

BASILEAE, [redacted] MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXII.





